PARADISVS VIRGINALIS.
CONCIONES
In festis semper Virginis Dei Genitricis MARIÆ.

Auctore R. P. F. IOANNE DE MATA *Ordinis Fratrum Prædicatorum.*
Interpres Latinus
Admodum Venerabilis P. FRATER ONESIMVS DE KIEN, Ordinis FF. Minorum Capucinorum Concionator Prouinciæ Flandro-Belgicæ.



LVBLINI
Prostant in officinâ GEORGII FÖRSTERI Bibliopolæ Regij.
Anno M. DC. L.



ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

D. GEORGIO TYSZKIEWICZ

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCPO VVILNENSI,

PRÆPOSITO TROCENSI DOMINO

AC PATRONO GRATIOSISSIMO.



OGITANTI *mihi diu multumq; cuinam Opus hócce ſacrarum Concionum verè aureum ex Hiſpanico idiomate, in Latinum tranſlatum, quod ex mea nunc prodit officina, inſcriberem dedicaremq;, Tu Præſul Eminentiſſimè, imprimis occurrebas. Materia ſacra ac* Theologica *eſt, & ideo tibi, iam olim ſacris dicato, nec non ſummo* Theologo *vel maximè debebatur.*

 For-

Format præterea mores, & vitam docet vrgetq́ Christianam. Sed & hoc nomine Tibi consecrandum erat, qui vitæ innocentiâ, morumq́ integritate, exemplo & documento es alijs, qua ratione in hac miseriarum valle, dum gestant mortalitatis exuuias, viuere debeant, vt tandem aliquando cum Deo in vitâ cælesti, æternùm viuere possint. Et quod vnicè in Te omnes mirantur verè es, ac dici mereris omnium Virtutum Theologicarum speculum lucidißimum, in quo summi, medioxumi, infimi Religiosi, se contueri, vitamq́ suam formare discant. Illam verò eximiam pietatem, morumq́ integritatem, Tibi à maioribus Tuis præclarissimis hæreditario quodammodo iure innatam, ac implantatam esse videmus. Qui enim, vel per transennam Historiam Maiorum Tuorum inspexerit, omnino fateri opus habebit, non pauciores in Tua familia extare Viros religiosos, Deoq́ dicatos, quàm prudentes senatores, ac fortes Bellatores. Quorum vestigijs, Tu Præsul Eminentißime, strenuè non solùm insistis, sed eosdem etiam multis parasangis præcedis. Fatentur idipsum omnes, qui Te aliquando viderunt, & quibus

animi

animi Tui candor, vitæ innocentia, morumq́ integritas innotuit aliunde; Etiam illi ipsi qui licèt confeßione à Te sint diuersi, dum Tuam in Colloquio Thorunensi, quotidiè viderunt, cognoueruntq́ morum suauitatem, vitæ sanctimoniam, ardorem q́ ac in pace Ecclesiastica redintegranda ac stabilienda zelum in ore ac scriptis tuam paßim circumferunt pietatem atque probitatem. Et hæc quidem prima ac præcipua dedicationis meæ causa est. Altera itidem ex Tua fluit beneuolentia summa, ac fauore eximio, toties mihi immerenti contestatis. Tu etenim, qui bonas literas amas promouesq́, me etiam cœpisti amare, mihiq́ benefacere, vel hoc solum nomine, quòd literis conseruandis ac propagandis me ætatem totam impendere intelligeres. Quare non dubitaui, hanc animi grati tabulam in hoc æternitatis templo nomini Tuo suspendere ac dedicare, publiceq́ profiteri, quantum gratiæ debeam, quantum referre discupiam si per vires liceret. Is interea qui remunerator est omnis boni, defectum meum, ex cornucopia bonitatis suæ largißimè adimplere dignetur velim, Teq́, Præsul Eminentißime in Nestorios annos Patriæ ac Episco-

pæ Tuæ, nec non mihi clienti tuo deuotissimo sospitem superstitemq; esse iubeat. Ita vouebam Gedani ipsis Eidibus Iunij Anno 1650.

Ill.^mæ ac R.^dmæ Celsitudinis Tuæ

Humillimus Cliens

GEORGIVS FORSTERVS Bibliopola.
S. R. M.



BENEVOLO
AC CANDIDO LECTORI.

N alterum tibi, Lector beneuole, produco in lucem Hispanum, Illustrissimi Ordinis Prædicatorum S. Dominici, Prædicatorem Generalem R. P. F. Ioannem de Mata à me Latinitate donatum. Plures quidem edidit Tomos, sed non adeò magnos, singulari pietate, doctrinâ, & conceptibus fecundos; placuit tamen binos tantùm seligere transferendos: *Paradisum virginalem & Triumphos Christi*: vt Mariam Christo coniungerem, & à Maria Christum non separarem; præmittitur tamen Mariæ Paradisus Triumphis Christi; quia iuxta Auctoris sententiam, & tacitæ obiectioni solutionem: est Maria sacratissima Dei Mater gradus ad filium; ascendere volui, sic Autographus, ad supremam omnium Dei dignitatem, enarraturus eius mysteria: quocirca necesse fuit, vt per gradus mysticæ scalæ Iacob ascenderem, in cuius summitate Deus innixus cernitur: quandoquidem teste veridico S. Bernardo: *Totum nos habere voluit per Mariam.*

Posteriorem secutus sum editionem, in quâ singulis concionibus alius superadditur nouus Discursus, quem etiam hoc verbo *Additus* in margine annotaui. Stylus eloquentissimus est, metaphoris & Allegoriis abundat, SS. Patrum vbique sententiis exornatus: sed

ex Correctorum incuria, & sensibus hinc inde imperfectis valde operosus. Quocirca Lector beneuole, ignosce, si non vbique ita tibi clarus appareat: conatus sum tamen, quantum Hispanici idiomatis peritia tulit, & diligentia potuit, additis quoque aliorum peritiorum interpretationibus, sensum sensui reddere. Si fortè alius tibi meliùs arrideat, censuram non auersor: sed mitior (obsecro) sit & Christianæ, ac Religiosæ charitati propinquior, quàm illa, qua laruatus ille Typographus Francofurtensis versionem nostram Homiliarum Quadragesimalium R.mi Domini D. Hieronymi Baptistæ de Lanuza reprehendit ac mordet in Prologo suo ad Lectorem. Vtinam à nugis sibi temperasset, à conuitiis abstinuisset, falsa veris non interseruisset: & quæ in prima & secunda nostra editione correcta fuerant, & quidem de iis iteratò præmonitus, non repetiisset: à me gratiam, & à mundo laudem sibi comparasset. Quod non satis correctè edita correxerit, laudo, quod autem tot friuola, Synonyma & cognomina superaddiderit, non laudo, sed fero patienter. Vtinam quoque familiaris mihi ille, de quo Prologus, fidem familiaris sui litteris debitam non violasset & arma ex his Typographo contra me non ministrasset? Ast illi Deus ignoscat.

Sed quid queror, aut quem accuso? Non ipsum Typographum, qui Latini idiomatis, vt mihi certò constat, est omnino ignarus; ergo neminem nisi Anonymos. Prodiit enim opus Francofurti tertiò recusum,

ſed nullo Correctorum expreſſo nomine, prodiit nullâ Superiorum ſuorum, cùm hi Religioſi fuerint, licentiâ roboratum; prodiit nullâ Ordinarij Cenſurâ & approbatione ſuffultum. An in Germania libros Anonymos & non legitimè approbatos edere liceat, vix crediderο; ſub Rege noſtro Hiſpaniarum, & iuxta SS. Concilij Tridentini decreta non permittitur. Aliud poſthumum Auctoris opus verterunt, & ſecundo prælo ſubmiſerunt, quod tamen poſtmodum vidi alio ſuppoſito nomine, variata hinc inde Latina phraſi, ab eodem Typographo euulgatum. *Sic vos non vobis fertis aratra boues.* Ita me ſolatur hac laruati & incogniti Prologi cenſura notatum quondam Prouincialis meus noſtræque Religionis vir illuſtriſſimus. Quid igitur vltra laboramus? Sed facile eſt aliorum mordere ſcripta, cauillari & nugari, vbi neminem timeas, cui reddendam eorum habeas rationem.

Iam animum ab interpretando aliena, quinimò & à ſcribendo propria reuocaueram; ſed lapſum erexerunt vota preceſque tum Eccleſiaſticorum, tum ſæcularium: aiebant enim, hæc eſſe Scriptoribus à Zoilis toleranda; nec enim vel vnus, licèt doctrina & pietate præclariſſimus, hos inuidorum euaſit dentes, mordacemque linguam. Addam, & hoc frequenter à Deo Scriptoribus euenire permitti, eorum ſcilicet lacerari ſtudium, & operam: ne fortè ex laboris ſui complacentia inaniter ſupra ſe ferantur, ſitque velut aloë, hæc acerba cenſura, conceptam ex opere, tanquam gratiſſimo ingenij

ſetu, dulcedinem amaricans. Laborem igitur ſtudiumque noſtrum, Beneuole Lector, qualecumque illud aliorum calculo cenſeatur, grata mente ſuſcipe, & ſi quid in eo quod offendat, offenderis, charitas tua Chriſtiana multitudinem operiat erratorum; inducias mihi anni vnius concede, & propria mea tibi ſubrogabo, illiſque ad ſalutem tuam, aliorumque ſpirituale commodum diu vtere. Vale.



SYNOPSES CONCIONVM

QVÆ IN HOC MARIALI OPERE CONTINENTVR.

CONCIO I.

De dulcissimo atque imperiali Nomine Maria Matris Dei, nostræque Dominæ.

THEMA.

Et nomen Virginis Maria. Luc. 1.

ſuum ad bonum vniuerſi: ſic quoque inter titulos explicantes nomen Mariæ, vnus hic legitur, Maria, id eſt lucida: quatenus ex eius manibus, velut ex bono vniuerſali, omnes creaturæ ſuum accipiant. p.29

CONCIO II.

De conceptione Virginis Mariæ.

THEMA.

Liber generationis &c. Matth. I.

Diſcurſus I. *Deſcribitur Abraham primicerius generationis Chriſti, quo magnum illi compenſatur obſequium diuinæ præſtitum Maieſtati: hæc etenim eſt Dei conditio: vt qualis illi fuerit homo, talis ipſe futurus ſit homini.* pag.37

Diſcurſus II. *Sicut inter homines hoc rarum cenſetur, ſiquis cum aliquo diuinæ ſeruit Maieſtati, cùm ſe totum humanis impendat vanitatibus: ita Deo tantopere placuit obſequium Abrahæ,* p.43

Diſcurſus III. *Cùm Deus ſit ipſa liberalitas, & obſequia admiſiſſet veterum Patriarcharum, quæ mouere illum poterant vt in mundum veniret: ſicut huius triumphi gloria Virgini ſeruabatur Mariæ, ita cùm iam eſſe inciperet, ſe eius captiuum reddidit, reponens in Maria cuncta, quæ poterant mouere eum & obligare, vt humanam aſſumeret naturam.* pagin. 47

Diſcurſus IV. *Non diu protraxit Deus honorare Matrem ſuam: etenim in Conceptione illam extollit, iam Angeli illam vt Reginam reuerentur, & Euangelium eam appellat Matrem Dei.* p.52

Diſcurſus V. *Quando concipitur & eſſe incipit futura Dei Mater, iam homo non deſinit, nec manibus diuinæ iuſtitiæ, & legis antiquæ moritur: quinimo de nouo in noua renaſcitur, fundante Deo regnum ſuum per Mariam in miſericordijs.* p.56. Additus.

CON-

CONCIO III.

De Natiuitate B. Virginis Mariæ.

THEMA.

Liber generationis Iesu Christi. Matth. 1.

DIscurſus I. *Fundauit Deus regnum ſuum viſibile in terra ſuper peccatores: nec dedignatus eſt eos in genealogia ſua admittere temporali, in hac dignatione potentiam ſuam oſtentans & bonitatem: diuina ſunt hæc eius attributa.* p. 64.

Diſcurſus II. *Vno iuſto temperat Deus dolorem, quem ex multis concipit peccatoribus, quocirca creauit D. Virginem abyſſum gratiarum: quatenus ex illa non tot videat peccatores, quot in hac ſua genealogia deſcribuntur.* p. 70

Diſcurſus III. *Quamuis B. Virgo de regali proſapia & illuſtriſſimo deſcenderit ſanguine: non tamen carnis nobilitas, ſed ſpiritus Deo placet, & ex vtraque Matrem ſuam reddit illuſtriſſimam.* p. 76

Diſcurſus IV. *Ex Natiuitate B. Virginis honoratur humana natura vſque in hunc diem deiecta: lætificatur Angelica: conſpiciens iam in terra deſtructorum murorum gloriæ reſtauratricem.* p. 81.

Diſcurſus V. *Hodie triumphum refert gratia de natura: perdit hæc ius ſuum: quia Princeps Regina coronata quæ naſcitur, immerſa naſcitur tantæ lucis multitudini, vt diuinam æmuletur, nobiſque Deum in terra noſtra firmiter polliceatur.* p. 85

CONCIO IV.

De Præsentatione B. Virginis Mariæ.

THEMA.

Beatus venter qui te portauit. Luc. 11.

DIscursus I. *Obsequia accelerata, præsentationes vitæ in pueritia summopere Deo placent: fastidio verò sunt dilationes: idcirco præsentem acceptat gratè oblationem, quam in tenera sua infantia sui dedicat ei serenissima puella ac Domina Maria.* pa. 93

Discursus II. *Seruire est Deo, illiq́ue quod offertur, ex hilaritate consecrare, signum est prædestinatorum: sicut contrarium est reprobatorum.* p. 98

Discursus III. *Vtile frequentare Ecclesias, vbi Deus propius nos intuetur, fauentq́ue nobis Angeli; quocirca adducitur Virgo in templum Hierusalem, vt tantò citiùs mundi succurrat necessitatibus.* p. 103

Discursus IV. *Virgo Maria prima votum emisit Virginitatis, & secedens ad Templum, vitæ fundatrix fuit Religiosæ: exemplo suo docens status huius obligationes, quæ sunt puritas animæ, & corporis soli Deo sponso suo cælesti vacando.* p. 108

Discursus V. *Cùm optimum esset Deo dedicandum, in quo sibi maximè complacet; hodie terra nostra diuinæ Maiestati donum offert inter puras creaturas eminentissimum, quo templum Hierosolymitanum gloriosissimum redditur Deoq́ue decentissimum.* p. 115.

CONCIO V.

De Annuntiatione B. Virginis Mariæ.

THEMA.

Missus est Angelus Gabriel. Luc. 1.

CONCIO VI.

De Visitatione B. Virginis Mariæ.

THEMA.

Exurgens Maria. Luc. 1.

CON-

CONCIO VII.

De Expectatione partus B. Virginis Mariæ.

THEMA.

Aue Maria, gratiâ plena, Dominus tecum. Luc. 1.

DIscursus I. *Verbum æternum spes fuit, desiderium & desideratus: Angeli & homines ardenter sperabant videre illum Virginis Mariæ gestatum brachijs fotumq́ amplexibus.* p. 184

Discursus II. *Talis fuit B. Virginis sollicitudo & desiderium & merita, vt huius mysterij meruerit accelerationem: & nonnullæ adducuntur rationes mysticæ septem illarum Antiphonarum, quas hisce septem diebus cantat Ecclesia, & incipiunt ab O.* p. 190.

Discursus III. *Exponitur quomodo bene dicatur festum hoc Expectationis B. Virginis, cùm secũ haberet Deum, quandoquidem possidere & expectare eodem tempore contradicat.* p. 196

Discursus IV. *Soli Deo bonisque spiritualibus nostra debent intendere desideria, & quod diuinæ eius gratum est Maiestati: quandoquidem ardentia B. Virginis vota illum nobis breuî visibilem demonstrabunt.* p. 199

Discursus V. *Conformiter Dei desiderijs quibus inardescit vt humanam induat naturam, procedunt & ipsa Virginis Mariæ desideria, adeò efficacia: vt si illum obligent per misericordiam suam, vt ex illa carnem assumat, vim etiam inferunt illi sed amicam, vt hominum salutis gratiâ ex vtero eius virgineo, cælesti & intacto progrediatur.* pa. 204.

CONCIO VIII.

De Purificatione B. Virginis Mariæ.

THEMA.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi. &c. Luc. 2.

Discursus I. *Ad templum veniunt Christus & Maria tot tantisq́ umbris obscuri, vt ad eorum cognitionem oculi requirantur fidei: cùm diuinus amor suas ostentet inuentiones: quandoquidem vt redimat Deus hominem, magis homo quàm Deus videri studuerit.* p. 213

Discursus II. *Plurimum Deo placent animæ quæ suas abscondunt virtutes; & quamuis Mariæ puritas eam à legis exciperet obseruantia; vult attamen vt templum adeat ipsam impletura: cùm humilitas in ipsa esset ornamentum murusq́ omnium eius prærogatiuarum.* p. 218

Discursus III. *Generosæ censentur & nobiles animæ, quæ plura faciunt quàm tenentur: quare Deus nonnulla libertati nostræ voluntaria reliquit obsequia: in quo nobis exemplo præit Virgo Maria hoc actu heroico supererogationis.* p. 223

Discursus IV. *Insigniori sanctitate celebris, talis non est si Deo conferatur: & cum purissima eius Mater sanctissima sit Sanctorum, ad latus tamen constituta speculi adeò clari, nempe filij, se tenebris inuoluit, nec tamen eclipsim patitur, docetq́ nos ne de bonis præsumamus operibus; inter spem metumq́ viuentes.* p. 228

Discursus V. *Se Redemptor noster legi subiecit, quam ipse olim per Moysen indixit: instruens Prælatos, vt ipsi primi, quæ præcipiunt aliis exequantur, quorum exemplum est efficacissimum.* p. 233

Discursus VI. *In hac vnica solemnitate dicta Candelarum*

rum & luminum magis quàm in aliis accenduntur corda ad cultum B Virginis: quandoquidem maxima eius gloria tot vmbris eclipsetur & obscuretur: cùm Deus pro more habeat clarioribus illustrare radiis eum qui in eius gratiam & auctoritatem eosdem occultat: & si se Dei gratiâ periculo iacturæ exponat, semper lucratur ampliora. p.239

CONCIO IX.

De Peregrinatione & exilio B. Virginis cum puero Iesu in Ægyptum.

THEMA.

Accipe puerum & matrem eius & fuge in Ægyptum, Matth. 2.

DIscursus I. *Nascitur Christus tantâ feruens inclinatione pro homine patiendi vt primum suum ingressum reddat celebrem, non quidem proprio sanguine: nec enim ratio suadebat, vt in tam tenera ætate illum profunderet, sed tantorum innocentium, quo illi festum Christo celebrant gratissimum.* p.248

Discursus II. *Si fugam ineat Christus, non eum metus expellit, quo non tenebatur, sed nostra impellit salus: sibi consulit vt grandior effectus, abundãtiorem daret sanguinem, cùm præsentem iudicaret amori suo insufficientem: & secedit quia nostris gloriatur ignominiis: etenim fuga censetur ignominiosa*, p.252

Discursus III. *Sacratissima Virgo, eiusq; cælestis sponsus Ioseph diuinæ dicuntur nubes & vela quæ supremum custodientes principem totum mundum sibi tenent debitorem, obseruatam Saluatoris sui vitam.* pa.258

Discursus IV. *Meritò timeat Herodes puerum pannis inuolutum vt tyrannus: sicut enim securitatem bona cau-*

ſat conſcientia, ita mala terrorem, & anguſtiis preſſus metuq; conſternatus viuit omnis improbus. p.262

Diſcurſus V. *Cùm Chriſtus in adoratione Magorum ſe verum oſtendiſſet Deum, hodie fugiens ſe verum manifeſtat hominem noſtras magnifaciens humiliationes. Dicam, eò quòd maternis deferatur brachijs, fugam quam mortales iudicant infamem, ipſe vt gloriam ſuam aſſumpſerit.* p.269

CONCIO X.

De Triumphanti Aſſumptione B. Virginis Mariæ & Angelorum Reginæ.

THEMA.

Intrauit in quoddam caſtellum &c. Luc. 10.

DIſcurſcus I. *Adeò præclara ſunt merita quæ hodie præmium accipiunt: vt illi tantùm quos viſio Dei clariſſima beatificat, aliquid eius eminentiæ intelligant: ad cuius ſignificationem Eccleſia proponit Euangelium metaphoricum & mutuatum.* p.277

Diſcurſus II. *Martha ex charitate Chriſtum excepit hoſpitio: nam vir eleëmoſynarius magnus eſt, etiam Deo collateralis adſtans: agitur de eleëmoſyna, quam certo quodam modo B. Virgo contulit Redemptori.* p. 280

Diſcurſus III. *Laudabile erat Marthæ exercitium, ſed illud Mariæ præfertur, quæ vtique meliorem partem elegit: ambas vitas actiuam & contemplatiuam in gradu heroico in Virgine Maria ſuſpicimus.* p.287

Diſcurſus IV. *Talis eſt cuiuſq; mors, qualis vita. Et ſicut Maria Deum diligendo vixit; ita diuinus inflammata ardoribus moritur.* p 295

Diſcurſus V. *Immenſam exponit gloriam, quæ aſcendenti in corpore & anima Virgini communicatur: ad cuius ingreſſum patria illa cæleſtis*

CONCIO XI.

In Festiuitate B. Virginis ad Niues.

THEMA.

Beatus venter qui te portauit &c. Luc. 11.

garis extollit vocem suam & Christum defendit à Pharisæis blasphemiis impetitum. Auari sunt Deo diuites, mundo autem effusi: quocirca tantùm illi placent hi, quia rari tales sunt, nam eis suam indicat voluptatem ad cultum Matris suæ directam. p. 339

CONCIO XII.

In Triumpho SS. Rosarij, & belli naualis victoria contra Turcam obtenta per hanc pietatem erga nobilissimam, semperque Virginem Mariam.

THEMA.

Liber generationis Iesu Christi. &c. Matth. 1.

NOS

NOS FRATER INNOCENTIVS A GALATAYERONE GENERALIS MINISTER L. I. VNIVERSI ORDINIS FRATRVM MINORVM CAPVCINORVM S. PATRIS FRANCISCI,

TRanſlationem cuiuſdam Libri, cui Hiſpanicè titulus eſt: *Parayſo de la Virgen SS.* ex idiomate Hiſpanico in Latinum factam ab Adm. Vener. Patre ONESIMO IPRENSI eiuſdem Ordinis Concionatore, cùm à Cenſoribus à nobis deputatis, poſt accuratè relectam, luce digna habeatur, nos quoque approbamus: vtque quamprimum publici iuris fieri poſſit, quo ad nos ſpectat, dicto Patri ONESIMO copiam his præſentibus facimus, dummodo ſeruentur alia de iure ſeruanda. Datum ex Conuentu noſtro Romano die 3. Martij 1650. ſancti & vniuerſalis Iubilei.

FR. INNOCENTIVS MINISTER GENERALIS.

Locus † ſigilli.

AP-

APPROBATIO.

PErlustraui Paradisum Virginalem, *industriâ* R. P. F. IOANNIS DE MATA *Ordinis FF. Prædicatorum Concionatoris Generalis aliàs Hispanicè efformatum: Nunc operâ* V. A. P. F. ONESIMI IPRENSIS *Ordinis nostri Concionatoris in Latinum idioma transformatum, reperi expolitum, in fide sanum, pro moribus salutarem ac verè pium: Rectam ad Paradisum cælestem, viam indigitat, dum ianuam cæli S. Virginem Virginum deuotè prædicat, honorat, commendat: Proinde publicâ luce dignissimum censeo, accedente Beneplacito R.di Adm. Patris Generalis nostræ Religionis: Datum Cortraci* 17. *Ianuarij* 1650.

FR. SEBASTIANVS *Antuerpiensis*
Prædicator Capuc. Exlector
S. Theologiæ.

COPIA APPROBATIONIS.

PAradisum multi quærunt, sed perperam: quia non in Virgine: Emissiones tuæ paradisus ô Maria! Conceptus, inquam, quos te patrocinante, Diuina gratia tibi deuotorum mentibus infudit. His conseuit hortum amœnissimum, & verè Paradisum R. P. F. IOANNES DE MATA Ordinis Prædicatorum Concionator Generalis, sed Hispanis tantùm aperuit: omnibus patulum, cùm latinum, fecit A. V. P. ONESIMVS IPRENS. Ordinis nostri Theol. & Concionator. Quisquis es hunc securus ingredere: nec enim contra sanam doctrinam hîc vllæ spinæ pungunt, aut vepres offendunt. Non hîc etiam arbor scientiæ mali, sed omnis boni. Sic censebam post accuratam Autographi cum translatis, quæ illi optimè conueniunt, institutam collationem.

Actum Teneramundæ
16. Ianuarij an. 1649.

FR. FABIANVS *Antuerp.*
Theol Concio. Cap.

CON-

CONCIO DE DVLCISSIMO ATQVE IMPERIALI NOMINE MARIA

MATRIS DEI NOSTRÆQVE DOMINÆ.

Et nomen Virginis Maria. Luc 1.



N præconiorum ſuauiſſimi nominis ſupremæ Imperatricis & ter maximæ Dominæ noſtræ pelagus & abyſſum me præcipito: conceptus etenim hic eſt, qui intellectum ſuperat Angelicum, & humanum antecedit diſcurſum: ſolus Deus, qui filius illius eſſe dignatus eſt, dignus eſt eius aptuſque prædicator. Fateor equidem creaturæ ſapientiam ignorare terminos impoſſibilitatis: non eò accedit (inquit D. Chryſolog.) ſed vires miniſtrant & audaciam amor & obligatio illi, quem nec timor remoratur, nec terret difficultas, nec ſuperant inconuenientia, nec retardat monetque impoſſibilitas. Quod ſi hoc in illo non pateſceret, non legitimus cenſeretur amor ille ſed adulterinus. Audiamus ipſum D. Petrum Chryſolog. *Non accipit de impoſſibilitate ſolatium, non recipit de difficultate remedium, & niſi ad deſiderata peruenerit, necat amantem & ideo vadit quò ducitur, non quò debeat.* Et ſi ille qui debet & amat, ſuam aſſequi nequeat prætenſionem, vtpote nimis illum excedentem: moriatur quia amat: minori etenim non ſatisfacit cliens Virginis Mariæ deuinctiſſimus. Enuntiauit lingua mea, *Maria*; fugit metus, eius conſpectus repagula diſrupit, quæ timor iniecerat. Acutus hic conceptus eidem debetur Archiepiſcopo Rauennati: licet namque Virgo turbata fuerit, ſine turbatione illi non conuenienti, auditis nouis ſupremæ illius dignitatis, quam illi Deus offerebat, vt mater eſſet ſua; non parum tamen intellecto proprio nomine à turbatione illa reſpirauit, eoq; fine ad illud: *Ne timeas,* addidit Archãgelus: *Ne timeas Maria: Vt Dominatoris genitricẽ trepidatio deſerat ſeruitutis.* Idem aſſeruit Reuerendiſſimus Cardinalis

D. PETR. CHRYSOL. Serm. 147.

CAIETAN. Serm. 142.

CAIET. *in Luc.* I. nalis noster Caietanus : *Mariæ nomen proprium adiicit, ad maiorem propulsationem timoris.* Hoc concesso, nemo meam arguat temeritatem : hoc etenim nomen meam restaurat infirmitatem, & audacem meam reddit incapacitatem : vt enim cum D. Bern. loquar, ignis est, viuaque flamma, quæ cineres calefacit frigidissimos : *O multum amabilis Maria, tu nec nominari potes, quin accendas.* Alas erigit desiderij mei accedendi ad thronum Dei, quo gratiam impetrem Maria intercedente, vt de Maria concionem instituam. *Aue Maria.*

I. Cur Angelus nomen expresserit Mariæ eam salutans.

Discursus I. *Deus adeò sagax hominis est amator, vt creans Virginem sibi in matrem, in eius nomine Maria, siquidem comprehenderit eius prærogatiuas, nostra tamen non exclusit commoda.*

LVcem mihi præbet, quâ lucis & Angelorum Reginæ prærogatiuas ingrediar, Doctor Ecclesiæ, lucis titulo decoratus & intellectu Angelico, Pater noster Angelicus D. Thomas : etenim Dei perpendens liberalitatem (de quâ in hoc discursu acturi sumus, quo sequentes aptiùs prosequamur) & diligentiam sese communicandi, ex eo quod summum sit bonum, vtque esse possit omnibus omnia ; gradum figit hæretque in quibusdam verbis Magistri gentium D. Pauli : *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum.* Audito nomine Deus, & adoptare filios, modus hic loquendi non vulgarem illi mouit difficultatem : si namque iura adoptiones introducant: defectum supplent filiorum naturalium. *Adoptio videtur esse introducta* (inquit) *in defectum filiationis naturalis : sed in Deo inuenitur naturalis filiatio; ergo non conuenit Deo filios adoptare.* Vir vxorem sibi assumit in matrimonium, filios ex illa non generat, in quibus nomen suum tradat æternitati : vt autem huius defectus temperet mœrorem, alium quendam in filij subrogat locum, qui vt talis in hereditatem bonaque intrat adoptantis. Porrò Pater cælestis, cuius filius est Verbum diuinum, fecundissimi sui conceptus intellectus, quâ ratione adoptat filios, cùm naturalem habeat, & in quo sibi complacet perfectissimè? *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Vnico verbo nodum dissoluit : Homo, hominem sibi similem adoptat: iudicans naturalem inclinationem effectu suo priuatam, ac desiderium seipsum communicandi detentum, manentibus in ipso velut in stagno cumulis tot diuitiarum: hunc autem mitigat affectum, licet solo nomine, filius hic adoptiuus.

Ephes. I.

I. Quomodo Deus adoptet.

D. THOM. 3. p. q. 23. art. I.

Matth. 3.

Cùm igitur infinitâ distantiâ diuina excedat affluentia, humanam oportet vt infinitè superet & illa se prodit, si filium habens naturalem, alium adoptet per gratiam: cumque naturalis illi maneat filiatio, nec atomum quidem bonorum suorum perdat, vult vt ad eorum participationem accedat homo per gratiam adoptatus per quam illi se Deus communicat. Grauissimis hoc ipsum verbis exposuit D. Ambros. *Ipse non indigens donat sua, sine vllo donationis dispendio, quem non grauant suorum consortes bonorum, magisq; fruitur, eo, quo nos vtimur.* Donat Deus, seque donat, nec ex eo quod donat decrescit ipsa donatio, cui nihil auferunt illi, qui partis bonorum eius admittuntur esse participes: meliusque (si fari sic liceat) illis ipse fruitur, quando eadem ipse homo possidet. Elicit hoc Doctor Ecclesiæ ex eo quod Noë dixit Deus: *Ecce ego statuam pactum meum vobiscum*; vel vt ipse legit: *Statuam testamentum.* Quid hoc Domine mi, si testamentum sit verbum hoc quod statuis cum Patriarcha, & quo tempore non moritur testator hereditatem non adit successor, tuque vita sis per essentiam, nec possis deficere, quâ ratione statuis testamentum? Quis tuus futurus est heres? Optime: inter mortales limitatas angustasque creaturas, vbi mors hunc in pauperiem propellit, si velit alterum diuitiis cumulare, hunc deprimit vt alterum extollat, hoc bene intelligitur; sed de Deo nequaquam, cuius talis est liberalitas, vt illud ei non minuatur, quod ab eo datur vt in plures diuidatur, & naturalis Dei filiatio manum dat conuenitque cum hominis adoptatiua.

D. AMBR. Lib. de Noë & arca c. 11.

Gen. 9.

II. Deus condit testamentum licèt non moriatur.

Eloquentiæ fons D. Chrysostom. ad illa verba D. Matth. *Et cùm venisset Iesus in patriam suã, docebat eos in synagogis eorum* (intelligit de Nazareth) & primò omnium diuertit ad Synagogam, vbi multus erat populi confluxus. Nouum hoc illi visum: cùm enim Christus applausus humani esset inimicus, amicus autem solitudinis ac secessus, vt ex historia patet Euangelica, commune tamen vitæ suæ tempus in solitudinibus desertisque non transigebat, sed in more illi erat, vrbes villasque perambulare: *Ibat Iesus per ciuitates & castella*, testatur D. Lucas. An proposito non magis expediret, si solus cum Patre suo ageret, & quietem ambiret, cui strepitus, plebisque concursus repugnat: etenim illi semel dixit D. Petrus: *Turbæ te comprimunt.* Hoc optimè Christo conuenit, inquit os illud aureum, finito illum, hic etenim locus est illi proprius, si namque finem aduentus illius attenderis, hic erat, vt omnibus benefaceret:

Matth. 13.

Luc. 8.

III. Christus populum quæsiuit vt illi se communicaret.

 hoc

hoc autem ita proprium est diuinitatis signum, vt si semper deserta coleret nulli beneficus, de impossibilitate diuinitatis eius inferre possent argumentum, qui tantopere mortalium vitat consortium: atque idcirco inter ipsos versetur, fora frequentet, plateas percurrat, vrbes perambulet, commercia quærat, adeat synagogas, vbi confluente populi multitudine pro voto suo, sua explebit desideria, vt sit omnibus omnia. Audiamus D. Chrysost. *Assiduo autem ad Synagogas ibat, ne si continuò in eremo versaretur, tanquam verum schismaticum & reipub. aduersarium impugnarent.* Homo (obiicere poterant) qui se abscondit, ne humanæ naturæ benefaciat, inimicus eius, non creator esse censetur: superscriptio namque armorum Dei hæc est, benefactor omnium vniuersalis.

D.CHR. *Ho.49. in Matth.*

Prosequitur hoc vlteriùs D. Chrysostom. Mulier illa gentilis Chananæa audito Christi Saluatoris aduentu ad terminos Tyri & Sidonis, egressa est magnâ humilis reuerentiâ, viuaque fide flagrans remedium ab eo quæsitura pro filia malè à dæmonio vexata: hæret hic D. Chrysost. *Egressus Jesus secessit in partes Tyri & Sidonis*: Quia ingressus hic eius videtur repugnare doctrinæ. Inter alias, quas iussit à discipulis suis instructiones seruari, hæc vna fuit: *In viam gentium ne abieritis.* Pedes vestri gentilem non calcent terram, nec ab Hebræis ad alios transeatis: & deinde huic dixit mulieri: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Quomodo igitur Domine, verbis tuis opera non congruunt, dum vnum præcipis, & aliud operaris? Vnde ansam capere possunt Prælati & prædicatores non insistendi illi quod tanti refert, quale est, vt ille qui mandat aut docet, primò manibus exequatur, quod intendit linguâ voceque persuadere. Difficultatem auget ampliùs cõsideratio quædam valde congrua, cuius auctor est D. Irenæus Martyr. Reprehendit Sanctus hic hæreticum quendam negantem Christum fuisse mortuum, actionem iudicantem indignam & ignominiosam, quam Deus habuit vt maximè honorabilem, qualis fuit pro homine mori, per hanc amoris sui erga hominem irrefragabile proferens testimoniũ. Dicebat hæreticus mortem eius fuisse tãtum verisimilem, quodque passionis accedente hora Deus auolauerit, Christum destituens. Format igitur hoc argumentum D. Irenæ. (meliùs dicam) glandem hanc emittit quâ confundit, prosterniteque Hæresiarcham. Dicito mihi, qua ratione veritatem huius habebis exhortationis: *Si quis vult venire*

D.CHR. *Matt. 15.*

IV. Cur Christus diuertat ad gentiles, cùm Apostolis hoc interdicat.

Matth.16. *re post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me*, si belli dux suam deseruerit? quia ita consequens esse oportet & connexum illud quod docet magister, illi quod agendum est, vt ipse Deus verecundaretur, si non quod docet, operaretur, & si moriturus non fuisset verè ac realiter, non hoc homini mandasset, nisi hoc ipsum prius in se fuisset executurus: *Si autem ipse non erat passurus, & auolaret à Iesu, vt quid hortabatur discipulos tollere crucem, & sequi se, quam ipse non tollebat secundum ipsos: sed relinquebat dispositionem passionis.* D.IREN. L.3.aduers. hæres.c.20.

Hoc supposito respondet D. Chrysost. quòd licet secundum legem ordinariam agere deberet, quod docebat, materiam tamen benefaciendi excipiebat, in qua poterant Apostoli, vt homines se refrænare & cohibere: *In viam gentium ne abieritis.* Ego verò (quasi diceret) qui Deus sum, non hac me lege comprehendo, quod nihil aliud esset, quàm mare portis occludere, eius coërcendo diuinam liberalitatem, qui omnibus est omnia: verba illius hæc sunt: *Quia non tenebatur ipse, quæ discipulis conseruanda præcepit, omnino conseruare.* Homo sic potest, Deus autem non, illud expleant discipuli, Christus autem ab his excipiatur regulis, non illi limites statuantur; etenim in ordine ad beneficia præstanda creaturis nullos patitur, nec ad illos se vult obstringere: *Quia non tenebatur, &c.* D.CHR. Hom.53.in Matth.

In tantum hoc verum est, vt subtiliter arbitretur Episcopus Taurinensis D. Maximus, & agens de sepulchro Christi dicat: *Sepultus est Dominus, quia consequens erat, vt qui mortuus fuerat, acciperet sepulturam.* Huius consequentiæ vim expendamus: non enim videtur necessaria: etenim ad maius dedecus hoc potuisset in morte carere obsequio. Casus hic est: cùm enim triginta tribus annis cum viuentibus conuersatus fuisset: *Qui pertransiit benefaciendo*, dum terrarum incolæ eius percipiunt beneficia, videbatur eius quasi contracta liberalitas, si Deus existens viuorum & mortuorum, cùm eo fruiti fuissent viui, non etiam hoc solatio & mortui fruerentur: atque in hunc finem sepelitur in centro terræ, tangit cadauera, resuscitat ad nouam vitam defunctos, ne dicatur, quempiam esse, conditionem & statum, cui Deus qui est omnibus omnia, non se Deum demonstret: diuina planè percipire verba: *Sepultus est Dominus, vt ad consolationem sepultorum, benedictionem corporis eius & terra susciperet.* Mortui eius recipiant benedictionem, cùm illam dum viuerent non sint assecuti. D.MAX. Hom.in tra. Symboli. V. Christus sepultus est vt sepultis benefaceret.

Singulari mysterio dixit Deus in

in Deuteronomio populo suo: *Ego Dominus Deus tuus.* Illud *Tuus* (vt notat Oleaster) positum est ad differentiam aliorum Principum, qui vel sunt sui, vel paucorum, priuati alicuius, vel potentis, pauper nullum habet accessum: solus Deus nullo habito familiaritatis intuitu, nulla personarum acceptione, toto ore noster est, Tuus ô diues, tuus ô pauper, tuus ô magne, tuus ô parue: *Sunt aliqui Reges & Domini, qui sunt sui. Alij qui sunt consanguineorum suorum & amicorum: Deus verò tuus, non suus esse voluit. Quid, quæso, habet Deus tuus, quod non sit tuum? Si cælum habet, tuum est, cuius influentiis viuis: si & terram, hanc dedit filiis hominum:* Et concludit: *Quidquid denique est, & habet, tuum est.* Magis videtur Deus esse tuus quàm suus, creauit cælos astris intertextos, vt eorum influentiis viuas: fundauit terram, plantis illam, floribus, montibus, vallibus, riuis, maribus, animalibusque adornans, tibi ad delicias gratumque seruitium. O anima considera, cùm omnia tibi Deus dederit, an illi teipsum totum dare non obligeris?

Deut. 5.

VI. Deus noster totus est.

OLEAST.

Crescit autem debitum in lege gratiæ sub quâ viuis atque in quâ se tibi tradidit, medio Maiestati suæ pretiosissimo tibique facili ac suaui, tua sibi communicauit mala, tibi verò bona sua, tuæ se subiecit abiectioni te ad suam extollens celsitudinem: tamque grauis modò est ingratitudo, vt videatur se comprimere, nec proficere sanguis Christi eiusque redemptio viro ingrato: quamuis sit ita superabundans; & huius attendant probationem, vt dormientes de somno suo excitentur. Catalogum recenset D. Irenæus beneficiorũ quibus Deus Dauidem cumulauit, quem de post fœtantes erexit in regem, & baculum quo dirigebat oues in sceptrum mutauit illi regale, quo hominibus Princeps imperaret. Deinde statim transit ad filium eius Salomonem, cui sapientiam infudit, diuitias tradidit, humanamque magnitudinem concessit ac gloriam. Peccauit Dauid, moritur illi puer natus ex adulterio, prouinciæ rebellant tributariæ, imò & ipse filius egressus de vtero illius, eas producit in campum seditiosus. Salomon idololatra per mulieres alienigenas deprauatur, aras erigit, adolet idolis incensum, successionem illi adimit regni, diuidit illud, duasque tantùm tribus Roboam filio permittit subditas. Quæ tantorum causa suppliciorum? Erant & alij peccatores, & cum illis diuina conniuet iustitia: quomodo hic pater, & filius non faciunt quidquam quin soluant? Viri erant beneficiis à Deo vbertim honorati, atque ad quos manum

VII. Cur Dauid & Salomon statim sint puniti.

VIII. Exhortati[o] ad gratitu[...]dinem.

D. IREN. Aduers. hæres. c. 45.

num suarum extenderat miseri-cordiarum: cumque nullâ re-sponderent gratitudine, manum suarum extendit iustitiarum. Hinc Sanctus certam & timen-dam infert doctrinam. Si cùm hominibus legis antiquæ, quan-do dum omnia vmbræ erant, nec tantum, nec tam clarè suas cernebant obligationes, cum nondum ad vitam nostram or-tus esset sol iustitiæ, nec ad occa-sum declinasset mortis, iustis ad-eò & seueris vsus est rigoribus:
VIII. Exhortatio ad gratitudinem. modò nunc attende, quid inter-sit inter beneficia Dei nondum visi, & Dei visi, inter dona Dei omnipotentis non visi nisi post gloriæ suæ cortinas, & inter gra-tias eius te spectante mortui: at-que hinc concludit, quod cala-mo meo non ausim fidere, sed tuo remittere iudicio, quantum ex his Deo tenearis. Audi verba
D. IREN. Aduers. hæres. c. 45. Doctoris: *Si enim hi qui præces-serunt nos in charismatibus vete-res, propter quos nondum filius Dei passus erat, delinquentes in aliquo, & concupiscentiæ carnis seruien-tes, tali affecti sunt ignominiâ, quid passuri sunt qui nunc sunt, qui contempserunt aduentum Do-mini, & deseruierunt voluptatibus suis?* Deinde exaggerationem adiungit qualem numquam au-diuisti: *Et illis quidem curatio & remissio peccatorum, mors Domini fuit: propter eos verò, qui nunc peccant, Christus iam non morie-tur.* Medicina culparum præce-dentibus legis naturæ scriptæ-que sæculis, fides erat in eum qui venturus erat, eiusque mortem: idcirco vocatur: *Agnus occisus ab origine mundi.* Porrò notan-dum, quòd iam mortuus sit se-mel, & vltra non morietur: time igitur, videtur enim (si fieri pos-sit) ingratitudo tua sic omnem respuere remissionem, vt si eius medicina, & remedium sit mors Redemptoris, nec iam ille mo-riatur, duritie tua & peruicacia periculo te exponas quo effecti-bus eius, virtute infinita, imò & ipso Dei sanguine defrauderis; hoc quippe est: *Christus iam non* Rom. 6.
moritur.

Discursus II. *Deus Virgini cō-municauit bonum esse om-nium vniuersale, compre-hendens in nominis illius si-gnificatione, non minùs eius dignitates quàm nostras vti-litates.*

VArias huius suauissimi no-minis interpretationes as-signant SS. Doctores, & sicut Deum propter eius eminentiam nostramque pusillitatem, cùm sit in esse suo simplicissimus, di-uersis explicamus titulis, & va-riè quod in eo comprehendi-mus, enuntiamus: ita quoque cùm vnum sit nomen Maria, vnaque persona, multiplicantur tamen eius symbola: & signifi-catio-

cationes, quæ tamen nec minimam dignitatis eius partem exponunt. Asseruit hoc D. Bernardinus Senens. *Maria ergo non vnam tantùm sed multiplicem interpretationem habet, vt sicut Deum ipsum, non vno tantum nomine nominamus, sed multis, vt sic eius incomprehensibilitatem enuntiemus, sic & gloriosam Virginem multis nominibus designamus.* Mens mea non est omnes eius proferre etymologias, ad quatuor tantum eas reducam & de vnaquaque discursum formabo, & huic prima conuenit interpretatio:

Serm. 1. de Nomine Virg.

Maria: Stella maris.

D.BERN. *Ser. 2. super missus.*

Maria, id est, *Stella maris.* Primus in medium prodit singularis illi cliens Pater meus Doctor Angelicus D. Thomas, qui puerulus chartæ inscriptũ comedens *Aue Maria*, factus vir in præclarissimum Virginis encomium conceptus eructauit altissimos: dicit igitur: *Maria quæ interpretatur, Stella maris, quia sicut per stellam maris nauigantes diriguntur ad portum: ita Christiani diriguntur per Mariam ad gloriam.* Stella aquilonaris deducit ad portum, & Maria dirigit ad gloriam. Per mare, quasi terra firma foret iter inuenit commercij necessitas, & acquirendi diuitias auaritia, nec non curiositas videndi terras, aliasque detegendi lineas, fidente homine vitam suam dolatis tabulis, aquarum inconstantiis expositam: *Exiguo ligno credunt homines animas suas.* Iter suum arripiunt naucleri, & vix à portu terraque firma soluerunt, parua sua vel nulla incipit inconstantia pelagus, furentemque mouet tempestatem; superbum infremit elementum, procellæ latera contundunt triremis vel nauis, quæ ad eorum impetum in partes mergenda diffinditur. Quis tunc metus nauigantes opprimit, dum cælum lugent inuolutum, soles nubibus contectos suumque cor mœrore oppressum mortis futuræ præsago, quam sibi vident imminentem: omnia replentur confusione, clamoribus, vociferationibus, vlulatibus, promissis & votis: quòd si inexspectatò stellam aduertant Aquilonarem ad cuius lucem ventus mitescere, aër serenari, cælumque videtur renasci: quale tunc est eorum gaudium, quanta lætitia, quanta consolatio? Procellosum huius mundi pelagus, ô homo, pernauigas, vbi nedum sunt pericula, imò totus ipse periculum est; tentationes vrgent, calamitates in te insurgunt, miseriæ te affligunt, desolationes te deiiciunt: præbet tibi Deus, Stellam & lucem, Mariam, cuius nomini alligauit tuarum remedium angustiarum, turbationum tuarum tranquillitatem, atque in tenebris tuis cælum clarissimum. Dicat hoc D. Ber-

D.THOM. Opusc. 8.

Sap. 14.

I. Maria Stella maris.

II. Similitudo.

D. Bern. Hom. 2. sup. Missus. D. Bern. *O quisquis te intelligis in huius sæculi profluuio, magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare; ne auertas oculos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis.* Et hoc latiùs deducit: ne mentis considerationem à Maria deflectas. Si te doleas abysso demergi desperationis stellam hanc intuere, in omnibus angustiis tuis Mariam inuoca, continuò illi acclama, ad latus eius non est quòd timeas, si labores, gratiâ eius eris securus, propria & viua doctus experientia, quod hæ mortuæ litteræ tibi dicunt: eius etenim nomini Deus tuum adstrinxit esse, tuum gaudium tuamque lætitiam.

III. Ioannes ad Mariæ præsentiam exultat. Ingreditur Maria cognatæ suæ Elizabeth domicilium, duas in illa visitatione virtutes exercens, feruentem amorem; gratamque humilitatem; salutat illam, & suauissimam suam explicans vocem, tantam secum educit efficaciam, vt sicut de Orpheo fabulantur antiqui, quòd suæ citharæ chordis suspensas traheret arbores; tenellus arbusculus D. Ioannes in maternis plantatus visceribus, ipsa cohibente illum natura, per gratiam & cum gratia se proripiat, sibi molestum esse ostentet, quòd detineatur, & saltibus, illataque vi, licèt infantis, rumpere conetur carcerem, & præ gaudio lætus subsiliat. Illum miratur Eusebius Emissen. & interrogat: *Dic infans, dic Propheta, Prophetarum omnium maxime, qui dignè satis non Propheta sed plusquam Propheta vocaberis: vnde tibi hæc exultatio? nondum natus, & prophetas.* Euseb. Emissen. Fer. 6. quatuor temp. Adu. Pusio præclarissime, nasciture ad Iudææ gloriam, Dei testis fidelissimus future, quem simpliciter vocare Prophetam, non leuem est illi adferre iniuriam, cùm sit omnium eminentissimus: quid intueris quod tam citò, atque in hoc obscuro, clausoque lateris ergastulo? Quam, obsecro, lucem, in hoc tenebricoso contemplatus es vidistique cubiculo? Tribus adhuc sustine mensibus, prius visibilem hunc mundum ingredere; solis radiis perfruere, & hic iustitiæ radios adora, quos in hac crystallo recognoscis; tunc optimè quadrant tantæ signa lætitiæ: contine modo ardorem, animos reprime, & tempus expecta conueniens: Dei voce respondeat, quam modò puer nequit formare, Sanctus ille, qui dubium proposuit: *Matrem Domini in voce cognoscis, quam quia resalutare non potes, exultando agis quod potes: quàm lætus ei occurreres, si iam natus eam videres, cuius voce audita exultando obuiam exire conaris?* q. d. mora nulla trahenda, tempus non expectandum audita voce Mariæ, quin exultent, etiam nondum nati: mouet ad gaudium, incitat

ad alacritatem, impellitque ad lętitiam & vt Elisabeth, *Audiuit salutationem Mariæ*; quid inde secuturum speramus nisi, *Exultauit*: si alius quispiam matrem salutasset, quietus & immotus mansisset Ioannes: sed cùm vox esset ex præsentia Mariæ, seipsum continere est illi impossibile; quamuis vteri materni cratibus detineatur: *Exultauit infans.*

2. Reg. 9. IV. Dauid ad Arcam exultat figuram Mariæ.

Nec hoc ita miremur, si ipsa etiam inanimata dum Mariæ figuras vmbrasque designant, ad gaudia chorosque prouocent, de quo grauiter D. Ambros. Quis Dauidem intuitus est coram arca fœderis præ gaudio subsilientem, in festiua eiusdem translatione de domo Obededom ad regale palatium: factus est saltator Monarcha tantus, & humili schemate, premit auctoritatem, calcatque fastum: Regis dignitatem & maiestatem tripudiis sociat iocisque plebeiorum. Non te facinus hoc commoueat: (inquit Præsul Mediolanensis) vidit etenim Arcam Dauid: hæc illum purpura denudat, illi sceptrum eripit, pedibusque, qui plumbei esse debuerant, alas addit & leuitatem; faciem eius seueram grauemque hilaribus permiscet demonstrationibus. Quid igitur tanti refert arcæ conspectus? Multum quidem per omnem modum: repræsentat enim Mariam, & cùm tantùm eius sit figura, mouet ad gaudium, cogitque principem solitam mutare grauitatem. audiatur. *Ergo saltauit Dauid ante arcam: arcam autem quid nisi Sanctam Mariam dixerimus: siquidem arca intrinsecus portabat testamenti tabulas: Maria autem ipsius testamenti gestabat heredem: illa intra semet legem, hæc Euangelium retinebat, illa Dei vocem habebat, hæc verbum. Verumtamen arca intus forisq; auri nitore radiabat: sed & Sancta Maria intus forisq; virginitatis splendore fulgebat: illa terreno ornabatur auro, ista cœlesti.* Tripudiat Dauid significans, quàm bene conueniant præsentiæ Mariæ saltationes cordisque iubilum.

D. Ambr. Ser. 80. To. 5.

D. Bern. Hom. 4. super Missus. IV. Mariæ nomen gaudium producit.

D. Bernardin. Sen. Ser. de nomine Maria.

Omnino singularem addit huic D. Bernard. conceptum. Archangelus Gabriel referens nuntia legatus Virgini pariter cognatæ eius sterilis vterum significat pręgnantem: *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.* Luc. 1. Fuit Angeli mens, cor virginis vberiori demulcere gaudio, eò quòd breuî cognata eius Elisabeth esset paritura. Verùm qua de causa hoc gaudio Mariam recreare studet Angelus? Quia Maria conceptura erat Deum, interior autem lætitia, ad eius receptionem seruit opportunè. *Intrate in conspectu eius in exultatione.* Ps. 99. Et sicut Maria secū trahit

hit gaudium, illo hoc augeatur quatenus Dei Verbum, lætum exultanſque Mariæ cor ingrediatur: & per hoc nomen eius ſit mũdo gaudium vniuerſale. Loquitur D. Bernard. *Porrò neceſſe erat, non modico lætitiæ, & amoris præueniente inflammari incendio, quæ filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus S. fuerat conceptura. Neque enim niſi in deuotiſſimo corde atque hilariſſimo tanta ſe capere poterat dulcedinis & alacritatis affluentia.* Animam eius Deus gaudio deliniuit, atque ex illius abundantia diuino eius nomini Mariæ illud communicauit.

D.BERN. Hom. 4. ſuper Miſſus.

IV. Mariæ nomen gaudium producit.

De ſe prædicti fatetur D. Bernardinus experientiam his verbis. *Teſtis conſcientiæ eſt Dominus: quod ſi quando diuina gratia largiente exterioribus curis exemptus, laudibus Virginis valeo totus vel horam occupari, tantâ mentis lætitiâ ſaucior, tantaq; interius ſuauitate perfundor, vt cunctis mundi vanitatibus, & concupiſcentijs conculcatis, nihil aliud petam, quàm cum ipſo lætitiæ ſpiritu (ſi daretur) ſtatim exilire ad Dominum.* Teſtem in animam meam inuoco Deum, quòd ſi liber ab exterioribus curis conſideratione Virginis Mariæ prærogatiuas peruoluam, linguam moueam, dicendo Maria, vel manu calamum arripiam dictando Mariam, hæc verba vel prolata ſolummodo vel ſcripta, tanta ſpiritum meum replent conſolatione, vt ſi ſæpius adhuc Mariæ nomen repeterem, neceſſariò laquei vinculaque terreſtris huius corporis ſoluerentur, moriqúe me oporteret, præ tanta nominis Mariæ ſuauitate.

D.BERNARDIN. SEN. Ser. 3. de nomine Mariæ.

Modò capio ſecundùm quod dixit Doctor Angelicus D. Tho. prout in principio patet huius diſcurſus, quod ſtella ducat ad portũ. *Ita Christiani per Mariam diriguntur ad gloriam.* Vt autem huius rationis vis lucidiùs innoteſcat, ad laudes procedamus, quibus in Canticis Spiritus S. capillos eius commendat. *Comæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus.* Quamuis autem hæc verba prima facie à ſponſa dirigantur ad ſponſum: verumtamen cùm nihil ſit inter illos diſcretum, ſed omnia communia, illa ſponſæ applicabimus. Sunt capilli tui, (ô ſponſa) ſicut elatæ palmarum. Cur palmæ potiùs, quàm alijs confert arboribus cogitationes ſtudiaque Virginis? Reſpondet inſignis Rupertus egregiè illud perpendens: quòd folia Palmæ, arboris victorioſæ ac triumphalis omnino differant ab aliarum folijs plantarum: folia namque pulchræ Oliuæ, viridis Salicis, incorruptibilis Cedri, elatę cupreſſi, altæ Pinus, gratæque Platani quaſi concidunt terramque verſus inclinantur; Palmæ verò ſurſum

D.BERN. Vbi ſup.

Cant. 5.

RVPERT. In Cant.

sum eriguntur, & quasi ad cælum aspirant, suis gladijs illud impetendo: hac quippe formâ crescunt. Sunt igitur capilli tui (ô Virgo formosissima) folia palmæ; in altum etenim dirigunt, ascensum docent ad sidera, ducuntque ad gloriam: Optimè igitur conuenit illud: *Coma eius sicut elatæ palmarum* Salomonis cum illo; *ita Christiani diriguntur ad gloriam*, secundi Salomonis Ecclesiæ D. Thomæ.

Discursus III. *Est Maria illuminatrix sol Ecclesiæ, illa quæ illuminat, sine qua nemo Deum inueniet.*

MARIA ILLVMINATRIX: *ita* ALBERTVS *in mari.* 1.p.q. 67. art.4.ad 2.

PRimitiæ operum Dei, quibus visibilis hæc pulchraque posset frui machina, lux fuit, quæ iuxta sententiam D. Thomæ, & D. Dionysij substantialiter eadem erat quæ solis, licet informis vsque in diem quartum, quo formosus ille apparuit planeta communis pater viuentium. Iisdem legibus suam fundauit Ecclesiam, quæ vocatur *Regnum lucis*. Priusquam prodiret visibilis sol iste iustitiæ, depositum, thesaurumque lucis Mariæ communicauit, quæ secundùm carnem Christum antecessit: hoc supposito deuotus adest Bernard. *Iure ergo sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuinæ sapientiæ, vltra quàm credere valeas, penetrauit abyssum: vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Profundiùs scrutemur in huius sententiæ fodina: venas etenim continet laudis B. Virginis ditissimas. Iure merito illi debetur amictus solis, cùm in illam diuinæ sapientiæ abyssus intrauerit: illam etenim ita sibi coniunxit, vt vnionem Dei cum Maria sola præcedat vnio Dei cum humanitate Christi. Hoc autem in hac prætendit, vt intelligamus Deum ab homine posse inueniri; verumtamen cùm lucem inhabitet inaccessibilem, perspicacior quàm Angelorum & hominum visus requiritur, quo conspiciatur: hic non in Angelis, nec inuenitur in hominibus, creaturis exiguis ac limitatis: & cùm desiderio flagraret se communicandi, medium inuenit suâ sapientiâ dignissimum: creauit igitur S. Mariam, tantamque illi splendorum suorum lucem radiosque communicauit, vt per eam diuini quoque splendores recipiantur, & mediante sole participatiuè, Mariam intelligo, soli ipsi per essentiam Deo scilicet comparticipemus.

D. BERN. De verbis Apoca.

I. Deus per Mariam se nobis communicat.

Theologicè hoc explicemus. Conclusit D. Thom. fieri non posse, vt intellectus creatus virtute sua viribusque naturalibus diuinam videat essentiam, & mentis

D.Tho. 1.p.qu.12. ar.4.5.

II. Nemo sine

Maria videre potest Deum.

mentis oculum in Deum clarè visum defigat: cùm enim adeò sit supernaturalis, dispositio requiritur eiusdem ordinis. Intellectui igitur beatorum quasdam claras fortesque tribuit faces, quas Theologi dicunt, lumen gloriæ, quo fortificatus & eleuatus videre possit, quod sibi relictus nequaquam posset. Hæc fax ea est quam vidit D. Ioannes in cælesti illa Hierusalem. *Claritas Dei illuminabat eam.* Sine qua Sancti perpetuis inuoluti lugerent tenebris. Modò capiemus D. Bernard. intentum. *Vt quantum sine personali vnione &c.* Lumen es (ô Regina ter maxima) gloriæ in terra: & sicut in triumphanti Hierusalem, illud Deus intellectui infundit beatorum: ita in militante officio fungeris luminis gloriæ: quandoquidem sine tuo fauore, lumine & ducatu sciamus videre aut inuenire Deum posse neminem.

Apoc.21.

Ne verò hæc dicta videantur hyperbolicè, confirmemus illâ sententiâ D. Alberti Doctoris Angelici Præceptoris, applicantis illud Psalmistæ Beatissimæ Virgini: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Omnes etenim qui sub eius viuunt protectione securi degunt & excitati, sicut in cælo: videtur attamen, Doctor ipse sibi contradicere. Gaudium perfectaque quies cordis tantùm inuenitur in visione Dei in æterna nempe beatitudine, vbi desideria quiescunt, impletur capacitas, & cessat inquietudo. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec reuertamur ad te*; proloquitur D. August. Qua igitur ratione priuilegium illud soli Deo proprium transfers ad Mariam? Respondet illi optimè conuenire: nam propter excellentiam quandam particularem suoque modo, gloria est Maria: quia in illa Deus videtur, & proprietates cæli ipsa complectitur. *Omnium hominum affectum trahit ad se, & omnium desiderium (attendite) quietat in se: vnde ipsa est lætantium quasi quoddam spirituale regnum cælorum.* Non multa dixi, dicendo Mariam cælum esse & gloriam: quandoquidem sicut cælum rapiat, amore succendat, suspendat, & tranquillet; & sicut gloria Deum reddat visibilem, desiderijs tribuat quietem, speique possessionem. *Quietat in se &c.* Et D. Method. Episcopus Tyri sic eam salutat: *Salue glorificata Deoque digna sedes, quæ solis mentis oculis conspici potes:* conditiones sunt hæ cælestis gloriæ. Hoc S. Scripturæ locis affirmemus. Nocte illa, quæ meridiem sua luce superabat, in qua melliflui facti sunt cæli, in qua natum est Verbum æternum; silentium frangunt cælestes alatique spiritus tumultu quodam & strepitu armorum, for-

Psalm. 86.

III. Maria cælum cur dicatur.

ALBERT. In Marialic.198.

D. METH. Orat. in Hypapan. Domini.

formántque exercitus & militum ſtatuunt legiones: *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis.* Ad paſtores accedunt fœcundis in pratis Bethlehem oues ſuas paſcentes, noua nuntiant illis acceptiſſima, præcipiunt vt pergant Saluatorem adoraturi: & verba notemus, *Inuenietis infantem pannis inuolutum & poſitum in præſepio.* An fortè meminerunt Matris illius? numquid Mariam nominant? Nequaquam. Aduertamus igitur quem accedentes primò offendant, & videbimus, quòd Mariæ occurrant: *Inuenerunt Mariam & Ioſeph & Infantem.* Paſtores ſancti, iam non ruſtici, ignari & hebetes, ſed vrbani, comici, & eloquentes quando vobis præcipitur circumſtantiis adeò particularibus & diſtinctis, vt tendatis puerum viſuri, eumque Deum: & quando non habere debebatis oculos ad aliud quidquam videndum præter Saluatorem: & dum Angeli velut zelo feruentes, ne fortè viſum veſtrum in aliquid quod Deo minus eſt, intenderetis, videntur non nominare matrem, quomodo primo illam loco conſpicitis? Vtique. Eſt enim Maria lumen gloriæ: & ſi in primo acceſſu hominum oculi videre debent Deum, primò per Mariam intellectum adferant roboratũ. Domino ſuo huius conceptus reddamus acumen D. videlicet Bernardo. *Numquid non ab initio primùm veniſſe paſtores, & primùm omnium Mariam inueniſſe leguntur? Inuenerunt (ait Euangeliſta) Mariam & Ioſeph, & Infantem poſitum in præſepio.* Maria occurrit, primo gradu, ad portam, ad ingreſſum.

Luc. 2.

D. BERN. De verbis Apocal. Signum Mag.

IV. Maria ſemper adfuit filio: præclara ratio.

Proſequitur illud Rupert. & vt certum aſſerit, quòd B. Virgo ſemper filio ſuo adfuerit lateralis ſpectatrix miraculorum eius & teſtis prodigiorum: tantum triduo illo abfuit, nam vt ex dolore meritum illius accreſceret, ſol ille Eclipſim paſſus eſt: deinde quadraginta illis diebus quos in deſerto ieiunio conſecrauit: reliquo verò tempore illi comes adhæſit indiuidua. Idem teſtatur Arnoldus Carnotenſis. *Ab ortu Saluatoris vſque ad baptiſmum anni triginta defluxerunt, nec toto illo tempore, ſeiuncta eſt mater à filio, ſemper indiuidua illi adſtitit.* Quærit igitur Rupert. *Cur non potiùs in abſcondito te continuiſti? Cur non confirmaſti tibi ſecretum contemplationis?* Cur, ô Regina ſolitudinem non eligis & ſeceſſum? *æquum non eſt vt te familiariter vtantur homines, licèt etiam Apoſtoli, cum cæleſtibus ſpiritibus & amore feruentibus tuam conuenit eſſe conuerſationem: nec decet vt omni ſemoto velamine contemplentur mortalium oculi diuinam illam faciem, ſpeculum, inquam, in quo Deus videtur;*

ARNOL. CARN. To. 1. Bibl. Pat. Tract. de laud. Virg.

tur; inter splendores Angelicos viuat Maria: nec enim terra meretur, nec tantæ capax est felicitatis, nec sustinere valet vt vel plantæ Virginis Mariæ tot fauoribus grauidæ eius insistant pauimento. Maria. Si vates Elias, si prodromus Christi Baptista Ioannes eligant solitudines, incolant deserta, montes inhabitent quæ proposito optimè respondent ad contemplationem diuinasque captandas delicias, cælorum atria, vbi Deus animam alloquitur: *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius*: cum interiori exteriorique silentio, cum pace & quiete, quam summopere communicatio præpedit creaturarum. Et ipsa tantò sit Elia & Ioanne excellentior, vtpote Regina, illi verò serui, non illam homines clarè contemplentur. Audiamus qualiter illud exaggeret Abbas Tuitiens. *Sed tu, ô cælum Dei, vnica sedes Domini: quid ergo tu conuersari cum hominibus, quamuis sanctis, quid tu loqui vel conuersari cum mortalibus quamuis Apostolis? cur non potiùs tanquam turtur castissima, turtur soliuaga, solitudinem expetijsti remotior quàm Joannes Baptista, secretior quàm Elias, vt soli te scirent, tibiq; famularentur Angeli sancti!* Non leue est dubium, notetur responsio. Solem Mariam creauit Deus ad bonum totius vniuersi: & cùm homines Deo indigeant, vt ipse videatur, luce opus est, hæc autem est Maria: non à nobis auferatur, terram illuminet, radios suos ad mortales diffundat, loquatur agatque cum hominibus suprema illa Domina, quam venerantur Angeli: quam licèt illi soli debeant possintque audire, nostri tamen emolumenti intuitu & ad commune hominum bonum fiat ipsa humanior, quæ eiusdem boni gratiâ Deum in se inuisibilem reddidit visibilem; Deum, inquam, qui sola voce perterrebat, quando cum peccatoribus agebat, Deum hunc ita eleuatũ & excelsum inclinauit, & ipsa pariter Maria seipsam inclinet, licèt adeò sit diuina. *Loquere* (ait Rupert.) *prout ad confirmandum pertinet Euangelium, & in hoc optata tibi quietis patere suspendium: vt gratum singulari pudicitiæ tuæ, propter me, rumpas silentium.* Teipsum (ô Domina) demitte, tuamque ad humani generis vtilitatem humilia celsitudinem, abyssum hanc luminis, vibrantesque huius solis radios attempera cùm te Deus nobis lucem creauerit, ô Maria illuminatrix.

Oze 2.

Discur-

Discursus IV. *Est Maria idem quod Mária, id est Congregatio aquarum : illam namque Deus creauit mare perfectionum & excellentiarum.*

CHRYS. *Serm.* 146. ALB. BONAV. *Gen.* 1.

MAre & aquæ primus fuêre currus Spiritus S. (*Spiritus Dei ferebatur super aquas*) inter omnia elementa prodigiũ est maximè stupendum, in tantum vt crediderit Dauid illos, qui eius vndas sulcarant, periculaque viderant, potuisse dicere: vidimus opera Dei : *Qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini.* Piscium varietas, maiori multitudine & numero, quàm aues cæli, & bestiæ terræ, fluxus eius & refluxus, Maria, eius fremitus, & procellæ ad sidera subleuatæ, triremes & naues quas sustinet instar ciuitatum ad negotia ac hominum commercia, eius corallus, arbores marinæ, succinum, cochleæ margaritiferæ, conchæ, portus, sinus, manus seu brachia, quibus eos recipit qui in alto mari pericula sustinentes eo se in tutum recipiunt, color aquarum eius quem Poëtæ dicunt, cæruleum, cuius profunditatem ex cæli profunditate metiuntur ad differentiam fluuiorum ornatorum vestitu & epigraphe quam terra complectitur per quam transeunt, & omnia denique quæ perpendunt scribúntque naturalistæ, nullo negotio accommodari poterant D. Virgini. Quòd si Deus mari nomen imposuit: *Congregationes aquarum appellauit maria*, ita & Mariæ, vt dicunt SS. Patres, quinque litteras habet maria, similiter quinque nomen Mariæ, si ibidem piscium multitudo symbolum peccatorum, huc illi se recipiunt. *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic* : si in mari portus sunt & sinus, in Maria portus statuit & sinus misericordiæ: ita D. Bernard. *Omnibus enim sinum suæ aperit misecordiæ:* si ibidem naues: similiter & in visceribus Mariæ, quandoquidem: *Facta est quasi nauis institoris.* Cœperunt inter se negotiari & commercia agere, regna non minùs ab inuicem quã cælum à terra separata : O *admirabile commercium* &c. canit Ecclesia : si mare colorem referat cælestem, terrestem autem flumina, ratio sit hæc, quia respectu Mariæ Sancti omnes terra reputantur, ipsa verò vt cælum honoratur. Si mare producat in conchis suis margaritas gemmasque pretiosas: mare & concha prædicatur esse Maria : nobis etenim gemmam protulit verbi Dei : sic eam appellat D. Epiphanius : *Mare spirituale*

Pf. 106. 33.

D. HIER. *In Matth.* ANSEL. *de Concep. Virgin.* c. 2.

Pf. 86.

Prou. 31.

Epiph. Ep. Const. Bibl. Pf. Tom. 3.

I. Similitudo inter Mariã & maria.

habens

habens cælestem gemmam Christum.

II. Maria mare est dignitatum.

Inhærere tantùm desidero, pedemq; figere (si possibile sit in abysso, in quâ nec Angeli pedem figere possunt) in significatione marium: nam in Hebræo idem est quod congregatio aquarum: notans in Maria mare priuilegiorum & dignitatum.

Albert. In Mariali.

Albert. *Congregationes aquarum appellauit maria: locus autem omnium gratiarum vocatur Maria.*

Bern. Ser. 1. in Salue.

S. Bern. *Origo fontium & fluminum mare: virtutum auctrix & scientiarum scientia sanctarum Maria.*

Bonav. In Spec. Virg. c. 3.

D. Bonau. *Omnia flumina intrant in mare: omnes gratiæ intrant in Mariam flumen gratiæ Angelorum, flumen gratiæ Apostolorum &c.* Quidquid eminens & præclarum in SS. laudatur scripturis, totum in se Maria complectitur. Prologus sit Dauid pater illius, felicissimus eius antecessor, ait enim:

Ps. 44.

Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Regina antonomasticè, cui si præclarissimas conferas, ancillæ sunt, & mancipia, stat à dextris suis (hoc est diuinis vt mater participans bonis) eiusque vestis, tunica est talaris aurea, circumornata varietate. Nebiens. legit: *Scutulata varietate.* Duo mihi ad oculum occurrunt insignia quoad illud, *Circumdata*, & *Scutulata.*

III. Similitudo.

Habent pro more duces strenui & magnanimi quædam edere stratagemata in oppugnatione vrbium, vel super hostium muros Regis sui vexillum plantare, vel primi scalis admotis muros superare, vel è manibus hostile extorquere vexillum. Factum hoc heroicum aliaque similia generosi animi testimonia meritò stemma eorum reddunt illustrius, scuta, epigraphes, armaque tribuunt contra transeuntis temporis iniurias, quod rerum omnium inducit obliuionem: hinc efformati sunt in cristis galearum vrsi, leones, minotauri, lupi, serpentes, aquilæ, castra, vexilla, Reges concatenati: quinimò ambitio humana non contenta scutis suis ac imaginibus titulos & inscriptiones inscribere terrenas, in cælum ascendit, indeque Solem, Lunam, Stellasque deprædatur.

IV. Applicatur Ecclesiæ.

Idem sit argumentum de Ecclesia (quam militiam nuncupamus spiritualem: *vt castrorum acies est ordinata*) in illa præclara brachiorum fortium scutorumque facta celebrantur, quibus illustrantur: Noë ab Arca commendatur, in quà generis humani reliquiæ diluuium feliciter euaserunt; scala nobilitauit Iacob; rubus ardens incombustus Moysen illustrauit; eius fratrem Aaron virga florescens insignem reddidit; Sol in medio suo cursu consistens, Regesque deuicti Iosue progeniem extulerunt; Gedeon à vellere traxit originem;

nem; & in lege gratiæ tituli qui correſpondent Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Virginibus. Porrò in Maria noua & vetera, præterita & hodierna eminenter comprehenduntur: tantaque à reliquis Sanctis diuerſitate, vt quidquid in illis nobiliſſimum eſt ſcutis nobilitatis eorum inſerendum, in Maria videatur *In fimbriis:* hoc etenim quod in hominibus extollitur vt maximum, in Maria deprimitur vt minimum: atque ex nobilitate ſcutiſque meritorum ex animi roboris eorum argumentis, Deus matri ſuæ veſtitum componit reliquias, fimbriam quam proterit, oramque quam calcat. Ita D.P.Chryſol. (ni fallor) *Aliis per partes, Mariæ ſimul ſe totam dedit gratiæ plenitudo.* In Mariam defluxerunt omnes gratiæ (ſunt enim ſpiritualis & vera nobilitas) velut in centrum ſuum. *Aliis per partes:* ceteris autem creaturis diuiſæ ſunt, vna vel altera; ſed *dedit ſe,* ipſe plenus, ipſa coniuncta plenitudo, dignitatum congeries ſe tradidit illi vt captiuam: & velut ſuperiori ſuæ pedibus eius alij ſe proſternunt, quos cum omni ſubmiſſione adorant, & humiliter oſculantur.

D.PET. CHRYSOL. *Serm.* 143.

V. Se totum Deus Mariæ tradidit.

Secundum, nobis hîc expendenda eſt verſio Caietani: nam loco *In veſtitu deaurato,* legit ipſe, *In Maſſa Ophir:* terram ſubſtituens, in quâ naſcitur aurum, pro ipſo auro: vnde *Maſſa auri* propriè eſt cumulus auri. O cæleſtis Maria, tua namque ornamenta maſſa ſunt auri: terra etenim es opulenta, & aurifera: & ſicut ille, qui de ciuitate migrat, vendit quęcumque poſſidet, hortos, domos, poſſeſſiones, atque ex eis pecuniam conflat, vt totum omne tantò faciliùs ſecum deferat; ita ſimiliter diuinus ille artifex vt creaturas tantò maiori contemplaretur voluptate, eas omnes in Maria conſtituit, nam ex ſe ſolæ non tantam illi voluptatem adferrent: deſcendit igitur in Mariam terræ firmitas, aëris ſubtilitas, maris fecunditas, igniſque actiuitas. Sol pallium illi miniſtrat, ſtellæ diadema contexunt, luna ſe pedibus eius ſubſellium proſternit. In Maria fidem collocat Deus Patriarcharum, oculum perſpicacem Prophetarum, prædicationem Apoſtolorum, robur Martyrum, mortificationem Confeſſorum, puritatem Virginum, matrum fecunditatem.

Ad Pſ. 44.

VI. Mariæ præeminentiæ.

Cæleſtibus iniungit ſpiritibus vt titulos ſuos Mariæ deferant: cuſtodiam ſuam Angeli, legationes ſuas Archangeli, ſuperioritatem ſuam Principatus, robur ſuum Poteſtates, altitudinem ſuam virtutes, ſedis Dei dignitatem ſuam Throni, dominium ſuum Dominationes, ſapientiam ſuam Cherubim, ardorem ſuum Seraphim. Hæc omnia vnico

vnico verbo profatur D. Gregor. Neocæsar. *Maria gratiâ plena dicitur: quòd in illa Virgine totus thesaurus gratiæ recondetur.* Totus thesaurus diuitias significat *In Massa Ophir.* Congregationem nobilitatis, *Scutulata varietate.* D. Ioannes Damasc. *Abyssum gratiæ,* & mare, gratiam coronatam: quia eius gratia Regina est gratiarum omnium & dignitatum. Locus vnicus ex Canticis hoc nobis confirmet: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.* Pagni. *Plantationes tuæ.* Origen. *Scaturigines tuæ.* Egressus tui, canales & principia (ô Maria) paradiso comparantur malorum punicorum. Malum punicum crescere incipit à corona, ad differentiam aliarum plantarum, quæ coronas non præferũt. Coronatæ proueniunt Mariæ prærogatiuæ: quia etiam in nomine suo (primum etenim est quod manifestant) prodit coronata.

GREGOR. NEOC. Ho. in Annunt.

DAMASC. Orat. 1. de Natiuit. Virg.

Cant. 4.

VII. Omnium rerum perfectiones in Maria.

ALBERT. c. 75. Mariæ.

Acumen suum proferat Albert. Magn. ne etenim Mariæ priuilegium aliquod deesset, quod hominibus esset communicatum, illi Deus communicauit gratias gratis datas, & iuxta aliquam proportionem ministerium quorumdam Sacramentorum, & donum prophetiæ: quandoquidem diuina fuerit Prophetissa: *Accessi ad Prophetissam,* inquit Isaias; quod plures Doctores interpretantur de B. Virgine. Discretionem & notitiam spirituum, Donũm linguarum: cùm hoc acceperit, sicut alij Apostoli in die Pentecostes; interpretationem habuit scripturarum vt Magistra &c. & ita de reliquis. Sed vlteriùs progreditur & honorat illam Deus: ita vt in Maria veneremur Sacramentum Ordinis, eo modo quo possibile est, & quod per illud traditur ordinatis in gradu quodam speciali & heroico. Exorcistis tribuitur potestas expellendi dæmonia. Numquid inferno terribilius quidquam est ipso nomine Mariæ? Non puto: loquatur D. Bern. *Non sic timent hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aëriæ potestates Mariæ patrocinium, vocabulum, vel exemplum.* Doctus Discipulus, cùm magister esset, cui humilitas nomen hoc indidit, refert, dum diabolus mulierem quandam interiùs exteriusque prosequeretur, datum fuit illi consilium vt in eius phantastica præsentia, quando eum cerneret apparentem, sæpiùs inclamaret, *Aue Maria:* quod cùm ille nomen audiret, velut sagitta vel fulgure percussus abiit, nec vltra reuersus est eam turbaturus. Corruit Dagon coram Arca figura Mariæ, vibrantissimos lucis illius radios, Princeps tenebrarum ferre non sustinens. Ostiariis participat: ipsa namque cæli portas aperit, imò

Isai. 8.

CYRILL. In Isai. l. 1. or. 5.

NAZIANZ. 3. or. 42.

EPIPHAN. hæresi 78.

BERN. Hom. sup. Missus.

DISCIP. ser. 74. de Maria.

VIII. Exemplum de nomine Mariæ.

imò & ipsa porta est: *Tu porta lucis.* Acolytorum fungitur officio, scilicet illuminare: est enim Maria lucerna quam Deus accendit vt per eam Ecclesiam suam illuminaret.

Inter Doctores numeratur, quibus competit legere & interpretari S. Scripturam. Maria *doctrix est disciplinæ Dei,* inquit de illa Sapiens. (Sap. 8. 4.) Cùm Subdiaconis ministrat, qui librum Epistolarum deferunt. *Doctrinæ Apostolicæ ostensionem*, fuitque Maria Magistra Apostolorum. Diaconis incumbit custodia Euangelij, & cui hoc magis proprium quàm Mariæ? *Conseruabat omnia verba hæc*; testatur Euangelista. Nec à Sacerdotibus excluditur, quorum tanta est auctoritas, vt quinque verbis Dei Incarnationem in hostia perficiant: & aliis similiter quinque, Maria Dei filium in purissimum suum attraxit vterum, reliquiarium & arcam omnium, vt capacissimum, ita dignissimum. In illa tandem congregatio notatur omnis boni cumulus & pelagus eminentiarum.

Discursus V. *Virgo Maria, Domina est per excellentiam, non tantùm ob supremam Matris Dei dignitatem, sed etiam ab illa abstrahendo propter nomen Maria.*

(Maria, id est, Domina. Sic ARNOL. CARN. de laud. Virg.)

EXimius ille Theologus D. Damasc. in Virgine titulum expendens matris Dei, vlteriùs progredi non potuit, humeros contraxit, calamum suspendit, atque ex tam præclaro principio concludit eam esse Dominam omnium. (DAMASC. L. 4. fid. c. 15.) *Domina facta est omnium creaturarum, cùm conditoris omnium effecta est mater.* Demittunt Angeli alas suas sublimissimas, inflectunt homines obstipa sua colla, genua flectunt omnes creaturæ & Mariam adorant, cùm sit earum Domina, ea quæ mater est earum Domini. Dignitatem hanc oculis fidei, dignaque considerauit æstimatione, ac breui sententia longissima illius conclusit laudum encomia D. Epiphan. (EPIPHAN. De laud. Virg.) *Quibus verbis explicabo gloriam radicitus fundatam?* Siste Doctor eximie si forte vi considerationis tibi termini exciderunt Theologici. (I. Maria quomodo dicatur gloria.) Esse matrem Dei, gratiam hoc ego dixero, dignationem & liberalitatem quâ Deus creaturam suam honorauit: gloria vero ea est, quâ fruitur beatus in Deo clarè viso. Gratia, fauor

fuerit,

fuerit, qui amitti poterat: gloria verò merces est ęterna & irreuocabilis & in cælo; dicit, officium matris Dei, quod in terra habuit & exercuit Virgo; quomodo ergo dicis gloria? datis cōstans adhæreo. Poterat Sanctus hic à sua se expedire difficultate, meque à mea, quâ teneor, liberare, dicendo: quòd sicut ille beatus est, qui omnia habet in Deo, ita etiam omnes prærogatiuæ in eius nomine comprehenduntur. Et cùm asserant Doctores quòd sæpiùs in hac vita diuinam viderit essentiam*, vocari potest gloria esse matrem Dei, & huius intuitu dari cognomen hoc gloriosæ, Virgini Mariæ. Verumtamen per illud nostrum nequaquam requiescit desiderium, quinimò iterum vrget, quid voluerit dicere D. Epiphan.? Quantum intelligo Vates Euangelicus Isaias hoc explicat: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Inusitata profectò phrasis loquendi. Quis vnquam vidit radicem impolitam florescentem? in tenerrima arboris parte, in delicatis eius virgulis ramisque subtilioribus, optimè: radix autem seu truncus quando flores germinauit? numquam. Verè dixerim dubium hoc proposuit D. Bern. cuius responsione ei satisfit: *Dixisse poterat & flos de virga, sed maluit de radice, vt vnde virgam, inde florem duxisse originem demonstraret.* O

Isai. 11.

II. Dignitas matris Dei.

D. BERN. L. 5. de Consid. c. 10.

cælestis Regina, flos eras viuens in terra, licèt nondum vitæ fructum protulisses, aut eum mortis tributo subiecisses; naturæ communis hæc est conditio, nec clarè Deum videbas per essentiam: cui continuò innitebatur: *Non videbit me homo & viuet.* Sed existens semper mater Dei, quæ dignitas radix est, per hanc quasi conuersus est flos tuus in fructum, & viuere tuum in terra, erat quasi viuere in cælo. Hæc est illa gloria in radice maternitatis Dei fundata: *radicitus fundata.* Ne verò extendere me videar, legatur Albertus Magn. Virgo hîc intensissimo Dei amore flagrauit: supremus autem Angelus, qui Deo fruebatur, hoc enim libenter concessero (ait doctissimus Theologus) fuit eminentior: *Propter conditionem subiecti:* nam comprehensor erat, Maria verò viatrix: attamen in reliquis illum excessit: igitur gratia eius quæ est matris Dei gloria vocari potest, in sensu prædicto. *Ipsa est* (ita Bern.) *Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogatiua Mariæ, quòd filium vnum eundemque cum Deo Patre meruerit habere communem.* Eundem habuit, quem Deus, filium, & ex parte communicat mater, existens creatura, cum Patre creatore. Et Fulbertus aureo verbo proloquitur: *Filij gloriam cum matre non tam communem diiudico quàm eandem.*

C. 78. in Mariali.

D. BERN. Ser. 2. de Annunt.

FULBERT. Episc. Card. de Natiuit. Virg.

dem. Si eadem sit matris & filij gloria, concinnè dicitur flos gloriosus in radice fundatus. Eusebius Emissen. eleganter expendens illud D. Matthæi: *Cùm esset desponsata mater Iesu:* sic ait: *Quæritis fortasse, qualis mater: quærite potiùs, qualis filius.* Si à me popósceris, quænam sit illa mater? dicam, primò cognoscamus filium, dicit enim relationem: cumque ille sit ipsa gloria, erit & suo modo ipsa mater gloria. Ex suprema hac dignitate collegit D. Petrus Damian. tantam in Virgine potestatem vt dicat, non rogat in cælo sed imperat. Grauissima eius verba ne prætereamus. *Accedit ad aureum illud diuinæ seueritatis tribunal, non rogans sed imperans, domina, non ancilla: quomodo enim potestati tuæ obuiare poterit potestas illa, quæ de tuis visceribus traxit originem?* Non accedit (Maiestas tua) reformidans, vt alij Sancti, quantumuis familiares sint ad iustissimum Dei tribunal: tota fiducia constans ad diuinæ præsentiæ tribunal ingrederis, non deprecatura sed præceptura. *Non rogans, sed imperans:* numquid vt ancilla? nequaquam. An vt Regina & Domina? vtique. Quî namque fieri potest, vt desideriis votisque tuis contradicat, aut potestati tuæ diuina se opponat potestas: quandoquidem de tuis nascendo virgineis visceribus (loquamur ita) egressus sit Dei filius cum inclinatione quadam, certoque debito iisdem tuis visceribus reuerentiæ? Extendit Rex Assuerus virgam auream Reginæ Esther turbatæ, & præ timore nimio collabenti; quia non vocata præsũpserat Regis adire præsentiam. Hoc Maria non obseruat; semper etenim Deo præsens adstat, virgam tenet auctoritatis eius, imò & ipsa virga est. *Virgo Dei genitrix, virga est.* Vnde quod de se Christus attestatur: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra,* appropriat D. Bern. B. Virgini. *Data est ei potestas in cælo & in terra, quæ posse potestas est, & in manibus eius vita & spiritus nostri.*

EMISSEN. *In Vigil. Natiu. Matth. 2.*

PET. DAMIAN. *cit. à Sala Prin. 8. fol. 25.*

III. Virginis Mariæ potestas.

Matth. 28.

D. BERN. *Serm. 1. sup. Salue.*

IV. Historia.

Traditæ sunt Alexandro Magno ex parte matris illius litteræ, quibus aliquid ab illo postulabat, quod ille facere recusabat, cumque se naturali obligatione constrictum cerneret ei à quâ genitus fuerat, cuidam suo familiari sic ait: Graue nimis tributum est, nouem mensibus iacuisse in ventre mulieris, tributum est meam superans magnitudinem, quis illud poterit non soluere? Verbum Dei nouem mensibus recumbere dignatum est in matris suæ purissimæ visceribus, vt ipsa Domina fieret, quæ imperaret, & Deus nullas alias quàm Mariæ haberet manus: quocirca Arnold. Carnot. postquam interpretatus fuisset in lingua

ARNOLD. CARNOT. *Tom. 1. Bibl. PP. de laud. Virg.*

lingua Syriaca nomen Mariæ, id eſt, Dominam: *Lingua Syriaca, Domina dicitur, Chriſtus Dominus, Maria Domina*, hæc addit. *Nec à dominatione vel potentia filij mater poteſt eſſe ſeiuncta, vna eſt Maria & Chriſti caro, vnus ſpiritus, vna charitas, & ex quo dictum eſt ei, Dominus tecum, inſeparabiliter perſeuerauit promiſſum & donum.* Poteſtas filij, matris poteſtati vnitur, vnus ſpiritus amborum & amor; atque ex quo Angelus eam ſalutauit *Dominus tecum*, fauor & gratia cum ipſa perſeuerauit, vt cum Deo pariter Domina fieret gloriæ. Finem imponat præclariſſimo conceptu quem de hac materia conſcripſit D. Antoninus; eleganter annotauit quòd numquam in Euangelio legatur Virgo Maria aliquod à filio ſuo pro aliis expoſtulaſſe beneficium, niſi tantùm verbis planis ac ſuccinctis, quæ magis in ſe cõprehenderent inſinuationem, & deſiderij ſui ſignificationem quàm preces, rogationes, aut ſupplicationes. *Non obſecratione, ſed inſinuatione.* Proponit exemplum in nuptiis Canæ Galilææ: vini namque defectum notans, ſic ipſa filio: *Vinum non habent.* Fortè addidit: Domine rogo te, huic ſuccurre neceſſitati? non addidit: tantùm deſiderium ſuum indicauit; hinc totum euoluamus Euangelium, & patebit, cæteros omnes humili reuerentia poſtulaſſe, quâ declarabant, creaturas omnes illâ eſſe ſe lõgè inferiores. Cùm hoc igitur ita ſit; quâ ratione Virgo hanc tranſgreditur regulam, pertranſit ſphæram, eoque aſcendit, vt vbi alij ſanctitate conſpicui deprecantur, ipſa virgo præcipiat: vbi illi libellos porrigunt ſupplices, vnicum tantùm Mariæ ſignum ſufficiat, quatenùs illo tantùm & nullo alio Deus ſe deuinctum, victumque oſtendat? Hic matris Dei dignitas innoteſcet: nec enim aliquid hîc reſeruatur, nihil hîc ſcimus eſſe diſcretũ, idq; in ipſa fundatur natura, vt mater, (licet filius ſit Deus) nam eo ipſo quo digna aſſumitur, non roget, non ſupplicet cum ceteris. Lubet eius verba proferre. *Et oratio quidem Sanctorum non innititur alicui iuri ex parte ſui, ſed tantùm miſericordiæ ex parte Dei. Oratio autem Virginis innititur gratiæ Dei, iuri naturali, & iuſtitiæ Euangelij.* Tres hîc aſſignat titulos ob quos par eſt vt virginis preces votaque citiùs exaudiantur. Primus Dei innititur miſericordiæ: ſi namque aliis ex miſericordia dona concedit, quantò magis matri ſuæ. In lege naturali, ſecundus hic eſt, ex eo quòd filius obligetur vt ſuæ eſſentiæ principio. Tertius additur ex Euangelio, in quo hæc filiis erga parentes obedientia commendatur: vnde ſic concludit:

V. Maria non orat ſed imperat.

Ioan. 2.

dit: *Et sic oratio eius erat nobilissimus modus orandi, cùm quod habeat rationem iussionis, & imperij: tum quia impossibile erat eam non exaudiri.* 3.Reg. c.2. *Ecce mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Orationem regiam & nobilem appellat orationem Mariæ, aliorum autem seruilem & infimæ sortis, excellentissimas dicit preces Mariæ, vtpote imperiales: nomen illis imponit non rogationis, sed imperij, non supplicationis sed præcepti: quocirca fieri nequit vt Maria quidquam pro voluntate sua votoque postulet, & Deus non exaudiat, qui in hoc suam deposuit voluntatem & fixit delectationem.

3.Reg.2.

Iam ergo respondeamus primariæ nostri discursus quæstioni. Similiter sequitur esse Dominam, & Mariam vocari, eò quòd nomen hoc tantam includat auctoritatem, vt illi Deus omne alligauerit dominium, omnisque boni possessionem. Albertus Magn. ingeniosè notat, nullam veteris testamenti, cum in illo tot fuerint qui Mariæ figuram prætulerunt, hoc nomine fuisse decoratam, (præter sororem Moysi & Aaron) nec etiam virginem nominatam fuisse earum nomine quæ illam adumbrarunt. Non Euam, Saram, Rebeccam, Rachel, Liam, Iudith, Esther, Annam, &c. Et postquam in mundum venit, tot nominatæ sint Maria. Subtilis sanè conceptus; suum nobis exponat eximius ille Doctor ad laudem Mariæ. Quòd non vocetur vt vna ex antiquis, eius attribuitur dignitati, ceteris omnibus superiori, de quâ & per quam eã recipiunt; vnde nec nomen suum Mariæ communicent veniente Maria; & in lege gratiæ, multæ sint quæ hoc nomine insigniuntur in eo significantes & protestantes, se Mariæ famulas, omneque bonum ipsis à Maria dimanaturum. Hæc eius sunt verba: *Vt dum nulla ipsam figurans simile habeat nomen, ipsa omnium significantium debet transcendere rationem:* deinde: *Nulla tamen ab eius participatione excluditur.* Saltem quia cum nomine aliquid habent commune cum Maria, per hoc Deum obligant vt per Mariam illis faueat, quæ hoc nomine denotantur.

ALBERT. MAGN. *de nomine Virg.*

VI. Sola soror Moysi virgo fuit & dicta Maria in veteri lege.

Attollit hoc altiùs insignium parens conceptuum D.P. Chrysol. Admiratur hic non parum phrasim loquendi Euangelistæ: *Cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph.* Vt sapio, inquit Antistes hic Rauennas, sufficeret dixisse Mariam fuisse desponsatam, non eam vocando matrem: sponsa namque nondum mater est. *Suffecerat dixisse: cùm desponsata esset Maria: quid sibi vult sponsa mater? si mater non sponsa, si sponsa non adhuc mater.*

Matth. 1.

VII. Mariæ nominis prærogatiua.

CHRYSOL. serm. 146.

mater. Iusta cesset admiratio, & notemus ab Euangelista positum eius nomen, dictumque Maria, quam ita vocando certum erat, quod omnibus potiretur bonis ac priuilegiis: quamuis enim Verbum æternum nondum de cælestibus eius egressus sit visceribus, nec mulier vocetur mater ante partum: Hæc tamen regula locum non habet in Maria: nam anticipatiuè illam Deus honorat: quia Maria nomen est, cui totum anticipatiuè debetur, & dicendo Maria, siquidem illum tantùm concepisset, quasi iam illum suo de pectore gestaret, brachiisque constringeret, matrem vocat: quandoquidem occasionem tẽpus, punctumque non inuenit, nec est, (inquit D. Pet. Chrysol.) in quo, quia Maria est, diuinum hoc illi non adscribamus epithetum: *Ante Maria genitrix: quando non? quæ sæculorum generauit auctorem, principium dedit rebus.* Ne nos succincti simus, cùm Deus ipse liberalis adeò sit & extensus, vt velit, quod nominando Maria, eamque vocando Mariam, illam matrem eius appellemus.

D. PETR. CHRYSOL. Serm. 146.

Discursus VI. *Tantum est nomen Maria, vt relinquens nobis illud in pignus & reliquiarium, Deus satisfecerit, mœroremque terræ temperauerit, in eo quòd à nobis in cælum rapuerit corpus Virginis sacratissimum.*

IVsta, meo quidem iudicio, querimonia in nostra exordior solitudine, & destitutione: cùm sibi Deus cæleste matris suæ rapiat corpus, cùm sit & hominum, nosque consolatione priuet quâ visitando eius sepulchrũ fideles mulcerentur. Nonnullas audiamus, (vt ratio clariùs innotescat) vtilitates & commoda, quibus ex Sanctorum corporibus ac reliquiis quas apud nos custodimus, nos frui posse gaudemus: vnicus sit nobis elegantissimus ac grauissimus Doctor D. Ioan. Damascen. *Fontes nobis salutares Dominator noster præbuit, Sanctorum reliquias, multimoda beneficia scaturientes, vnguentum suauitatis emanantes, & nullus discredat: si enim ex rupe, & firmo saxo aqua in eremo prosiliuit, volente Deo: & ex maxilla asini Samsoni sitienti; ex Martyrum Reliquiis vnguentum suaue olens emanare incredibile est? Nullo pacto profectò, his qui sciunt Dei virtutem, & ab ipso Sanctorum honorem.* Et quid miramur

D. DAMASC. l. 4. fid. c. 16.

I. Fructus ex SS. reliquiis.

ramur Dei virtutem ad honorem amicorum suorum efficacem testem quanti illos faciat, cùm illi viuentes digna fuerint Spiritus S. templa. Progreditur: *Mortuum enim corpus quomodo miracula operari potest? quomodo igitur per eos dæmones abiguntur, infirmi curantur, cæci vident, leprosi mundantur, tentationes & tristitia soluuntur?* Actiones sunt hæ vitales & ardentes, licèt sub frigidis tectæ cineribus. Tandem, inquit præfatus Auctor, ibidem sunt benefactores nostri, quos vocat *Adiutores totius generis, Deo pro nobis supplicationes porrigentes.* Nec minori verborum elegantia exprimit hoc D. Eulog. Alexand. *Ostendit ossa illa vitam dare posse, & accedentibus medicinam præbere: Hæc enim ipsa ossa, quæ à Christo nunc conseruantur, sibi inuicem vnita, animæ coniungentur, & mercedem simul certaminum accipient: Et multa alia possem aßumere ad demonstrandum ineße virtutem aliquam oßibus Sanctorum.* Pulueres illi minutissimi vniendi postmodum animæ glorificatæ, vult Deus vt etiam in terra modum habeant vitæ ita superiorem ea vita quam degimus, vt spectaculum sint beneficiorum iis qui se meritis illorum commendant, additque Episc. Taurinens. D. Maximus: *Cùm his autem nobis familiaritas est: semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur; hoc est in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt.* Idem asserit D. Ambros. in graui quadam sententia D. Irenæi Martyris: *Amicitia Dei, immortalitatis est condonatrix.* Deus amicos suos efficit immortales: & sicut illa amicitia ostenditur in animabus cum tali desiderio vt etiam pateat in corporibus, eos reddit quasi incorruptibiles in sepulchris suis. Quomodo non viuunt, cùm ipsa etiam terra in quâ natus est Patriarcha noster S. Dominicus Calarogæ operetur prodigia signaque mirabilia? Quâ ratione dicentur mortui, si in translatione S. Benedicti Patris omnium religionum de Italia in Franciam arbores floruerint per quarum prata sacra hæc ossa deferebantur? Atque in loco vbi sepulta fuit S. Gudula octauo Ianuarij super illam germinarit vlmus seu populus ac si secus decursus aquarum plantata floruisset: & illâ in alium translatâ locum ad eundem quoque se arbor illa transmisit: vt refert studiosissimus Surius. Quis ignorat quod contigit in translatione corporis S. Stephani Protomartyris, vt ocularis testis fusiùs refert D. Aug.? sub lapidibus videntur viuere: quandoquidem Patres Concilij Chalcedonensis actus suos sepulchro superposuerint gloriosæ Virginis & Mar-

EVLOG. ALEXAND. *L. 5. Domina noua apud Photium in sua Bibliotheca.*

D. MAX. *In Natal. Sanctorum.*

D. AMBR. *Ser. 77. To. 5.*

II. Miracula ad reliquias SS.

SVR. *In vita S. Gudulæ 8. Ianuar.*

D. AVG. *L. 22. de ciu. c. 8. & Ser. 31. & 32. de diuers.*

Martyris D. Euphemiæ: quo facto protulit illa manum, decretaque sumens illa reuerenter, capiti suo superposuit. Nicephorus affirmat quòd dum in Concilio Nicæno duo Episcopi diem extremum clausissent sanctitate venerabiles priusquàm decretum de fide firmaretur, conuenerunt, vt illud super eorum poneretur sepulchrum, & altero die reuersi eorum signaturas inter aliorum Præsulum signaturas inuenerunt.

NICEPH. L.8.histor. Eccles.c.23.

D. Leo Magnus cùm epistolam scripsisset contra Hæreticos Eutychen & Nestorium illam detulit ad Principem Apostolorum D. Petrum supplicans vt in ea corrigeret quidquid correctioni subiacebat: & elapso aliquo tempore apparuit illi D. Petrus, aitque: *Legi & emendaui*: & aperiens D. Leo Pontifex epistolam, inuenit emendatam. De S. Edeltrude narrat Venerabilis Beda quòd post mortem septemdecim annis illam de tumulo loquentem audierint plurimi & dicentem; Sit nomen Iesu benedictum. Sanguis D. Ianuarij coram eius capite constitutus liquescit, & relatus denuò condensatur. Tunica S. Vincentij gloriosissimi Martyris, Hispaniæ gloriæ, proposita exercitui Childerici Regis Francorum qui Cæsar-Augustam graui premebat obsidione, vires eneruauit hostium, atque ad secessum compulit. Contra incendium & ignem velum S. Agathæ opponitur: videntur hæ actiones vitales esse. Et quæ non impetrarunt beneficia qui eorum implorarunt patrocinia? Et ipsa vulgaris plebecula nouit quanti sint æstimandi, cùm dicat Metaphrastes: dum plateæ perrumpi non possent vrbis Romæ ob multitudinis concursum, dum ad sepulchrum defertur inclytus mundi contemptor D. Alexius; præcepit Imperator non paruam in vulgus spargi quantitatem auri & argenti, nec erat qui illam collecturus quâ ditesceret (insigne rarumque fidei ac deuotionis indicium) vel pedem moueret, vel transitum concederet, vel momento temporis à corpore defuncti discederet.

NAVCLER. In Chronol. To. 3. Gen. 15.

BEDA lib. 14. de gestis Angliæ l.5. c.14.

METAPHR. In vita S. Alexij.

Cùm igitur hoc ita sit, qua ratione cælum nobis satisfaciet in eo quod corpus sacratissimæ Virginis sibi sumpserit: in cuius visitatione fideles diuinas sibi repositas haberent misericordias? Quis vndas explicet suspiriorum quas contrita sursum emiserunt Apostolorum pectora, lachrymarum riuos, qui venerabiles madefaciebant maxillas, quando lapidem auferentes qui virginale custodierat depositum, quatenus die tertio illud D. Thomas adoraret, quia diuino eius transitu abfuerat, nihil præter candidum sepulchrale lin-

linteum inuenerunt, sacrati corporis tegumentum: *Vbinam est*, (inquirit Damascen.) *aurum illud purum, quod manus Apostolorum in te condiderunt?* Dicito nobis S. sepulchrum: *Vbi diuitiæ quæ consumi nequeunt?* Et sine quibus nos mortales pauperes sumus. Quantum sapio D. Bernard. attenta aure has querulas percipiebat voces, vnde eleganter respondet: (illius etenim est hæc consideratio.) Nullam vobis, ô mortales, cælum irrogat iniuriam, ne contra gloriam expostuletis: nam vobis relinquit nomen Mariæ, in quo vestrum cõtinetur auxilium, salus, leuamen, potestas, diuitiæ, thesaurus & vita. Mellifluum placet audire Doctorem. *Fœcundæ Virginis amplectitur cælũ præsentiam: terra memoriam veneratur: sic nimirum totius boni illic exhibitio, hic tenuis quędã libatio primitiarum.* (Hic solamen proponitur & responsum argumenti) *Ibi res & hîc nomen.* Cælum Virginali gaudet præsentiâ, per illam patria ista illũstratur eminentissima: terra memoriam eius possidet: illic tota & perfecta est possessio: & quamuis videamur hîc in trãsitu prima tantùm labia huic fonti apponere; porrò dum nomine Maria, gaudemus, non est quòd ampliùs desideremus: *Hîc nomen.* Diuino factum est consilio (quasi clariùs loqueretur) vt pari sorte terra cum gloria cæloque frueretur in ordine ad visionem Mariæ: illuc transtulit corpus eius & animam, sed nobis nomen relinquendo: *Hîc nomen*, hoc tantum est vt nulla subsit ratio tristitiæ (ô homo) nec querelæ: cum hoc etenim nomine tibi tradito, gaudio repleris, tibi soluitur integrè, satisfit perfectè, vt nullum supersit debitum, nullus dolor, nullaque iusta querimonia. Hinc doctissimus effatur Idiota: quod ascendente in cælum Virgine, & non priùs, cœperit sanctissimi nominis eius fama longè latéque per vniuersum ex mirabilibus eius effectibus signisque celebrari: *Fama tui* (sic ipse) *sanctissimi nominis clarissima Virgo Maria priùs clausa fuit, quamdiu in mundo morata fuisti* (etenim pręsentiã eius habẽs corporalem, nomen non requirebat) *sed post Assumptionem tuam in cælum, diuulgata fuit per omnia mundi elementa.* Vnde idem concludit, & nos cum illo his verbis: *Tanta virtutis & excellentiæ est tuum sanctissimum nomen, beatissima Virgo, quòd ad inuocationem ipsius cælum ridet, terra lætatur, Angeli congaudent, dæmones contremiscunt, homines respirant, & infernus turbatur.* O nomen cæleste! ô nomen suauissimum, fateor, ex me indignus sum linguâ illud pronuntiare, tamen per te dignus fio: cùm ad meam con-

Margin notes: D. DAMASC. Orat. 2. de dormit. B. Virg. — D. BERN. Ser. in Natiu. Virg. de Aqua ductu. — III. Nomen Mariæ ad omnia efficax. — IDIOTA de contempl. Mariæ c. 5.

consolationem te Deus in terra mortalibus reliquerit. Per nomen tuum, ô Maria, superantur vitia, acquiruntur virtutes, cor fouetur, memoria indulcatur, intellectus illuminatur, voluntas inflammatur: quid plura? nomen quo mediante gratia obtinetur & gloriæ spes datur sempiternæ. Amen.

Discursus VII. *Vt enim Deus in epigraphen sibi sumit solem, & lucem in scutum suum ad bonum vniuersi: sic quoque inter titulos explicantes nomen Mariæ, vnus hic legitur Maria, id est lucida: quatenus ex eius manibus velut ex bono vniuersali omnes creaturæ suum accipiant.*

Maria Illuminata.

AMple & extensè Deus velut summum bonum, suas largitur misericordias, idque ad æmulationem & competentiam: ait enim Doctor Africanus. *O Deum æmulatione beneficum*, cuius torrentes nec humana ingratitudo vel promouere potest vel retardare: idcirco sibi complacet in planeta pulcherrimo, viuacissimo, & in actionibus suis efficacissimo, & potentissimo vt id quod intendit exequatur: quandoquidem dum debiles oculi cernunt orbis euis virtutem actiuam, & radiorum eius splendori repagula opponuntur, perfringat, & perruadat, omnes communicans velut cum violentia quadam & etiam inuitis suos effectus. Deũ Propheta quidam inscripsit Solem alatum: *Orietur vobis sol iustitiæ: sanitas in pennis eius*: Omnia namque viuificat, atque ita se dispensator communicat, vt à virtute sua exemptum velit esse neminem: *Non est qui se abscondat à calore eius*, quem versiculum D. August. de Deo incarnato intelligit. *Mortalitatem nostram suscipiens non permisit vlli mortalium excusare se de vmbra mortis, sed ipsum penetrauit Verbi calor.* Quod est Deus per naturam: hoc est Maria per gratiam. *Illuminata* in se, & sol diuinus, vt lux sit omnium: atque de filio ad matrem transgrediemur.

D. Tho. Opusc. 8. Albertus Mag. Richard. art. 5. Laurent. & alij. Tertull. lib. 4 cont. Marc. c. 20.

Malach. 4.

Psal. 18.

D. Aug. in Psal. 18.

1\. Deus liberalissimus est.

Celebris est, meâ sententiâ, parabola illa de diuite illo Patrefamilias (hoc quippe nomine se Christus apud D. Lucam introducit) qui non vulgaribus expensis cœnam opiparam instruxit, aulas, mensas, sedes, tapetibus contexit pretiosissimis: inuitati tamen tantâ fuerunt hebetudine fatui vt expensas & delicias vilifacientes; inurbani & nauseabundi se, ne venirent, excusarint: Dominus autẽ quasi rubore confũdebatur: seruum aduocat (Angelum interpretatur

Luc. 14.

tur noster Caietan.) *Dixit Dominus seruo, id est, Angelico ordini*: illi praecipiens vt iterum inuitatum pergat: *Exi citò*: desiderium enim eos lautiùs excipiendi moram non patitur, omnes inuita: & subiungit: *Vt impleatur domus mea*: meum regale palatium conuiuis impleatur. Meritò phrasis haec loquendi commouit Albertum nostrum Magnum: bene equidem intelligerem, locus in mensa nullus appareat vacuus, & ministerium quod non impendatur: porrò tota domus: *Domus mea*? Quis vnquam inuitauit numero tanto & multitudine, vel domesticos seu familiares, vt omnes impleant aulas & cubicula? Sufficiat illis, & similiter Patrifamilias, vt introducantur in triclinia & cubicula, in quibus ipse coenat, nec velit vt omnia conscribantur & occupentur. Sed per hoc inuitationis finem paterfamilias non assequitur, si cuncta non occupentur loca: & si quidquam videret, cuius ipse esset Dominus, eoque non omnes fruerentur, sibi hoc verteret in dedecus: in quantum lux est & bonum, cui annexum est diffusè se lateque communicare: nec hoc generosae suae conuenit qualitati, aut pectori suo quadrat liberali. Audiatur D. Albert. *Vt impleatur domus mea, hoc enim totum studium, tota cura est istius patrisfamilias vt bonis suis non solùm ipse perfruatur, sed multi perfruantur & omnibus communicentur.* Hinc omne suum impendit studium, vt bona sua ad omnes deriuentur: quocirca non tantùm mensae, sed etiam interiores secessus & cubicula maximè secreta, omnia repleant, in omnia ingrediantur: quasi illis ius in omnia competeret: nam illud his tanta Domini tribuit magnificentia: contrarium autem eius opulentiae maculam adspergeret, eius luci tenebras offunderet, & Soli eius eclipsim oppanderet. *Tota cura magnifici patrisfamilias &c.*

II. Domus Dei impleri debet conuiuis.

Duas sententias duorum patrum conciliemus: prima est Tertulliani, disputans enim de veritate carnis in Christo, ad eius confirmationem & fulcimentum adfert id quod ante tot saecula cecinerat praescius Propheta regius. *Tu es qui extraxisti me de ventre.* Psal. 21. Tu (ô Pater aeterne) manu tua potentissima me de maternis eduxisti visceribus in mundum, ad opus humanae redemptionis. Legit igitur Doctor Africanus: *Tu es qui auulsisti me*, & interpungit ita: *Auulsisti (inquit) ex vtero. Quid auellitur, nisi quod inhaeret, quod infixum, quod innexum est ei, à quo vt auferatur, auellitur.* Verbum illud *Auello*, extrahere significat quadam violentiâ, & brachiorum viribus vnum ab altero

TERTVLL. de Carne Christi c. 20

III. Cur Christus dicatur auulsus ex vtero.

ro cui vnitum adhærebat. Strictioribus vinculis complectitur planta terram, in qua multo iam tempore suas extendit radices: nam dũ eam quis conatur euellere zelosa illatæ resistit violentiæ, mortem sibi formidat, & ruinam suam defendit acerrimè: & quamuis maxima profunditate & cura excauent, fateor, radices egredientur sed violenter: & licèt fortiter illas excutiant, partes attamen secum ex vicino deferent terræ elemento. Christus arbor cælestis in cælo claustri materni tanta plantatus est voluptate, vt obedientia requisita fuerit Patris (dicamus ita) quâ compelleretur locum illum deserere deliciosum: & hoc innuitur per metaphoram illam quà dicitur auulsus. Psal. 21.

III. Cur Christus dicatur auulsus ex vtero. TERTVL. de Carne Christi c. 20

Audiamus modò spiritualem patrem Abbatem Gaugericum: hic etenim expendens immensum illud mysterium quod fecit Verbum inclusum vt reliqui pueri nouem mensibus in SS. Mariæ visceribus, vsque ad diem natiuitatis suæ, asserit permolestam diuinæ maiestati suæ hanc fuisse moram seu detentionem. Nunc vrget nos difficultas qua ratione conuenit illud dicto Tertulliani? Si ibidem tanta hæsit voluptate, quomodo tanta sui molestia? Si requiem ibi sibi inuenit, quid eum ad egressum de thalamo illo compellit nuptiali? Si locus hic Deo ita conueniens, vt illum deserere nollet, quomodo non grauatè fert illum relinquere? vnico verbo propositum soluit dubiũ:

IV. Qui tamen libenter egrediebatur.

Tanto tempore nihil illa virtus manifestum operatur, nullo signo visibili maiestas quæ clausa latebat proditur. Occultatis signis liberalitatis suæ argumentis ex tali secessu; quid miramur si molestè ferat, quòd diuinam suam auctoritatem periculis exponat? Deus, quem nemo beneficum cernit, consideratur velut ligatus sol suis radiis. Dicat Gaugericus, tormentum illi fuisse non vteri materni palatium: etenim excepto Paterni pectoris sinu, dignissimum erat eique gratissimum, sed ob præfatam rationem: dum enim eius suspenduntur attributa & detinentur gratiæ: licet gloria perfruatur, quasi non perfruitur: quia illis omnes manifestè non perfruuntur: *Nihil manifestum operatur.* GAVGER. Ser. 3. Annunt.

Concionem satis longam & amabilem Christus habuit ad Apostolos pridie mortis suæ, promittens illis Spiritum S. quodque contractis velis, id est manifestè reuelaret eis secreta, tunc illis adhuc abscondita: hoc enim ea tempestate vicario suo dixit Petro: *Tu nescis modò, scies autem postea.* Ioan. 13. Cùm autem Iudas Thaddæus inter alios hæc verba perciperet: *Ille docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia:* Ioan 14.

aduer-

V. Dubium S. Thaddæi.

aduertens per illa quidquam hîc indicari singulare: obiecit: quasi amplissimam eius cognoscens conditionem: *Domine, quid factum est, quia manifestaturus es teipsum nobis & non mundo?* Magister: prurit animus intelligere, quid noui superuenerit, quod ex illa lingua intelligamus, quod teipsum secretò manifestaturus sit tui collegij sodalibus, & nequaquam toti mundo, & reliquiis mortalium in eo habitantibus? Quæ nouitas hęc? Acutissima est hæc Eminentissimi Cardinalis nostri Caietani animaduersio. *Admiratur Iudas & ratio admirationis Iudæ erat: quia solitus erat Iesus dona sua promittere communia omnibus, vtpote qui venerat pro salute mundi, & qui vitam suam dixerat se daturum pro eo, non pro Apostolis tantùm, sed pro multitudine hominum*: Meritò Apostolicus obstupescit intellectus audire verba, quę vni tantùm & non omnibus significent eius communicationem; contractiones & singularitates in Domino illo, cuius fauores & dona semper increuerunt, Apostolus erubuit: quærat igitur: Quid factum est? Tu & *vobis* & non, *mundo* suspendit animum. *Et ratio admirationis erat.*

CAIET. *in Ioann.*

Luce sua & splendoribus Deus virginem vestiuit, vt lux existens diuina eam omnibus communicaret. Ad minus duas hinc ex multis elicit Doctor Angelicus interpretationes nominis eius: *Illuminata* quæ in hoc nouo discursu latiùs exponitur. *Illuminatrix*, quæ in hoc sequenti ponderatur: ex prima sequitur secunda: quandoquidem ex redundantia supersit & abundantes radiorum suorum reflexus omnibus communicet creaturis. *Conuenienter vocatur Maria Illuminata in se, & Illuminatrix in alios. Quantum ad totum mundum, id est, assimilatur soli & lunæ.* Nihil ex propria iurisdictione habet essentiam, omnia in vmbra viuunt mortis & horroris: donec ad eius recurrat præsentiam defectum suum recognoscens, & humiliter ad sacras eius plantas se humiliet. *Quantum ad totum mundum*, & alios sanctos inscribitur *Fons lucis:* Fons, quia continuò torrentes emanat: lucis propter eorum lucidum, vel quia lucidi sunt, comparata illi luci, quam Mardochæus interpretabatur Reginam Esther: fons paruus, qui riuulos suos multiplicat, & fluuius vehemens continuò mutatus est in fulgidissimum solem: *Fons paruus creuit in fluuium, & in lucem solemq; conuersus est.*

D. THOM. *in opusc.*

EPIPHAN. *de laud. Virg.*

DAMASC. *Orat. 1. de Natiu.*

Isichi. de laud Virg.

Esther 10.

VI. Cur Mariæ nomen adeò commune.

Sed passibus insistamus Alberti nostri Magni: qui vt pius & Virgini obstrictus, acutissima quæque in eius laudem eructauit: singulariter autem expendit,

pendit, cur illi Deus aliud nomen quàm Maria nō imposuerit quod videtur ipsi æmulū: quod ita vnicum illi futurum erat vt ipsa sola inter omnes fæminas singularissima, illo honoraretur: sed legimus alias: nam in lege antiqua & noua nomen illud aliæ sortitæ sunt. In lege veteri celebratur Maria Prophetissa soror Moysi & Aaron Israëlitici populi Principum: in cuius transassumptione nomen patuit & adumbrata leguntur Virginis præclara facinora: cum multis dixit in singulari D. Petr. Chrysol. *Et vt semper Maria humanæ prauia sit salutis: populum quem vnda generatrix emisit in lucem: ipsa iure præcessit Maria in Cantico, soror Aaron.* In lege noua similiter Mariæ fuerunt. Maria dicta est flagrantissimus phœnix, Maria Magdalena, & aliæ quas referunt Euangelistæ. Modò difficultas instat. Si raris adeò & nulli puræ creaturæ decorata priuilegiis Maria in mundo nascitur: cur nomen adeò commune, vt hodie passim accipitur? Saltem ob decentiam & reuerentiam matri tuæ debitam (ô Domine) in omnibus singulari, sit quoque in titulo quo passim inuocatur, ipsa singularis. Nec enim desunt expositores, qui conuersionem Magdalenæ, quam D. Lucas enarrans proprium subticet nomen, explicantes, dicant, rationem esse, vt tanto nomini reuerentiam exhiberet: cùm iustum non arbitraretur eodem honorari nomine mulier impudica, quo ipsa virginalis puritas colebatur. Cùm igitur hoc ita sit, qua de causa Virgini tribuitur nomen adeò vniuersale & illustre? Fateor equidem (respōdet Sanctus) neminem posse se illi constituere lateralem, vel in conspectu eius venire, nec præsumere hoc nomine se insignire ob infinitam distantiam inter subiectum illud quasi diuinum & reliquos. Quod si huic insisteremus nulla fœmina, quantalibet sanctitate conspicua hoc nomine Maria vocari debuisset Reginâ nostrâ nec prior nec posterior: sed hoc diuinâ gestum est dignatione & prouidentiâ: vt enim est Maria lux omnium, eamque in suo nomine communicat: per illud huius lucis participes fiant in omnibus sæculis, quæ glorioso hæc nomine præfulserunt, quo datur intelligi quòd omnia ad salutem nostram dirigat, sibique nihil reseruet: & sicut Deus quotidie producit solem nulla facta distinctione hominum, tam malorum quàm bonorum, peccatorum & iustorum: *Qui solem suum oriri facit, super bonos & malos:* per Mariam solem venustissimum influunt absque vllo limite, & differentia bona in omnes, vt nullus sit qui donorum eius priuetur in-

Gregor. Nyss. Lib. de Virg. c.6.
Antonin. p.4. tit. 15. c.14.
D. Petr. Chrysol. Serm. 146.
Matth. 6.

ALBERT. MAG. *super Miss. in Mariali.*

fluentiis. Loquatur Doctor eximius : *Quod autem huius nominis ante & post fœminæ inscribantur, intelligitur : quòd licet nulla fœminarum ei similatur per æquiparantiam, nulla tamen ab eius participatione excluditur. In signum igitur quòd res sui nominis communicare desiderat per effectum, & nihil sibi retinere proprium: communicat etiam suum nomen.* Applaudite sententiæ.

VII. Cur Angelus non dixit: Aue Maria.

Eidem Sancto comites adhæreamus. Aduolat cælestis paranymphus Gabriel legationem propositurus, quâ nec terra nec cælum vidit eminentiorem ac grauioris momenti: de repletione scilicet vacuarum sedium in gloria, & reconciliatione hominis cum Deo, virginé accedit in Nazareth, eamque salutat quàm potest vrbanissimè : *Aue gratiâ plena.* Duo hîc Albertus Magnus admiratur: vnum quòd loquatur per circumlocutionem, nec eam proprio nomine Mariæ compellet. Alterum quòd Ecclesia huic salutationi nomen quod Angelus subticuit, addiderit. Ad primum respondet Richard. Lingua Angelica priùs titulum expressit sibi magis familiarem & cognitum, Angelis proprium : nam gratiâ plenam aulicus cælestis alloquitur proprio suo idiomate diuino nempe; nam omnes superat inscriptiones quas mundus æstimat vt eminentissimas. *Priùs vocauit eam gratiâ plenam, quàm Mariam, & prius familiare sibi nomen nominat.* Enodemus secundum cui respődet Albert. Mag. Addidit nomen hoc Ecclesia pia mater ob lucis necessitatem, quâ filij sui inter tot tenebras indigebant : proinde dicant omnes: *Aue Maria : Vt per hoc nomen Maria inclinet eam ad nostram necessitatem.* Quo sibi credit satisfactum : verumtamen quis non videat renouari dubium: quæro igitur: an quia vocatur Maria idcirco quasi ex iustitia inclinare se debeat nobis benefica? Quod motiuum illud est efficax adeò vt ex illo inferatur: Est Maria, ergo nominata tantùm nobis adesse debet auxiliatrix & patrona? Quis hoc clarè non videat? solummodo quia dictum est legendo hoc Maria; ita proprium est Mariæ luci illuminare, atque ad eius inuocationem dona percipi præclariora: & ita nomini eius annexa beneficiorum collatio, & Mariæ nominis enuntiationi eorum receptio, vt dicatur tantùm & omnia recipiuntur. Dum Ecclesia nominat Mariam *Aue Maria*, titulum repetit: quæ cum sit in se *Illuminata*, nobis erit *Illuminatrix.* Hoc verbis maximè notandis doctissimus indicauit Idiota. *Non enim est in alio nomine, post nomen superbenedicti filij tui tam potens adiutorium: neque est aliud nomen datum*

RICHARD. DE S. LAVRENT. *Lib. 1. de laud. Virg. c. 2.*

ALB. MAG. *ibid.*

VIII. Et Ecclesia illud addit.

Luc. 2.

tum sub cælo hominibus, post dulce nomen Iesum, ex quo tanta salus hominibus refundatur. Post dulcissimum Iesu nomen salutis significatiuum & etiam effectiuum, sequatur nomen Maria, lux est in omnibus, & in quo boni & salutis humanæ summa consistit.

IX. Cur Christus non dixit: Maria ecce filius tuus.

Nodum inuenerunt satis operosum subtiles S. Paginæ cõmentatores, cur ad pedem crucis Mariâ persistente, quando dilectus filius absentiæ suæ solatium illi relicturus in charissimo sibi Euangelista, eandem non Matrem, nec Mariam, sed mulierem appellet: *Mulier ecce filius tuus*? (Ioan. 19.) Respondent nonnulli: quòd tempore redemptionis humanæ Christus Dominus tot tormentis obrutus omnia motiua subtraxerit, ex quibus sibi vel minimum venire posset lenimentum, atque eo modo ita solus pateretur, vt ipsa diuinitas sacratissimam illam sustentaret humanitatem, in atrocissimis hisce cruciatibus, & Pater tamen quasi foras excessisset, cui tenertimè conquerebatur se ab illo derelictum. Et grauiter respondet Caietan. (CAIETAN. Marc. 15. circa Deus meus vt quid &c.) Aduerte: *Quod nihil consolationis recipiebat interius ex parte superiori, ita quòd derelictus erat, non solùm exteriùs in vituperijs, ignominijs, in afflictionibus clauorum & reliquis, sed etiam intus:* ; cùm autem titulus Matris seu Mariæ nomen suauitate recrecr, subticeatur.

Sed quid amplius dicamus? In memoriam reuocemus tenebras in morte Saluatoris, quæ clarissimis illis orbibus ac luminaribus amictum obduxerunt lugubrem: *Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram.* (Matth. 27.) Et ita ratio fieri suadebat, ne inoffenso claroque lumine Dei sui calumnias intuerentur: vt autẽ Mariæ nominis appellatio facem accendit ipso sole lucidiorem, pia dicat consideratio non rigor litteræ, ea de causa præter alias, Christus eam nomine Maria non alloquitur. Imaginem quandam huius mihi tradidit D. Petr. Chrysol. (D. P. CHR. Serm. 146.) dum ait, ad inuocationem nominis Mariæ *Deo sacrificium* offerri: non quòd excellentissima illa Domina obtulerit Deo sacrificium ex rigore illi satisfaciendo: hoc enim soli Christo Deo & homini competebat: sed cùm oblatio facienda esset in media pœnarum, horrorum & tenebrarum abysso: si nomen hoc Maria non enuntietur, subsidium feret ad suscitandas grauiores (si possibile fuisset) & hoc modo coram oculis Mariæ sacrificio finis imponebatur, & non expresso illo titulo: est enim lux, quæ ardentibus in se viuit luminaribus: *Illuminata.*

IN CONCEPTIONE VIRGINIS MARIÆ MATRIS DEI AC DOMINÆ NOSTRÆ.

THEMA.

Liber generationis &c. Matth. 1.

SALVTATIO.



ODIE mundus esse incipit: quia Maria esse incipit: primus quem Deus creauit finem accepit, quia finem illi peccatum imposuit, omnesque creaturæ quasi verecundabantur & sibi dedecus ducebant homini seruire: ipsis autem nouum dat esse Maria: oritur enim cum tanta gratiarum plenitudine, vt omnes illâ repleat abundanter. Sic audio loquentem Archiepiscopum Cantuariensem D. Anselmum. *Durauit autem hæc in rerum substantijs iniuria, quousque venit in carnem illa de qua loquimur, Virgo Maria.* Omnes enim ab illa soluit iniuria. Et iterum multò clarius: *Vtique cuncta quæ Deus bona & vtiliter fecit: in eo statu quo condita fuerunt, esse destiterunt, & per hanc Virginem in pristinum statum reuocata sunt ac restituta.* Concinnè igitur loquor dum dico, quòd Maria omnem creaturam à dedecore liberauerit, decusque illis attulerit: quandoquidem per ipsam ad antiquam sit reuocatum dignitatem, illud quod prius infame videbatur. Adest etiam Andreas Hierosolymitanus. *Senio quasi confectus mundus per Mariam senectam peccatorum exuit.* Vetus renouatus est mundus, & quasi flaccescens aridaque spes eius refloruit. Quia parua hæc nubecula hodie concepta, & quæ ad portum appellit Annæ matris suæ felicissimæ, ea est quam vidit Elias. *Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis, ascendebat de mari.* Quæ totum occupauit cælum, aquas infundens nubibus, quibus terram fructificauit: nobis igitur polliceri possumus diuinarum adesse aduentum misericordiarum, terramque denuo germinare, dum videt in Maria suorū reparatricem defectuū, suæ vilitatis splendorem & gratiæ suæ thesaura-

D. Ansel. de excell. Virg.

Idem c. 11. ibid.

I. In Maria omnia renouantur.

Serm. de Annunt.

3. Reg. 18.

ſaurariam: illam ergo eius intercesſione donoque postulemus. *Aue Maria.*

Diſcurſus I. *Deſcribitur Abraham primicerius generationis Christi, quo magnum illi compenſatur obſequium diuinæ præſtitum Maieſtati: hæc etenim eſt Dei conditio: vt qualis illi fuerit homo, talis ipſe futurus ſit homini.*

NOn parua me tenet admiratio videre Deum cum matre, inuiſibilem viſibilem, idque mediatrice Principe paruula, quæ in viſceribus Annæ concipitur mulieris beatiſſimæ (meliùs dixero in viſceribus gratiæ) & venit ad promouendam Dei auctoritatem, honoremque noſtrum promotura: vnde primis Euangeliſtæ verbis motus hanc obiicio difficultatem: quare Verbum naſci voluerit filius Abrahæ dando illi verbum ac manus, magis quàm aliorum amicorum, quos ſæculis habuit anterioribus. Et neſcio vtrum dicatur fuiſſe quaſi diuinus quidam zelus ne homo tanta poſſet Deo præſtare ſeruitia, quanta Deus homini beneficia: & ſicut illi Abraham filium ſuum vnigenitũ immolauit tantâ promptus voluntate, voluit infinities eſſe ſuperior in compenſatione: quia qualis eſt homo Deo, talis & Deus homini. Ingeniorum Phœnix D. Auguſt. ſubtiliter expendit SS. litteras, idque ſingulariter quod modò tractamus. Nepos erat Abrahæ Lot, inter Sodomitas ſanctus inter quos viuebat (miraculum eſſe dixeris quod ex cohabitatione mores illi non adhæſerint) proponit Deus ignis ſupplicio libidinoſas euertere ciuitates Pentapolis: laruatus ædes accedit Abrahæ & Lot, attamen diuerſimodè: Patriarchę Abraham tres apparent Angeli, idque *in ipſo feruore diei,* quando ſol in orbis parte conſiſtens altiori, magis videtur ſagittis ferire, quàm radiis illuminare: Lot verò duo tantùm, idque ſole properante ad occidentem. Attentionem poſtulat D. Auguſt. *Attendite fratres & videte qualiter Deus apparuit Abrahæ, & qualiter apparuit Lot: ad Abraham tres veniunt & ſtant ſuper eum* (hoc eſt proximi adſtant ei, & collaterales) *ad Lot duo veniunt & ſedent in platea. Videte fratres ſi non diſpenſatione S. Spiritus pro meritis res aguntur.* Nihil hîc fortuitum arbitremur; ſic ſe res habuit; ex ordine & prouidentia contigit ſpeciali S. Spiritus diuerſitas hæc fauoris Dei: nec enim acceptor eſt perſonarum: quamuis enim fundentur Dei beneficia in beneplacito ſuæ voluntatis, tamen etiam fundamentum habent in obſequiis illi præſtitis. Nunc igitur videamus: cur patruo

Gen. 18. 1.

Cur tres Angeli Abrahæ, duo tantùm Lot apparuerint.

D. Aug. *Ser. 70. de temp. To. 10.*

truo tam sit effusus, & nepoti ita contractus, (si fari sic liceat) *Nunc videamus qualiter Abraham & qualiter Lot susceperunt venientes.* Abraham, vt eos à longè conspexit venientes, nihil canos suos reueritus, nihil suam auctoritatem, currit obuius illos inuitaturus, cùm tot haberet famulos, ipse ad armenta currit, ad ouile properat pastorum, vitulum tollit tenerrimum, nec primum sibi obuium eripit occidendum. *Qualem vitulum, fortè qui potuit primus occurrere? non ita est, sed vitulum bonum & tenerum.* Vxor illius panem pinsit & coquit, & ipse in propria persona seruit ad mensam assidentibus. Ad conuiuium Lot accedamus: *Fecit conuiuium & coxit azyma, & comederunt.* Solùm panis: ô parcum hospitem! ô liberalem Patriarcham! hinc igitur inferamus quid cum singulis Deus fecerit. Quid miramur quòd Abraham æstu feruentem amoris & charitatis visitent Angeli in ipso feruore diei: Lot autem charitate tepentem ad noctis tenebras? quod ad sanctum patruum tres accedant; illique mysterium reueletur SS. Trinitatis: nepos autem non tanta perfectione cōmendabilis duos tantùm videat? diuina etenim cognitio parcè parcis infunditur: Deus etenim pari cum homine pede progreditur. Abrahæ charitate feruido perfecta plenaque merces refunditur: in conuiuio verò Lot auaro fauor de potenti manu sua, limitatus: quam sicut liberalis aperit, sic misero tenacique concludit. Subtilem illum audiamus Sanctum: *Etenim Lot longè inferior erat Abraham: Veniunt ergo ad Abraham tres viri in meridie: venerunt ad Lot duo, & vespere veniunt: non enim sustinebat meridianæ lucis magnitudinem Lot: Abraham verò poterat plenum fulgorem lucis excipere.* Et paulò inferiùs: *Lot verò excepit quidem, sed duos tantùm, & non integram Trinitatem, nec in meridie, sed ad vesperam.* Obsequium etenim tardum cordisque parui, mercedem non meretur ad lucis meridianæ fulgorem: Abrahæ verò, conuenit: Dei namque methodus est se mortalium coæquare & contemperare beneficiis.

Gen. 19.

Nascitur Saluator noster, atque inter stramina in præsepi collocatur tenerrimis illa conspergens lachrymis, quæ in Oriente operari cœperunt in tribus Regibus, qui nomine totius Gentilitatis accurrunt illum adoraturi. Vt autem tyrannus Herodes illis præceperat reditum per Hierusalem quo rationem redderēt vbinam natus esset, ea mente vt illum occideret; iniungit illis Deus in somnis vt aliâ viâ reuertantur in regionem suam, ipse itineris eorum factus dux. Consentit D. Hieron.

ron. quòd Deus illis hoc per se reuelauerit; hîc sisto: num fortasse Deo deficiebat ministerium & obsequium alicuius Angeli? Aliis multò quàm Reges dignioribus legationes misit per cælestes paranymphos. Sacratissimæ suæ matri S. Gabrielem destinauit: glorioso sanctoque Ioseph per Angelum in somnis, mandat vt fugam velox arripiat cum Christo in Ægyptum, & iterùm vt reuertatur in Iudæam. Quid hoc igitur est? quod nouum hîc motiuum, & quæ ratio cur ordo communis inuertatur? Hac similitudine pandetur mysterium. In more positum est apud Principes & terræ Monarchas vt si quando sibi coæqualibus congratulantur de aequali statuum suorum hereditate, de obtenta victoria, in natali successoris & heredis, ac similibus lætisque occasionibus, non ipsi personaliter accedant, sed legatos suo nomine mittant. Porrò si quispiam personaliter adiret, alterum deuinciret, vt ipse similiter eadem pompâ fastuque alium reuisitaret. Poterant hi Reges ad stellæ illius aspectum in palatiis suis residere, per alios eò mittendo legationem: non hoc faciunt, quinimò personaliter accedunt: *Vidimus stellam eius & venimus.* Ex Dei firma conditione eo modo se gerit cum homine, atque ille cum eo. Et quandoquidem

II. Magi a'b ipso Domino monentur. Luc. 2.

Matth. 2.

III. Similitudo.

Magi veniant ipsi Deum visitaturi; idem hoc illis Deus refundit, & personaliter suas illis communicat reuelationes. Auscultemus maximum illum & doctissimum SS. litterarum expositorem D. Hiero. *Qui munera obtulerunt Domino, consequenter responsum accipiunt, non per Angelum, sed per ipsum Dominum.* Notetur hoc *Consequenter.* q.d. Videndo quod ipsi veniant, & audiendo: *Ecce Magi,* consequentia sequitur euidens, negotium est planum, modus cælestis Curiæ patet procedendi, aliud inferius non videbitur, quàm quòd si homo per seipsum Deo seruiat, & ipse Deus per se hominem honorificet.

D. Hier. L. 1. in c. 2. Matth.

In magnifico illo ac solemni triumpho, quo mundus non vidit celebriorem, clarissimo diuinitatis Christi argumento, quo recipitur in Hierusalem cum ramis palmarum & oliuarum, & festiua acclamatione Hosanna &c. tunicæ ac vestimenta exuũtur, iisque terra adornatur quam abiectus asinus calcabat, in quo residebat diuinus ille triumphator. D. Bern. in hoc plebis affectu singulare quiddam notat. Sistite ô viri (clamat) nec vestra exuite vestimenta: illum etenim deuincitis vt suis se denudet, suam exuendo celsitudinem & auctoritatem maximus ille Dominus, quem vos ita recipitis: hocque schemate factum

facto

facto conueniet: sciamus igitur (ô Doctor dulcissime) vnde hæc consequentia, ergo Deus se vestibus suis spoliabit? Ex eo quòd videam homines in Dei seruitium suis se denudantes vestibus, ipse illis gratus eodem soluet obsequio. *Cui priùs sternebantur vestimenta aliena: ecce suis exuitur, & sors mittitur super ea.*

D. BERN. Serm. 2. in Ramis.

Mirantur omnes rarum curandi modum quo Christus cæco lumen restituit, quo numquam fruitus fuerat. Expuit in terram, lutum componit ex sputo, velut emplastrum, (meliùs quis dixerit) collyrium oculis illius superimponit. Quid hoc Domine mi? Iam vidi te solo vocis imperio curantem languidos: iterùm solo manuum tuarum contactu, quas iam cerno luto sordidatas. Quid te mouet ad actionem illam adeò (meâ censurâ) ab eo creatore alienam qui stellas cælosque calcat? Casus hic est. Censebat, quod grauiter acciperet (si possibile foret) puluis & terra, si seruienti illi singulis horis velut pedibus eius substrato pauimento, non hoc ei rependeret gratus obsequium: quocirca dum digitis suis lutum arripit quasi dicentem illi audio. Te quotidie calco, debetur tibi præmium: ascende igitur de tua vilitate & humilitate, ad manuum mearum altitudinem: nam semel saltem incumbit mihi tecum operari miracula.

Ioan. 9.

IV. Christus terræ luto rependit per miraculum quod illud toties calcauerit.

Sole clariùs patet fortitudinem Samsonis quâ leones discerpebat, portas cardinibus suis euellebat, Philistinorum debellabat exercitus, capillis eius comprehensam fuisse, & alligatam. Quâ de causâ in parte corporis adeò delicata? Brachiis fortitudo maximè conuenit: verùm quæ correspondentia inter teneros crines, quos crispare proprium est mulieribus, & virum bellicosum, ducemque fortissimum? Multa quidem per omnem modum. Erat Samson Nazaræus, id est, Deo consecratus, cuius hæc erat exterior eaque principalis ceremonia, capillos non detondere. *Sanctus erit crescente cæsarie capitis eius*, adiecto singulari voto. Comis igitur capitis (inquit Deus) quæ mei causâ conseruantur, sit alligata fortitudo, & hinc heroica sequantur stratagemata: nam ad hæc omnia, & plura me sibi habebit sociatum, & vno crine colligatum, ille qui mihi vel vno tantùm crine seruierit.

V. Fortitudo Samsonis crinibus eius alligatur.

Num. 6.

De Moyse narrat singulariter S. Textus quòd morienti inter amplexus Dei, nec visus caligauerit, nec dens motus fuerit. *Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt.* Quid hoc diuine Historiographe? nimis singularis videtur hæc esse descriptio? quid enim nosse refert vtrum dentes habuerit necne?

Deuter. 34.

VI. Moysi oculi non caligauerunt nec dentes moti sunt: cur hoc?

Vir-

Virtutes illius in fastus referantur, zelus, mansuetudo, pietas, aliæque, quibus Deo amabilis fuit gratusque hominibus, cetera silentio tegantur, quæ in Dei oculis tam parui æstimantur. Deo referebat multum (si fari liceat) tam distinctè ac minutim cuncta referri, quatenùs innotescat quòd oculi impensi ad conspiciendum, ea quæ sunt honoris diuini, & dentes ad promulgandam eius legem, in chronica redigi debeant: etenim meæ liberalitatis historia (inquit Deus) deficiens accusaretur, si in ipsa non legerentur oculi, dentes, & passus illius qui his omnibus mihi fidelissimè famulatus est. Huic considerationi subscribit

Oleast. Deuter. 34. ad mores. Oleaster: *Vt sciant homines, quid ministrare Deo valeat*; vt saltem homines tantò diligentiùs ad Dei seruitium animentur, dum quid in ipso perpenditur, attendunt.

Non prætereamus quod D. Ambros. proposito maximè cōgruum adducit. Non potuit Dei pectus sustinere, vt qui se Abrahæ familiarem amicumque declarauerat, non reuelaret illi seueram illam iustitiæ suæ de Sodomitis executionem: quem diuinæ litteræ introducunt quasi

Gen. 18. sibi colloquentem. *Non celo Abrahæ puero meo, quæ ego facio.* Sic enim legit ipse: quomodo verum est quòd puer dicatur & sit *puer*: quandoquidem tunc temporis nonaginta nouem annos haberet ætatis? *Senilis vtique* D. Ambr. L. 1. de Abrah. c. 5.

ætatis Abraham superiùs Scriptura significauit: quia nonaginta & nouem processisset annos; quomodo nunc puerum dicit? Suam ipse soluat obiectionem Doctor eximius. Seruiebat Abraham Deo tantâ promptus voluntate, tam feruens animo, viribus fortis, & affectu indefessus, vt in nullo, senio languere videretur; si Deus igitur se gerat his conformiter, grandæuum sibi seruientem instar adolescentis ac pueri, licet canis albescentem, vt puerum indigitet. Audite: *Sed cùm immemorem senectutis, exploratorem indefessum, cursu impigrum, standi patientissimum, deducendi studiosissimum expresserit, nónne conuenire nomen pueri videtur? officiis meritò puer dicitur, qui senile nesciebat fastidium, pueritiæ innocentiam & obsequium deferebat.* Quis ætate floridus hoc ageret quod Patriarcha ętate grauis exhibuit? Obedientia, perseuerantia, virtutes sunt puerorum, dicatur igitur: *puero meo.*

VI. Abraham senex puer dicitur: quare?

Manum porrigat D. Augustinus illi qui eam ipsi porrexit in conuersione, & baptismo intinxit, Diuo, inquam, Ambrosio: perpendens enim igneum currum quo vectus Elias ad paradisum triumphator ascendit: Honor hic est insolitus (inquit) & quid nobis indicat, nisi quòd sicut Propheta vi-

uus extitit ignis diuinum zelans honorem, ita ſequatur ardens huius viri ſtudium voluntas Dei illud huic remunerantis, quò curru raptus igneo ſidera tranſcendat. *Conueniebat ergo vt Elias, quem diuini amoris zelus ignito in animo ſuo flagraſſet ardore, & per ignem miranda ſigna multa faceret: & per currum igneum ab omnibus commutatum Dominus ad ſublimiorem ſtatum eueheret.* Idem D. Auguſt. alio loco notat, quod Chriſto contigit mulierem alloquenti Chananæam, quàm in principio petitionis canis nomine vt indignam repulit: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Vidit illam fide flagrantem ardentiori, atque in eius cognitione perfectiorem, quàm continuò mulierem appellat: *O mulier magna eſt fides tua.* Quid miramur, ſi ſtylum mutet, terminos, modum agendi, nomenque Chriſtus, cùm in illa hæc laudetur mutatio: quandoquidem Deus hominibus ſit vtique conformis. *Et ideò non dixit, ô canis, magna eſt fides tua, ſed ô mulier, mutauit vocem, quia mutatum vidit affectum, atque illam correptionem ad fructum perueniſſe cognouit.*

D. AVG. *L. 2 de mirabil. S. Scriptura.*

Matth. 15.

D AVG. *L. de fide & oper. c. 16.*

Mellifluum vobis profero D. Bern. ſpiritum, quo doctrinam proponit maximi momenti grauiſſimis verbis, quæ deuotionem, ſapientiam & ſpirant conſolationem: *Igitur qualem te paraueris Deo, talis oportet appareat tibi Deus: cùm Sancto Sanctus erit, & cùm viro innocente, innocens erit. Quid ni æquè & cum amante amans, & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & ſolicitus cum ſolicito?* O Anima ne contra Deum expoſtulaueris: talem etenim tibi eum inuenies, qualis tu illi fueris. Si otioſa fueris & virtutum valedixeris exercitio, piiſque ab operibus manum retraxeris: à te quoque Deus manum ſubtrahet auxiliarem. Si amans fueris feruentior, ardebit & Deus tui amore: ſi frigidus, & frigidum experieris: ſi ſolicitus eius ſeruitio ſtudueris, erit & ipſe in te remunerando ſolicitus. Si ad hoc ne paſſum quidem promoueris: quietus manebit Deus & immotus. Et in ſuperiori ſermone illud interpretatus. *Dilectus meus mihi, & ego illi;* ſic ait vtrûque inter ſe conferendo. *Ille mihi quia benignus & miſericors eſt: ego illi, quia non ſum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia; ego illi gratiam pro gratia: ille meæ liberationi, ego illius honori:* per has gratias ille meo conſulit honori, & ego eius conſulere teneor obſequio.

D. BERN. *Ser. 69. in Cant.*

VII. Talis tibi Deus erit, qualis tu illi fueris.

Cant. 2.

Ser. 68. in Cant.

Diſcur-

Discursus II. *Sicut inter homines hoc rarum censetur, si quis cum aliquo diuinæ seruit Maiestati, cùm se totum humanis impendat vanitatibus: ita Deo tantopere placuit obsequium Abrahæ.*

Filij Abraham.

PRotopater parens ac signatus ad tantam gloriam, qualis est temporalis filij Dei generatio, & progenitor eius sanctissimæ matris, fuit Abraham, de quo se dignum reddidit obligante se Deo eo modo, vt si aliquis in terra hac deberet felici sorte gaudere, ille foret: vt autem hoc euidentiùs pateat, eius factum expendamus. Pollicitus est Deus Patriarchæ filium tot votis expetitum, qualis fuit Isaac, quodque ex eius semine & generatione secundùm carnem mundi remedium oriretur:
I. Abrahæ obedientia expenditur. ex quo cor eius amoris incendio erga filium exæstuauit, non tantùm vt in eo memoriam sui traderet æternitati seruandam, quàm tantopere parentes desiderant, sed primariò vt præclariùs & magis vniuersale bonum, propter beneficium promissum: & huic mandat, vt eum illi sacrificet, quo anima illius doloris gladio transuerberabatur. Audiamus Origenem Adamant. hoc egregiè ponderantem: *Quid ad hæc tu ô Abraham? quæ & quales cogitationes mouentur in corde tuo?* Origen. Hom. 8. in Gen. Qui cor tuum angustiarum fluctus impugnarunt, dum hæc mandata percipis? *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac & offeres illum ibi in holocaustum super vnum montium, quem dixero tibi? Non enim* (ait Origen.) *suffecerat dixisse filium, sed adiicitur & charissimum*, & lumen oculorum tuorum. *Esto & hoc, quid adhuc additur: & quem diligis*, cùm priùs eum nominasset charissimum? An per hoc finem verbera accipiunt? Non accipiunt, imò potiùs incipiunt, attende quòd dicatur Isaac: *Numquid nesciebat Abraham: quia filius suus ille charissimus, ille quem diligebat: Isaac vocaretur?* Non nesciebat, cùm ille nomen ei imposuisset. Incrudescit prœlium. Ascende montis fastigium quem tibi signauero, non modò sed postmodum, filiumque tuum mihi offer in holocaustum. *Quò hoc spectat?* Hoc tibi significabo, respondet Origen. *Vt dum ambulat, dum iter agit, per totam viam cogitationibus discerpatur, vt hinc perurgente præcepto, hinc verò vnici affectu obluctante crucietur. Proptereà etiam via iniungitur, etiam montis ascensio: vt in his omnibus spatium certaminis accipiat affectus & fides, amor Dei & amor carnis, præsentium gratia & expectatio*

pectatio futurorum. Sciat quòd filius suus sit, viscerum suorum aula, quem iubetur immolare, quòd Isaac sit, hoc est risus, gaudium, voluptas, nec fiat statim præcepti execútio, vt momento temporis transeat & sepeliatur dolor, sed moram trahat in ascensu triduano montis: vt omnibus quæ videret & audit, illi bella mouentibus, sit cor eius stadium in quod descendant ad pugnam affectus naturæ, & fides supernaturalis, amor ad filium, & obedientia ad Deum, inclinatio carnis, & resignatio spiritus. Non vacillauit, quandoquidem hæc ænea columna tentationibus non fuerit inclinata, nec sinistris occursibus prostrata: quinimò perstitit Abraham immobilis, firmus, constans, obediens, pius, fidelis, Deoque subditus. Hoc concesso, quæro ab eo, cui Dei cognita est conditio: quâ ratione huic satisfaceret, nisi diuino quodam præmio; obedientiæ adeò promptæ, pectori adeò generoso, cordi adeò fideli, animæ adeò deuotæ, nisi proprium illi dando filium, statuensque vt in prima eius familiæ linea scribatur, Iesus Christus filius Abrahæ?

Sed replicantem audio Lectorem (ex cuius responsione principale huius Discursus eliciam argumentum) fateor Abraham egisse quod homini conueniebat: jam dudum obiit. Vt quid tanta facinoris hyperbole? Postulat Rex bona & filios, & se felices arbitrantur parentes, quòd Rex eos sibi sumat ad obsequium: & seipsos vitamque discrimini subiiciunt: in quo subditi fidelem suam Regi testantur obedientiam. Quid tanti facit, Abraham dando filium suum: cùm ipse Deus illum ab eo postulet, atque in finem adeò gloriosum: cùm & ipsi Gentiles idola sua hoc modo venerarentur? Carthagine quotannis idolo treceenti consecrabantur pueri: & in Mexico dum ad Catholicam fidem reducitur, scimus singulis annis diabolo dicata fuisse viginti millia cordium puerorum & puellarum: quod infernali malitiæ videtur impossibile, cùm tamen omnium sit maxima: sicut confirmat doctissimus Episcopus nostri temporis Scriptor grauissimus Ho. 25. n. 64. in sua Quadragesima. Argumentum hoc grauiùs vrgeamus. Psaltes Regius agens de Israëlitis qualiter ex conuersatione cum Gentilibus, mores quoque illorum imbiberint, sic canit: *Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.* Et Rex Manasses, *Traduxit filium suum per ignem.* Et Rex Achaz, *Consecrauit filium suum transferens per ignem secundum idola gentium.* Vnde præclarissimam

D. ANAST. NIC. q. 12. To. 1. Biblioth. Patr.

LANVZA Ho. 25. n. 64

4. Reg. 21.

4. Reg. 16.

mam infert rationem D. Anastas. Nicææ Episcopus. Si Græci & Gentiles aliique populi tanta erga dæmones arserint liberalitate, dilectissima viscerum suorum illis pignora dedicantes, quid ille facturus, ille qui veri Dei pollet cognitione, quid in eius patrabit obsequiū, quod attenta debiti obligatione possit, aut debeat vocari perfectio? Eius sunt hæc verba: *Cùm Græci & qui lege carebant suos filios & filias Diis sacrificarint: quid afferre possumus ad nostram defensionem?* Et statim: *Quando enim ipsam etiam carnem nostram Deo obtulerimus, nihil fecimus, quod sit dignum donis, quæ nobis est largitus.* Consecret homo sanguinem suum, cor suum, filiosque Deo, nihil agit: omnia illi debet, nec sibi persuadeat dedisse, quod sibi licitum fuerat reseruare. Suppositâ igitur hac veritate quid præmij meretur factum illud Abrahæ? Magnum equidem: facinoribus eius non derogemus, eius gloria eclipsim non patiatur, nec obliuioni tradantur acta heroica, quæ Deum ipsum obligarunt (ipsomet Deo confirmante) cùm sint adeò distincta ab eo quod mundus pro more habet, & facit, vt ex iustitia celebrem sibi ex hoc obsequio famam conciliarit: quandoquidem mortales nec aduertant, nec deplorent expensas, mundo, carni, dæmonique consecratas, & soli Deo sint amari.

D. Anast. Nic. q. 12. To. 1. Biblioth. Patr.

Insignis sanè locus, qui pluribus valeat, hoc nobis egregiè declarabit, sed ad non paruam nostram confusionem. Perpendit D. Bernard. suo spiritu mellifluo, tres honorum species quibus Christus ingrediens Hierusalem exceptus fuit: *Triplex obsequium in processione hac exhiberi video Saluatori. Primum in iumento cui insidet. Secundum ab his qui sua illi vestimenta sternunt. Tertium verò ab his qui de arboribus ramos cadere perhibentur.* Tria obsequiorum genera, sed notandum, quòd vnum tantùm propriis fuerit impensis exhibitum, nempe asini, nam ex pondere eius quem sustinebat, laborabat aliquantulum: sed illi qui vestimenta sua sternebant in via transeunti, illa denuò resumebant & induebant: ramorum ex arboribus detruncatio, occupatio dicitur non fatigatio: *Nónne tamen omnes* (sic ipse) *reliqui ex eo quòd abundat, tibi mittunt, & quasi sine grauamine obsequuntur Domino: solùm verò iumentum semetipsum exponit eius obsequio?* Ex hoc principio concludit D. Bernard. quòd si hoc te rubore non suffundat, & doceat, homo non sis; audi quàm eleganter: *Expendunt enim sæculares homines in obsequium Domini non quidem corpora, sed quæ ei adiacent, & necessaria sunt corporibus.* Homines di-

D. Bern. Serm. 1. in Ramis.

II. Tria Christo ingredienti Hierusalem præstita sunt obsequia.

diuino voueant obsequio (& faxit Deus vt voueant) non sua corpora, quod ipsis multum videretur, sed sua vestimenta, accidentia, non substantiam, ramos arborum, non facultates; pudore confundet illos animal : ipsum etenim solùm suo creatori, suo seruit impendio. Diuitem accedit pauper eleemosynam ab eo mendicaturus. Non habeo, frater, & mentitur dum illum hoc nomine compellat : si namque illum vt fratrem coleret, non ita cor illi ad instar lapidis obdurescceret. Petetur ab eo pro derelicta egenaque Ecclesia subsidium, respondebit: soboles, & familiæ necessaria omnem mihi negant possibilitatem. Occasio offertur lusus arundinum, ornatuum, comœdiarum, vanitatis, ostentationis: desuntne illi media? numquam. Audiat ille D. Chrysost. pro rebus diuinis rationes obtrusisti : *At quando diabolus quibuscumq; obuijs dare iubet, etsi huic rei gehenna immineat, iucundè tamen illi obtemperas.* An non expediuisset dare tantum Deo, quantũ mundo, carni, vitiisq; consecrasti? *Da ergo homo Deo tantum, quantum carni, vitiisq; tradidisti,* consulit Episcopus Rauennas.

D. CHR. Ho 67. in Matth.

D. PET. CHRYSOL. Ser. 114.

Doctrinâ celeberrimus noster Oleaster agens de gigantibus, quos prima mundi vidit ætas: *Gigantes autem erant super terram.* Videamus (inquit) turres illas carneas, gigantes illos monstruosos, altitudinis inusitatæ, viribus fortissimos, staturâ altissimos, quorum comparatione, ceteri Pygmæi videbantur, quibus suas impendunt vires, robur, & facultates? Omnes opprimunt, nullum illos coërcet frænum, nullus timor diuinus retrahit, omnem calcant naturæ legem. Pauperibus erant molesti, & iniurij illis quibus nullæ erant ad sui protectionem manus & subsidia. Eia igitur, quid tam antiquum ac corporis valetudinem vanitatibus insumere, vires oppressionibus impendere, ingenij dotibus peruersitates in proximum machinari, faciei venustate, corporisq; pulchritudine laqueos incautis tendere, quibus heu miseri capiantur. Ipse loquatur. *Nihil est quod non humana malitia in malum vertat. Nam vires quas illis Deus dederat ad excolendam terram, & adiuuandos homines, in hominum oppressionem conuerterunt.* Araneam te dico, quæ delicatissimos cibos conuertit in venenum: vipera es eius dirumpens viscera, qui tibi vitam est elargitus.

Gen. 6.

III. Vanis suas facultates impendunt.

OLEASTER in c. 6. Gen.

Ingenium notemus D. Chrysostom. perpendens etenim breue illud ac humile Christi nuntium, quod per duos de discipulis suis misit Domino asini, rogans quatenus illum sibi ad ingressum in Hierusalem concederet,

deret, sententiam profert quà grauissimè concludit totum illud argumentum. Non illi dedisset Dominus nec tradidisset discipulis Christi asinum; *Nisi praeueniens spiritus cor Domini eius praeparasset ad dandum.* Nisi praecessisset vehemens quaedam inspiratio motusque Spiritus S. non illum Dominus abire permisisset. Quomodo non, quaerit D. Chrysostom. si namque ille inurbanus pro tantillo tempore asinum recusasset, an non accessisset alter qui prompto libentique animo concessisset? Optimè respondes, replicat D. Chrysostom. si petitio fuisset hominis ab homine; sed cùm Dei esset, petentis ab homine, tantas homo rationes obtenderet, ne tantillum quidem eius gratia faceret, vt necessariũ foret, vt praeueniens spiritus ille diuinus, qui amor est & benignitas, illam emolliret duritiem, mutaretque conditionem: si maneret etenim in qualitate hominis, vt certum tibi assero, quod nullam in eo nec Deus ipse, virtutem inueniret: quocirca ille prius loquatur animae, nec enim aliter cum illo quidquam tractabit, agetque vtilitatis: *Nisi spiritus Domini &c.* Magni igitur faciendum est quod Abraham egit: non quia infinitos ob titulos non debuisset mandatum creatoris suique Dei executioni mandare: sed quia sic omnem excedit modum agendi mundanorum; rarum omnino & praeclarum in ipso contra communem praxim faciendi: quamobrem diuina maiestas mercedem illi rependit, taleque beneficium, vt nomen eius frontispicio inscribatur ac portae domus Christi Saluatoris dicaturque Christus eius esse filius. *Filij Abraham.*

D. Chr. Ho. 37. in Imperfect.

Discursus III. *Cùm Deus sit ipsa liberalitas, & obsequia admisisset veterum Patriarcharum, quae mouere illum poterant vt in mundum veniret: sicut huius triumphi gloria Virgini seruabatur Mariae, ita cùm iam esse inciperet, se eius captiuum reddidit, reponens in Maria cuncta quae poterant mouere eum & obligare, vt humanam assumeret naturam.*

DIuino planè consilio texitur hodie longa illa progenies Patriarcharum, Regum, sacerdotum & Ducum, quae desinit in Maria: omnia quippe eorum obsequia sterilia, infecunda, exigua, & paruae fuerunt aestimationis si conferantur eis quae Maria praestitit Exordiamur multum inhaerentes vulgari celebrique luctae Iacob,

largiente Deo cōtra ſeipſum vires homini. Nocte tenebroſa pridie illius diei quo Patriarcha triſtitia deiectus fratrem expectabat Eſau ſibi obuium (licet poſtmodum non modicè gauiſus) de rei ſucceſſu timidus remanſit ſolus, variis oppreſſus cogitationum fluctibus, auditque paſſus quaſi alicuius, qui directè in illum tenderet, ſentit ſibi ab illo brachia iniici, defendit ſe animosè & ad ortum ſolis circa auroram humilibus inſtat precibus Angelus apud Iacob, vt brachia ſoluat, dimittatque liberum. *Dimitte me, iam enim aſcendit aurora*: Noluit Iacob, donec Angelus illi benedictionem impertiret, quo victus manſit & victorioſus: attollens ſiquidem manum illi benedicturus ictum illi impegit ex quo grauem ſenſit moleſtiam manſitque claudicans. Quæro Domine, num tua fugit maieſtas, vt aſſumens tibi noctis vmbras nolis videri? Dominus es auroræ, ſolis & temporis: *Tu fabricatus es auroram & ſolem*. In manu tua eſt te abſcondere, & illis præcipere planetis ne oriantur, ſi te ſint humanis oculis manifeſtaturi, quod tibi non placet. Quid ergo erit: *Dimitte me: iam enim aſcendit aurora?* Noui nonnullos illud ingenioſè enodantes. Vrgebat Iacob Deum vt homo fieret, impleretque promiſſum ſuum factum auo ſuo

Gen. 32.
I.
Explicatur hic locus.

Pſ. 88.

Abraham. Nondum venerat plenitudo temporis: de quo ſic Apoſtolus. *At vbi venit plenitudo temporis*. Et cùm Regem negare aliquid neceſſitate oppreſſo, & ſupplicanti cùm poſſet facere, non ſit negotium diei ſolique exponendum, quodque paſſim omnibus innoteſcat oportet: etenim periculo ſe exponit ne detrahatur opinioni, quæ de Regis circumuolat magnanimitate: ita ipſe Iacob alloquitur, aurora de tenebris formoſa prodit, tuis valeo precibus reluctari: ſed qui de die vident in te neceſſitatem & petitionem, & in me poteſtatem, nec tamen te dimittam exauditum, quid non obiicient? æſtimationis meæ honoriſque iacturam incurram; idcirco *Dimitte me: iam enim aſcendit aurora*. Concinniùs hoc explicemus. Vim inferebat (lucta ſimilis erat qualis poſtmodum nepotis) Abraham de remiſsione culparum Sodomorum. Eouſque diuina ſe demittit bonitas, vt ſe cum creatura ſua ſtatuat, quatenus licitetur pro quinquaginta iuſtis, triginta, viginti, decem, & dicendo, *Non delebo propter decem*: da mihi decem bonos, & petitis tuis annuam; ait ſacra pagina. *Abijt Deus poſtquam ceſſauit loqui ad Abraham*. Abiit nec vlteriores paſſus eſt replicas, ipſum deſerens adhuc loquentem. Quid hoc Domine? hæc-

Galat. 4.

II.
Deus ſeruorum ſuorum exaudit orationes.

OLEAST. In Geneſ. c. 33.

hęccine tua est erga amicos tuos iustosque vrbanitas? Est vtique: nam sicut ex vna parte negare quidquam nescit iusto, atque ex altera iam data esset definitiua & irreuocabilis contra Sodomitas mortis sententia: vt suæ consuleret auctoritati recedere maluit, pariterque honori prospicere, quo solet seruos suos afficere, petita eorum concedens, & ocyus discedere nullam aliam expectans obiectionem, quàm se periculo exponere diutiùs moram trahendo, ne Abraham fortius instaret: hoc supposito quòd preces eius non esset exauditurus: iustū autē aliquid à Deo petere nec obtinere, causa est cur diutiùs Deus non hæreat, aliasque expectet supplicationes; abeat igitur Deus: minùs etenim inconueniens talis est absentia, quàm misericordiam quasi ignominiæ exponere: sic ille Iacob: nemo me videat, ne fortè dicatur, quòd ad ortum solis postulata tua pertinax reiecerim, quocirca *Dimitte me.*

Oleast. In Genes. c. 33. Nec hoc me latet quod noster Oleaster illud ad mores trahat: Deo non placere, quod animæ in hac peregrinatione semper abundent consolationibus, sed in cęlo: hîc etenim nullo modo firmiter tenendum quod cælesti patriæ reseruatur: vnde conspicere licebit iustum nunc fauoribus donisque affluentem, altero die his omnibus destitutum, pressumque angustiis: nunc deliciis & lenimentis diuitem, statim autem cruciatibus pœnisque obrutum: ad ortum solis totus est ardens & instar fornacis amore flagrantissimus: ad occasum totus tepidus, & instar glaciei frigidissimus: quid plura? vadit & venit Deus, non est quod illum diutiùs detineas, suam hîc negat societatem, & perseuerantem cum amico familiaritatem. Nec idcirco quisquam animo despondeat, nam pluris hoc refert, Audite: *Nolunt enim superni ciues tam palam se ostendere, ne familiariùs cognoscantur.* An ergo Deus sine vmbris, cortinis, velis? an non celeriter, & violentè? Vtique. Modò ad rem. Consecutus est, vt diximus, Iacob benedictionem, & ictum illi infligente Angelo in parte pedis superiori, vbi virtus generatiua consistit, nunquā eū potuit Iacob firmiter in terra figere. *Tetigit neruū femoris eius, & statim emarcuit.* Gen. 32. Historia hæc est, figura & prototypon prærogatiuarum Beatæ Virginis eiusque rarissimorum meritorum: nam ad ortum auroræ effecit Deus hominem infecundum & sterilem, cùm ante non esset. Hoc igitur adstruamus, quòd D. Virgo aurora sit: *Aurora consurgens*, vt illi conueniat quod ait Angelus de aurora quòd ascendat: *Iam enim*

 ascendit

ascendit aurora. Quasi dicat ad Iacob: *Dimitte me*: necdum enim aduenit tempus supremæ meæ tecum vnionis, & cum tua generatione communicationis. Illa aurora quæ prodit, ad cuius lucem nolo modò videri in terra symbolum est creaturæ cælestis, quæ futura est mater mea: & donec illa venerit, nulla creatura illum meretur gradum sanctitatis qui requiritur vt assumam humanam naturam: quãobrem *Dimitte me:* talis etenim gloria nequaquam tibi est reseruata. Clariùs adhuc illud nobis exponet sententia quædam satis difficilis Canticorum: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* D. Ambros. legit: *Quia ipsi me eleuauerunt.* Lætitiam attulerunt mihi oculi tui. Metaphora ex quotidiana sumitur experientia. Absoluit pictor imaginem tanta ingenij dexteritate commendabilem, vt vltima producta linea, opereque consummato illam inspiciat, & quasi dubius ac vix fidem adhibens quod manibus suis adeò subtiles duxerit lineas, totus admiratione suspensus, seipsum interrogat. Credámne talem me depinxisse imaginem? non credam. Tanta est Mariæ dignitas, quando de diuinis prodiit efformata manibus, & naturæ tollitur penicillum effingendo corpusculum illud sanctissimum tali gratiâ decoratum, vt si in Deum præsumptuosa operum suorum caderet arrogantia; nulla magis titillaretur, quàm quòd in lucem produxerit pulcherrimum illud gloriæ suæ prototypon & omnipotentiæ suæ testimonium, tabulam hanc: erit etenim liber in quo Deus inscribetur. Porrò demus sententiæ huic aculeum illum quem illi tribuit D. Ambrosij facundia, in cuius ore fauum mellis operatæ sunt apes, dum adhuc puerulus in cunis vagiret: quia locum hunc tanta erat verborum elegantiâ & lepore declaraturus. Quærit igitur, Quomodo Deus Virgini correspondet: *Auerte oculos tuos à me.* Siccine Domine matrem tuam alloqueris: ne me attentè conspicias? Quod aliud obsecro speculum habuisti in terra, nisi cælestes eius oculos, ad quorum lucem, velut astrorum summè relucentium teipsum mundo reuelasti? Quomodo *Auerte*? Oculos tuos à me deflecte, alioque lumina contorque. Responsum igitur Antistitis Mediolanensis audiamus. Prædestinauit Deus in æterna sua præsentia, decreto, & consilio, atque ad tantam prçordinauit gratiarum altitudinem beatissimam semper Virginem (ipsamet attestante: *Ab æterno ordinata sum.*) Vt si hinc perpendat amplitudinem gratiarum & donorum excellen-

Cant. 4.

III. Mariæ quanta sit virtutum pulchritudo.

D. AMBR. Cant. 4.

Prou. 8.

cellentiam, quibus illam insigniuit: atque illinc redemptionem humani generis, quam ipse operaturus erat, siquid intelligo, veritus ne intuitus Mariam reliquorum obliuisceretur, ex eo quòd in illa notaret omnes in gradu heroico perfectiones, & sibi sufficeret Mariam redemisse; illam eligens & cum illa sola conuersatus, ceterarum suspenderet curam creaturarum; ait: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me eleuauerũt.* Rogo te, dulcissima mater, cùm de imperiali meo descendam throno cunctas redempturus, & in bonum omnium vniuersale: ne lumina tua in me defigas: etenim sic suspendis me, eleuas, & in te solam cogis: vt memoriam abiiciam passuum, quos pro totius humani generis salute sum ingressurus. Huius optimi conceptus Auctorem profero: *Possumus & hîc accipere: auerte oculos tuos: & si tu perfecta es, aliæ mihi animæ redimendæ sunt, aliæ fulciendæ: eleuas enim me videndo: ego autem ideo descendam, vt omnes eleuem.*

D. Ambr. Cant. 4.

Exponamus hoc clariùs ex eo quòd in triumphali Christi contigit Ascensione. Intuentur Apostoli nubem illam quæ ipsis thesaurum auferebat, simulque cordis intima, Dei curriculum. *Thronus meus in columna nubis.* Et cum tardè procederet, ni fallar, ex angustiis & desideriis quibus cælum flagrabat empyrium fruendi sanctissima illa humanitate Saluatoris, nũtios destinat binos Angelos qui hæc collegio renuntient Apostolico: *Viri Galilæi quid hîc statis aspicientes in cælum?* Quid oculos in altum attollitis? Sed quare non sursum aspicerent: eò tendunt oculi, vbi bonum sibi quærunt: abit ad cælestia vita eorum, gaudium & gloria, & fugientem hanc gloriam oculis suis non insequerentur? Attendite, ô sacratissimi Apostoli, attendite & videte. Porrò ne fixiùs intueamini (quasi sic dicerent Angeli) quia ascensus sui, cælique propter vos obliuiscitur, in quibus animam habet: ne vlterius aspiciatis, illum etenim deorsum detineris. Quinimo si vis verbi perpendatur: *Nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Lucidiùs hoc mihi declarat. Suscepit eum nubes ab oculis eorum, eo modo vt in Apostolis esset quasi captiuus, & nisi ipsi illum traderent, non ampliùs eum intuendo, sed lumina declinando, cælum pro votis illo non frueretur. Non igitur miremur quòd Virgini dicat: *Auerte oculos tuos*: si namque possibile foret, nullius recordaretur, totus semperque suspensus in contuendo Mariæ cælestes oculos, diuinamque præsentiam.

Act. 1.

IV. Quantus fuerit Amor Christi erga discipulos.

Subtiliter notauit D. Petr. Chrysolog. quòd dum Angelus

Luc. 1.

Gabriel Zachariæ prænuntiat Ioannis Baptistæ conceptionē & natiuitatem, illi dixerit. *Vxor tua Elisabeth pariet tibi filium:* Hæret præfatus Doctor in illo verbo: *Pariet tibi*: beneficium promittit omnino singulare, quando ingreditur sacerdos Zacharias pro toto populo Israel rogaturus, cuius officium est pro cunctis intercedere, *Pro sua & populi ignorantia*; ait D. Paulus. Quomodo ergo in promittendo tibi filium acquiescis, teque contrahis non intercedens pro tanti populi supplex necessitatibus, cuius tibi incumbit curas causasque promouere? *Putásne sacerdos tantus, sic est populi, sic vniuersitatis oblitus: vt de conceptu veteranæ coniugis, de partu desperata sterilis rogaret, vt sibi soli legatus omnium tunc adesset, vt aduocatus omnium, pro se singulariter oraret?* Elegantissimum certè tantoque viro dignum dubium: nec diutiùs suspendit responsum; & quale futurum illud? Licet promissum videatur exiguum, animusque sacerdotis auarus: non tamen sic se res habet: in promittendo enim dandoq; D. Ioan. qui vnicus est, omniū occurritur necessitatibus, omnium satisfit desideriis & orationibus: ipsum etenim Baptistam cælum bono creauit vniuersali. nefas duxero eius præterire verba: *Quid tenemus, quid diu suspendimus animos auditorum? Quàm non sibi soli, sed omnibus adfuerit iste venerandus Antistes, quàm responderit Angelus vniuersis, quàm Deus prospexerit in vno isto germine sacerdotis, quem genitoribus vtique & ipsi ob hoc delegerat naturæ, vt eum daret vniuersitati, largiretur sæculis, populis condonaret.* Si igitur in iusto vno inuenit Deus quod desiderat, illudque multiplicat, & ad omnes extendit: non est cur miremur, quòd cùm tantam gratiarum eminentiam, & priuilegiorum cumulum in Maria congregauerit, qualia nulli tradidit creaturæ: ipsa sola plus ceteris illum trahat, suspendat, suique amore succendat.

V. Ioannes Baptista toti mundo datus est.

D. PETR. CHRYSOL. Serm. 88.

Discursus IV. *Non diu protraxit Deus honorare matrem suam: etenim in Conceptione illam extollit, iam Angeli illam vt Reginam reuerentur, & Euangelium eam appellat Matrem Dei.*

De qua natus est Iesus. *Matth. 1.*

PArua nequaquam fuerunt obiecta, quibus ingenia, calamique exacuerentur SS. Doctorum, dum hi subtiliùs expendunt, cur tam citò cantetur D. Virgini Euangelium cum titulo Matris Dei. Quamuis enim illustris

ſtris aſcendentium progenitorum eius familia feſto optimè conueniat, quatenus conſtet eam ex nobiliſſima totius orbis ſtirpe deſcendere: poterat hîc ſiſtere Euangeliſta, nec gloriæ huius deſcribere Epiphonema; *De qua natus eſt Ieſus*: cùm nondum natus eſſet. Reſpondebimus quod in eo quòd ſpectat honorem Matris Dei, non attendit operis illius in tempore executionem, ſed illum anticipat: vnde anticipatiuè talis illi debetur titulus, cùm tantopere in illa gratiæ ſuæ dona præordinauerit. Loquatur D. Ioan. Damaſcen. *Natura voluit in conceptu Virginis gratiæ cedere, vt Virginis Conceptio gratiæ Dei non viribus naturæ tribueretur.* Cùm autem Princeps iſta, quam ad ſui reparationem mundus naſcituram præſtolabatur, tantâ præfulgere deberet excellentiâ: idcirco natura manum huic adhibens imagini, tremens & ſe contrahens retrorſum abiit, expectans donec gratia, artifex magis induſtria, picturam abſolueret, cum ipſi naturæ vires deficerent, media, poteſtas, & prærogatiua. Alludit ingenioſè Sanctus ad locum quendam Geneſ. qui nobis illud exponit. Thamar geminos in vtero portabat Pharez & Zaram: cœpit hic vltimus primò egredi, manum exponit cuius digito obſtetrix alligat curioſa nimis filum coccineum. *Iſte egredietur prior.* Euge age puſio qui te priorem promoues, tibi debebitur primogenitura. Vt ſe ligatum ſenſit, velut ſi intellectu pollere, fugit de glorioſa illa præcedentia, manum retrahit, & denuo in obſcurum illud maternorum viſcerum ſe abdit cubiculum, quaſi prioris audaciſque pœnitens egreſſionis. Detegit hic D. Chryſoſtom. abditum in tam raro caſu Sacramentum. *Neque enim conſueti motus hoc fuit, ordiniſve naturæ*; retrocedere cum iam egredi incepiſſet: Quandoquidem ex iſtis pueris deducenda erat Virginis genealogia dum prior ligatur ſe puer abſcondit, (inquit Deus:) nam naſcenti vt ſit matris meæ progenitor, ligatur illi manus; regrediatur; & in lucem prodeat ille non ligatus: ita ſignificat naturæ, vt ſecedat: nam ad beneficia Mariæ conferenda, vult habètque Deus extenſum brachium, idque in tantum, vt licèt in præſentiarum & actuali poſſeſſione, non ſit mater, accedit tamen gratia & ait; hoc meretur: illud hic ſignificatur: *Natura voluit in conceptu Virginis gratiæ cedere.*

[Margin: DAMASC. Orat. 1. de Natiuit. Virg.]
[Margin: I. Gratia in Conceptione B. V. naturam præuenit.]
[Margin: Gen. 38.]
[Margin: II. Allegoria.]
[Margin: D. CHR. Hom. 3. in Matth.]

Suſpenſi & attoniti Angeli, quaſi qui viciniores videant Celſitudinem Mariæ in tanta còrporis exiguitate, dicunt & ſe mutuò interrogant: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi ex aroma-*

[Margin: Cant. 3.]

aromatibus myrrhæ & thuris & vniuersi pulueris pigmentarij?

III. D. Virgo fumo comparatur.

Causam sciamus (ô beatissimi Spiritus) cur fumum & virgam, supremam vestram appelletis Reginam? Illámne quæ sedem suam habet sub vmbella Dei? Hæc communis solet esse responsio, metaphoram hîc latere quæ præclarissimam Mariæ denotat gratiæ prærogatiuam. Fumus in S. Pagina reconciliationem indicat. Offert Noë, cessante diluuio, sacrificium: *Odoratusq́ est Dominus odorem suauitatis.* (Gen 8.) Ita Deo placuit gratusque fuit hic fumus auium & animalium occisorum, vt iam placatus verbo suo regio iurauerit se posthac aquarum diluuio terram non demersurum. Seditiosi commouentur Israëlitæ in campo: diuina punit illos & igne consumit iustitia: summus verò Sacerdos stans medius inter viuos & mortuos thus suo thuribulo adolens, fumo illo extinxit incendium & vorax illud actiuumque pressit elementum. *Obtulit thymiama & stans inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* (Num. 16.) Dum dicitur ergo Maria esse *Virgula fumi*, eius non diminuitur excellentia: imò potiùs summa eius nobis innotescit potentia, quod sic Deum placet sitque mediatoris mediatrix. Sed nostro congruenter argumento legit Pagnin. ex Hebræo: *Sicut columnæ fumi.* Virgula est & simul columna ænea Maria; quando vix est mulier, Regina est: quando nec quidem adhuc infantula potest appellari, vocant matrem: & quando recenter plantata pampinus est tenerrimus, ac delicata virgula in fertili illa tellure matris suæ Annæ, iam est & dicitur nedum vna columna sed plures. *Columnæ fumi, virgula fumi.*

In templo Salomonis tanta erat ornatus opulentia & curiositas, vt ipsi lapides fundamentales ad regulam essent elaborati: *Præcepitq́ Rex vt tollerent lapides pretiosos in fundamentum templi & quadrarent eos.* (3. Reg. 5.) Quis hoc excuset à mysterio, cum lapides illi ab humanis essent oculis abscondendi, nec significare dicat, quod in fundamento templi sanctissimi Mariæ collocaret Deus diuitias & expensas? si namque res penitiùs inspiciatur, sufficit opus illi dedicari: *Soror nostra paruula est* (inquit SS. Trinitas) corpus tenerum: porrò *si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* (Cant. 8.) Metallum primum est aurum, diuinitatis symbolum: secundo loco argentum. Puella igitur hæc (ait Deus) quandoquidem de nostra eminentia habeat & partem obtineat digniorem, coronetur propugnaculis argenteis: etenim ex nunc, quamuis virgula, mortalibus columna est

& præsidium. Attentiùs consideretur scala Iacob, cuius pars superior cælum, inferior verò terram contingebat; & *Angelos ascendentes & descendentes.* (Gen. 28.)

IV. Maria scalæ Iacob similis.

Quomodo fieri poterat, vt priùs ascenderent, quàm descenderent ciues cùm essent, & cælorum ministri? dicito potiùs Historiographe, quòd priùs descenderent, deinde ascenderent. Nequaquam. Quia hæc scala Mariam præsignificat: & quando victura erat vitâ terrenâ, quod est descendere, viuit vitâ gloriæ, quod est ascendere.

(D THOM. 1. p. q. 7. a. 2. ad 3. DAMASC. L. 2. fid. c. 7. BEDA lib. de temp. rat. c. 4. ANAST. Sin. Proco. Goze. in Gen. Ps. 88.)

Constans est Doctorum opinio quòd creauerit Deus lunam plenam. *In plenilunio.* Hoc ipsi. Est Maria luna, luna perfecta, ita de illa Dauid in Psalm. Diuina solis iustitiæ substituta, sicut illa est planetæ illius corporalis: *Sidus terræ familiarissimum.* Cuius influentiæ nobis sunt vt matris benignissimæ: quia verò talis est B. Virgo hodie videtur plena nullis subiecta defectibus. Ita Anastas. Sinaita: *Luna quædam plena, Maria, numquam diminuta fuit, aut defecit.* Finem argumento verba imponant D. Petr. Chrysologi, quibus concludit Mariam iam meritò vocari matrem Dei. Agit Sanctus hic de felici Martyrum Innocentium sorte aitque: *Christus istis dedit ante triumphare quàm viuere, quos donauit coronis antequam membris: ante possidere cælum quàm terram, nec ante humanis inserere quàm diuinis:* ita, vt vnico verbo dicamus, priùs se decoratos coronis lætati sunt quàm capitibus in quibus illæ præfulgerent.

V. Maria luna plena est.

(D. PETR. CHRYSOL. Serm. 152.)

VI. Laus Innocentium.

Difficultatem mihi hoc mouet (Doctor sanctissime) triumphus ille prœlium supponit, vita gloriosa priùs vixisse, ipsa corona caput cui imponatur, vitta tempora, & messis seminationem. Si igitur infantes illi non prœliantur quomodo triumphant? Si non seminant, quo iure metunt? Si capita non habent, quâ ratione coronas? Hoc adnotemus, quòd in primo verbo, præcurrens difficultatem, responderat: *Christus istis dedit.* Donum fuit hoc Dei: qui numquam illiberalis est, voluitque mundum intrare, manu effusa beneficia donaque distribuens: *Christus istis dedit:* Sine bello trophæa, sine capite coronas, cælum sine vix vlla terræ inhabitatione.

Si igitur tanto fauore puerulos illos liberalis præuenerit, qui tantùm illi seruierunt sanguine suo, sed alieno profuso gladio non propria moti voluntate; Principem illam in altissimum electam finem, quæ Deum erat vestitura de purissimis suis telam texens visceribus, quæ humana licèt, non tamen foret diuinæ purpuræ disconueniens: quis sapiens neget, in eum fore promouendam gradum dignitatis,

tatis, vt iam statui possit tanquam fimbria summusque apex: *De quâ natus est Jesus.* Priùs illi sceptrum porrigit quàm manum quâ sceptrum teneat, & in infantilibus membris, quæ nostræ subiecta sunt exiguitatis, suas collocat eminentias. Ante gloriam premit, & eius sumit ipsa possessionem quàm terræ. Dicatur ergo: *Quàm donauit coronis, antequàm membris.* Hodie mortalium spes refloret, cùm primus statuatur lapis palatij domusque Dei. Occasio hæc est & dies in quo nobis Propheta iubet regius: *Buccinate in Neomenia tubâ.* Et tota possumus fiducia nos homines postulare à diuina Maiestate beneficia donaque gratiarum: si namque matrem suam tantâ festinauit honorare gratiâ: nobis in hoc promisit, quòd ipsa intercedente gloriam possimus adipisci sempiternam. Amen.

Ps. 80.

Additus. Discursus V. *Quando concipitur & esse incipit futura Dei mater: iam homo non desinit, nec manibus diuinæ iustitiæ & legis antiquæ moritur: quinimò de nouo in noua renascitur, fundante Deo regnum suum per Mariam in misericordiis.*

HOdie cessare incipiunt rigorosæ executiones, & legis antiquæ seueræ finiunt iustitiæ. Metus vmbræ propelluntur, quibus cor humanum viuebat semper pauidum: gladij eorumque acies hebetantur: puella vnius diei filia, de manu Dei arcum & sagittas eripiens cõfringit, & Dauidis impletur oraculum: *Arcum conteret & confringet arma.* Fames, quâ mundus laborans ingemiscebat, in lætissimam transit omnium abundantiam: quandoquidem lanceæ mutentur in falces quibus segetes metantur frugiferæ: sic vates prædixerat Isaias: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Non parum torsit ingenia quæstio hæc: quisnam sit ille liber bellorum Domini, de quo meminit *Liber Numeri.* Iam populus Israëliticus perfectam de Chananæis retulerat victoriam, prostrauerat, & omnes eorum eruerat ciuitates, & in aliam transmigrans mansionem ad rapidissimum accessit torrentem, scopulis circumcinctum, tantaque aquarum abundantiâ intumescentem, vt transitus censeretur impossibilis. Aquas diuisit Dominus vt egerat in mari rubro: sublimes eius inclinauit scopulos, rupes eius spectante toto exercitu deiecit. S. Pagina hæc & alia enarrans omnipotentiæ Dei stratagemata, librum hunc profert & addit: *Vnde dicitur in libro bellorum Domini: sicut fecit in mari rubro. sic*

Ps. 45.

Isai. 2.

I. Quis liber bellorum Domini.

Num. 21.

sic faciet in torrentibus Arnon, scopuli torrentium inclinati sunt.

L. 1. Bibliot. Doctissimus noster Sixtus Senens. ex opinione quorumdam Hebræorum affirmat librum hunc esse librum Iudicum & Numeri, in quibus enarrantur præclara facinora & mirabilia quæ Deus operatus est, dum populus Israël sibi Regna subiiceret & Prouincias; nec non bella cum Amalecitis, Chananæis, Amorrhæis aliisque nationibus: quarum quædam armis subactæ sunt, aliæ metu territæ se dediderunt, & liberum transitum exercitui Israël concesserunt: hanc opinionem secutus est Liranus. Adiungit D. August. librum esse scriptum ante tempora Moysi, quo successus futuri prædicebantur, & modò non extat, nec certò scimus qualis ille fuerit. Occurrit acumen subtilis Lusitani nostri Oleastri, & quærit: cùm iam semel scriptus fuerit, cur non superstes manserit, *Ad perpetuam rei memoriam* eo modo quo cæteri S. Paginæ? Nodum audiant: respondet: cùm enim in eo Dei legerentur supplicia & sanguinis effusiones: modò in Ægypto, modò in mari Rubro, modò in Aaron aliisque multis: perseueret vsque ad dies Moysi quatenùs populus ille diligat & tanto seruiat benefactori: Gentiles autem idololatræ timeant & oculos suos aperiant, vt veram agnoscant diuinitatem, per ipsos edocti rigores in se suisque antecessoribus. Verumtamen in lege gratiæ, & Dei in illa cum matre sua, submergantur talia monumenta, non vestigium eorum remaneat, vt nec diuinando coniecturemus quid actum fuerit, humanam lateat scientiam: cùm enim Deus iam pacem, delicias proclamet & blanditias, his nequaquam conueniunt dantque manum bella, cædes, & prœlia: *Liber bellorum.* Quando Deus coopertus & dignitatem suam dissimulans inclinat Maiestates? In nullo prorsus casu. Liber ille finem accipiat, qui manifestat illum hominum punitorem: alius exordium sumat in quo humana incipit vita ex parentela Dei insigniter nobilitata. Hic solus perseueret, alter autem expungatur. Prodit Oleaster. *Et fortè voluit hunc bellorum librum perire, vt solùm nunc iactaret opera misericordiæ, quæ in humanitate fecit pro nostra salute: non enim in Euangeliis legis, qualiter debellauerit homines hostes: sed qualiter ab infinitis, & incurabilibus morbis inimicos peccatores sanauerit.*

Liran. in Numer. D. Avg. L. 12. de ciuit. ex Sixto Senens.

II. Cur modò non extet.

Oleast. in c. 21. Num.

Conceptum hunc promouet ingenium subtile D. Petr. Chrysol. Enarrat D. Lucas Euangelista mysteriosum Christi ingressum in vrbem Iericho apud SS. litteras nominatissimam, cuius Iosue 6.

 muri

muri alioquin inexpugnabiles ad sonitum tubarum & Arcæ transitum corruerunt, redacti in puluerem tenuissimum. Ait igitur D. Lucas : *Et ingressus Jesus perambulabat Jericho :* attentè plateas eius, fora, locaque publica perambulabat, vrbis situm considerabat, nihil denique in circuitu diuinos eius effugiebat oculos: hoc enim verbũ hoc grãmaticale *Perambulare* denotat : nec ipse diabolus hoc optimè callens, iuxta vulgatam nostram lectionem aliud inuenit verbum quo Deo significaret se totum circuiuisse mundum in casu Iob quàm hoc, dicens : *Circuiui terram & perambulaui eam.* Admirationem mouit D. Chrysologo tanta hæc Christi curiositas : *Perambulabat.* Non legimus quòd Hierosolymis, in Nazareth, Capharnai aliisque ciuitatibus tam strictum inierit examen, cunctaque lustrauerit: qualiter hodie in Iericho, vt eam dignam redderet quam singulari oculorum suorum intuitu non inaduertenter inspiceret. Quid in hac quod nequaquam in aliis? Attendite : respondebit consueta sibi & acuta breuitate. Casus hic est : cùm enim ciuitas, eius fuisset imperio deuastata, tempore legis scriptæ, consequenter eius euersio scripta manserat : cùm autem adesset ruinam nostram in lege gratiæ restauraturus, quasi confusus ex eo quòd ipsum ibidem passi fuissent bellatorem, & legiones eius ad vrbis Iericho destructionem : perambulatione sua eam honorare & reparare voluit, vt rigor præteritus præsenti fauore traderetur obliuioni.

Luc. 19.

III. Cur Christus Iericho ita perambulauerit.

Iob 1.

Nota.

IV. Similitudo.

Exponamus hoc similitudine: actionibus iis contrariis, quas aliquis solebat exercere, præcedentes obliuioni traduntur. Erat vir aliquis suprà modum immitis, ferus, crudelis: modò mitissimus apparet, & quem omnes vt patientem experiuntur: huius omnes recordantur: quia oculis patet, præteriti verò nequaquam : quia præteriit. Vidimus Deum armata manu flagella cædesque minitantem, vltra quàm ferre possumus seuerum : intendit vt huius nobis pereat memoria: quid agit? oppositam ingreditur viam: olim manibus euertebat, hîc pedibus benefacit: olim vocibus & clamoribus destruxit: *Vociferamini*, hîc prædicationis suæ sonitu restaurat, & hoc modo misericordiæ suæ reparat auctoritatem, eam memoriæ nostræ tenaciter infigens. Aurem præbere Rauennati Archiepiscopo : *Jericho ciuitas ipsa est quam Jesus Naue septeno tubarum clangore subuertit: sed quia Christus venit saluare quod perierat : ingreditur Iericho, vt quod lex terribili vociferatione deiecerat, Iesus clamore piæ prædicationis attolleret.* Dum Christum cerni-

D. PETR. CHRYSOL. Serm. 54.

cernimus benignè perambulantem, diuersi modi colligimus iudicium, quo mortales excipit: tunc rigorosè, licet iustè, semper blandè si spectes effectus & signa, nunc autem multò ampliùs. Quocirca cùm ante quæsiuisset: *Quare perambulat?* vnico verbo respondet & omnem soluit difficultatem: *Quia quod Moyses ambulauerat, perambulabat Christus.* Cùm enim antiquitus Deus hominum pedibus ambularet, nunc autem propriis: hinc sequitur quod factus homo benigniorem se demonstret, quàm dum in solio suo residens, tantùm Deus erat.

V. Christus ex Maria benignior.

Cæterùm in gloriam S. Virginis lucem D. Petri Chrysol. secutus dicam: quòd sicut Iericho interpretatum dicitur Luna, symbolũ Mariæ: ita ad eius conspectum eiusque gratiâ, tenerè excipit, piè ambulat, suauiter perambulat: pedes etenim huic diuinæ vrbi Iericho insigens, totus ab ea immutatur, quod ipsa nos docet experientia. Nolim abysso egredi D. Petri Chrysol. iam semel illi immersus: vnde conceptum meum eius fauore latiùs explicabo. Loquitur de felicissimo illo temporis momento, quo creator omnium à creatura sua vnum *Fiat* expectabat, & consensum suum, inter puras purissima Virgine tribuente, Dei Verbum regium eius intrauit palatium: dicit igitur: *Mox sensit in se supremum suscipi iudicem: vbi ante iam cælestem vidit & contemplata est metatorem.* Cogitabat se iudicem recipere, & qualem ante contemplata fuerat ac viderat: *Contemplata est metatorem.* Tota sententiæ elegantia consistit in explicatione termini *Metatoris*: & omissis variis expositionibus quas legere licet in Calepino, nec hodierno proposito seruiunt: hæc vna proponitur. *Metator est qui locum futuro ædificio disponit.* Ait igitur Chrysolog. Adueniebat Verbum Iudex: *sensit iudicem*, & virginalis hospitij claustrum ingrediens in diuinum mutatur metatorem: non capio. Quæ regna, quas sibi proponebat in eo fundare ciuitates, vt eam ob causam hic illi titulus attribuatur, & quia pedes iñ terra figit, agnoscatur? Attendite: iam enim ostensum est. Considerabat attentè in se Maria SS. omnipotentem, fortem, Deum exercituum: ipsum qui diluuiis & inundationibus nunc aquarum nunc ignium ciuitates mundumque absumpserat.

VI. Venit metator in Maria.

Alta mente perpenderat aduentum hunc ad saluandum, eundem esse qui ad iudicandum: vt ipse postmodum dixit: *Non vt iudicet mundum sed vt saluetur mundus per ipsum:* quocirca concinnè dixit D. Petrus Chrysol. quòd in Virgine Deus apparuerit pacificus ædificator huius re- Ioan. 5.

gni Pacis, deposito apparatu & toga iudiciali, sponsi decoratus annulis & monilibus insignis. Mariæ ergo debetur quòd mundus sit Iericho: etenim per symbolum matris suæ renouat inueterata, erigit lapsa, attollit deiecta, pergit illam denuo ædificaturus. *Meditata*, hoc est, *contemplata est metatorem.* Laudibus celebrat cælestis ille spiritus virginem sponsam suam, amoris sui theatrum aitque de illa in
Cant. 4. Canticis: *Sicut turris Dauid collum tuum.* Mystica est hæc lo-
VII. Maria fortissima. quendi formula. Si quis capiti suo turrim haberet impositam, quâ ratione illud liberè & alacriter attolleret? Ipsa non ferenda ponderis grauitas vel inuitum ad centrum terræ illum inclinaret. Hoc igitur supposito, quod erit illud de Virgine præconium, quod capiti suo turrim gerat impositam, cuius nonobstante pondere caput queat eleuare? Solutionem inueni apud Guilbertum Abbatem D. Bern. spiritus heredem. Quis ignorat antiquam legem onus fuisse insupportabile, ceruicem eorum quos subiectos tenebat, opprimens? Ecclesiæ Princeps D. Petrus illam appellat iugum quo animalia terram operantia gra-
Act. 15. uissimè deprimuntur. *Et nunc quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* Porrò si quis metiretur subiectum & collum, quod recipiendo non tantùm legem, sed & ipsum legislatorem, nullam sentiret grauitatem, & liberè se cælum versus attolleret: quanto robore, quibusve viribus prævaleret? Tales in Maria commendantur: pondus etenim diuinæ seueritatis, turrim intelligo quæ mortales carnes euertebat & homines conterebat, in se leuem adeò facilemq; reddidit vt iam in Virgine non grauet Deus, & per Virginem eius supplicia non opprimant in suaues iam conuersa misericordias, deducendo quippe ad gloriam non nisi gratiam spirat & beneficia. VIII. Dei supplicia mitigauit.

Comparat igitur Guilbertus Abbas locum hunc Canticorum illi mulieri à Christo curatæ (referente casum D. Luca) ita miserè contractæ, vt ne quidem oculos suos ad cælum eleuare posset: actio tamen oculos habenti facillima iudicatur, sed ad terram elementum omnium infimum inclinaretur: *Nec omnino poterat sursum aspicere.* Huic mulieri opponit Virginem, quæ leuis adeò & non impedita cælos illos penetrauit, nulloque cognito obstaculo illos velut eorum Regina ingreditur. Et illam dicit præfigurare humanam naturam tanta grauitate curuam quanta culparum multitudine plenam quæ deiiciunt, mutantque velocissimam Aquilam GVILB. Ser. 26. in Cant. IX. Allegoria de muliere incurua. Ps. 39. HVGO.

lam in tardiſſimam teſtudinem. Maria ſublimi nitens collo tollit impedimenta, quibus mortales præpediti detinebantur, vſque ad hanc puellam pulchram nimis, omni remedio deſtituti. Nunc ſenſus patebit huius encomij. *Sicut turris Dauid collum tuum:* hæc tua eſt inclinatio, per collum illud vocem hanc formari: *Ecce ancilla Domini.* Vocem, inquam, adeò efficacem, vt ipſum attrahat Deum, vt omnia ſoluat pondera, vt rigoris occidat ſeueritatem, vt eſſe habeat cum exordio eſſe Mariæ homo in terram deiectus & obliuioni traditus. Loquatur modò Guilbertus: *A natiuitate hominum graue iugum ſuper filios Adam: verè graue, quod mulierem illam Euangelicam annis decem & octo incuruauerat nec ſineret ſurſum reſpicere, multum diſſimilem ab iſta, quæ ceruicem in turris modum ſuſtulit in cælum.* Quam certiorem habebimus confirmationem quàm ipſa Verbi verba, quibus Dauid illud introducit Patri ſuo æterno colloquens? *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam. Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei.* Quod eſt hoc libri caput? Aliqui capiunt illud de æterna prædeſtinatione per quam præuiſa hominum malitia decreta fuit filij Dei mors. Ita interpretatur Hugo Cardin. *Scriptum eſt de me, id eſt per præordinationem.* D. Hieron. librum capit Geneſis, in quo culpæ humanæ hiſtoria narratur, quæ in libro hodierno reparata monſtratur.

Gvilb. Ser. 26. in Cant.

Pſ. 39.

Hvgo.

D. Hier.

Sed addit noſter Card. Hugo: inter alias ſignificationes vnam dari de nomine libri ſeu principij vitæ B. Virginis, quæ Chriſto vitam tradidit temporalem: ad quod indubiè alludit D. Paulus, quando ſic verſiculum Pſalmi transfert: *Et legem tuam in medio cordis mei*, vel *ventris mei:* cui præpoſitum erat: *Ingrediens mundum.* In cordis mei panniculis, vel in maternis viſceribus, grata fuit mihi lex iſta eamque libentiſſimè acceptaui: lex erat ſcil. amoris ex ſententia Hugonis: *Legem tuam, id eſt, charitatem:* ait igitur Chriſtus: Diligere volo hominem, & volui & charitatem illam acceptaui in ventre matris meæ: deſidero vt intelligatur pars magna, quam in hoc amore Dei dilatato habui, & in aſtutiis quibus vtitur in lege gratiæ. *Et legem tuam in medio cordis mei.*

X. Deus ex iure affinitatis nobis tenetur miſereri.

Penſanda ſunt verba Archiepiſcopi Taurinenſ. S. Maximi conſolatione pleniſſima, quibus hominum ſpes roboretur, cuius fons ipſe Deus eſt, canalem autem, per quem torrentes illi promanant, Mariam dicimus: *Miſericordiam igitur mihi præſtare debet diuinitas: neceſſitudinem exhibere debet affinitas.* Ex iuſtitia ef-

flagito à Deo fauores ob parentelam affinitatis. Terminus hic *Affinitas* grauem mihi conciliat attentionem: ſed tandem dicamus affinitatem intelligi vinculum quod ſponſus cum ſponſa per thalamum nuptialem contrahit. Talis fuit inter Deum & Mariam: vt autem *Maria* ex noſtra progenie ſuam traducit originem, per ipſam homo Dei affinis redditur. Et quid eo infert D. Maximus? Audite. Sicut homo non poteſt ſibi malum optare, nec manus habet quibus ſeipſum impugnet: ita iuſtitia diuina poterat quidem habere manus diuiſa ab homine: modò autem cùm Deus etiam homo ſit, nullo modo: ipſa SS. Virgo nos ad hanc euexit affinitatem cum Deo: metum pellamus, quo priùs ita turbabamur. *Neque enim tam immitis eſt Dominus, vt obliuiſcatur hominis, & non meminerit illius quem ipſe geſtat.* Si in ſeipſo ſicut ſeipſum geſtet Deus hominem, an hominis poterit obliuiſci? Nemo dixerit.

D. MAX. *Hom. 3. de Paſc. Nota verba.*

Cantetur igitur ô ter maxima Domina Maieſtati tuæ hodie in principio eſſentiæ tuæ Euangelium, in quo dicitur Deus illud accepiſſe: atque in hac linea ſeu genealogia intrent ac numerentur homines velut diuini: quandoquidem concepta ſis ad tantum hominis bonum, tantamque Domini gloriam: ſi namque hodie tibi eſſe tribuat & vitam: hoc ea fit intentione, vt illi feſtinè vitam tribuas temporalem. Deuinxit illa mundum ex familia Adam, viuificatrix Maria & oppoſita Euæ hominis interfectrici. *Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit.* Dicite: quòd ſi illa fuerit mater mortuorum, quia lapſus occaſio fuit: tu es mater viuentium, & ita vitę; cõiuncti nempe Chriſto homines collocantur: etenim in ipſo tui gratiâ vitam recuperant amiſſam. Eccleſia laudes tuas anticipet, teque vt librum agnoſcat, in quo Verbum fuit impreſſum. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid &c.*

I N

IN FESTO NATIVITATIS B. VIRGINIS, MATRIS DEI AC DOMINÆ NOSTRÆ.

THEMA.

Liber generationis Iesu Christi. Matth. 1.

SALVTATIO.



OPTATAM hodie celebramus natiuitatem desideratæ Virginis Mariæ: & quid hoc adeò multum si per illam nascamur omnes? dies hic est lætitiæ, in quo Adam auroram aspiciens incipit prostratus in lecto culpæ suæ & tenebris suæ noctis respirare. Congratulationes à nobis tam læta requirunt nuntia. *Quando nata es ô Virgo beata* (sic Rupert.) *tunc vera nobis aurora surrexit, aurora pranuntia diei sempiterni.* Iam nullæ sunt vmbræ, omnia claritas & lux, clara surgente aurora Maria: *Finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium.* Foris mœrores, omnes exultēt, nemo non suam cum gaudio celebret felicitatē. Attendite an non bene dixerit, omnes nos hodie nasci, mundumque renouari, cùm illud attestetur D. Sergius. *Hæc iam nascitur, & vnà cum ipsa mundus renascitur ac renouatur.* Cum vniuersali Angelorum hominumque gaudio fundatur in terra dignum Deo palatium: *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion:* & mōs quidem, quia iam mons est, licèt tam parua, Maria. Audiamus S. Petr. Damian. *Hodie nata est Regina mundi, fenestra cæli, ianua paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala cælestis, per quam supernus Rex humiliatus ad ima descendit, & homo qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit.* Dies hic est in quo exaltatur homo, quia per Mariam Deus se humiliat, domus ei præparatur, lectulus adornatur, secessus & conclaue componitur, paradisus secundo cælestique Adæ plantatur: dicitque præfatus Sanctus de Maria quòd scala sit

RVPERT. lib. 5. in Cant. Sicut aurora consurgens.

SERG. Hierosol. Orat. in Natali B. Virg.

Psal 47.

PET. DAMIAN.

cæ-

cælestis, quâ ascendat homo, & descendat Deus visurus Mariam: eius intercessione postulemus, vt descendat in corda auditorum, meamque linguam gratiæ patrocinium. *Aue Maria.*

Discursus I. *Fundauit Deus regnum suum visibile in terra super peccatores: nec dedignatus est eos in genealogia sua admittere temporali: in hac dignatione potentiam suam ostentans & bonitatem: diuina sunt hæc eius attributa.*

De consensu Euangelist. ECclesiæ lux D. Aug. componit inter se quatuor Euangelistas in tractatu quodam tanto doctori conformi. Hæret in diuerso illo ordine ac stylo, quem vno eodemque spiritu, licèt diuersis calamis seruant D. Matthæus & D. Lucas in descriptione stemmatis temporalis Saluatoris. D. Matth. descendit de auo ad auum, de proauo ad proauum, auum, patrem, de Abraham & Dauid vsque ad Ioseph sponsum Mariæ; distantia est hæc quammaxima, de rege, de Patriarcha ad pauperem illustri licèt sanguine. D. Lucas ascendendo de patre ad auũ, de auo ad abauum vsque ad Adam imò ipsum Deum: *Qui fuit Dei.* Hæc ea est ratio, (iuxta illum) quia in mysterio Incarnationis duo reperiuntur poli: descendere Deum vt fiat homo, per hunc descendit Matth. refertque progenitores: deinde ascendere hominem vsque ad Deum: sic D. Lucas. Sit igitur hoc argumentum: quamuis enim descendat Deus per peccatores, tantum abest, vt quid illi depereat, imò potiùs eminet lucidiùs potestas & bonitas Reparatoris omnipotens. Testimonium de hac veritate proferat paranymphus Gabriel: hic enim legatione fungens diuina D. Virgini sic loquitur: *Ecce concipies in vtero & paries filium &c. dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* *Luc. 1.*

I. *Allegoria de Dauid.* Inquiramus principium Monarchiæ Dauid, & inueniemus illud mysteriis feracissimum. Testatur S. Eloquium quod oberrans per campos & deserta, incerti laris, infatigabilem fugiens hostis sui Saül furorem, viros inuenerit inopes, mediis destitutos, & mœrore oppressos, qui magis viderentur latrociniis prædisque inhiare, quàm Regem qualis Dauid erat suo fulcire subsidio. *Conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.* Præfigurabat hoc quod in Christo erat implendum, cuius regnum ex turba conflandum erat conspurcata debitisque onerata postquam Adam pre- *1. Reg. 22.*

pretiosum gratiæ destruxit maioratum: *Oppressi ære alieno:* idque tanto, vt impossibilis esset ex rigore iustitiæ digna diuinæ offensæ solutio. Cùm igitur Dauid pacifica gauderet coronæ suæ Israel sceptrique possessione, curis agitari cœpit perpetuis, ac religiosi Principis animo condignis, Deo templum ædificandi, habitare sibi censens indecorum in fortioribus propugnaculis, ac palatiis columnis Iaspidis & elaboratis sustentatis; arca verò testamenti, domus tunc temporis portatilis in qua diuina Maiestas singulari quodam modo, ad populi sui consolationem assistebat, rudioribus squalleret pellibus inuoluta. Rem Dauid contulit cum Propheta Nathan, & quasi non esset gratissimum Deo obsequium, illi hæc mandat: *Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?* Nullò modo volo mihi ædifices aram, altare erigas, templumque construas. Quid hoc, Domine, num tibi charior est in terra amicus, & subditus tuo cordi magis conformis quàm Dauid? Fateor, nullus est: verumtamen filius illius Salomon pacificus, *Ipse ædificabit domum nomini meo.* Ille qui gladio non est vsus; nequaquam Dauid, qui multum effudit in bello sanguinem: vt autem propositum clarius innotescat, notandum, quòd Dauid

I. Allegoria de Dauid.

2. Reg. 24.

II. Cur Salomon potuerit & non Dauid ædificare templum.

in senio annis nondum adeò grauis ad tantam delapsus sit infirmitatem: vt qui iuuenis tanto manuum robore viguerat (sic enim eius infert nomen, *Dauid id est, manu fortis*) vt quò de manibus eius se Leones, Vrsi, ac Tigrides eriperent, pedibus suis fugâ sibi consulerent; modò nec cubicula custodita, nec balneorum fomenta, nec pelles calorem ei possint ministrare, nec fouere frigescentem, sic vt potiùs viuens, frigidum videatur esse cadauer. *Cumq; operiretur vestibus, non calefiebat.* 3. Reg. 1. Causa fuerit (quæ magis litteræ conuenit) quia vt iuuenis semper in acie versatus fuerat, bella confecerat plurima, sanguinem in periculosis effuderat certaminibus, ipso deficiente pariter animus viresque quæ in sanguine consistunt, elanguebant. Vel si moralis placeat sensus, opinantur aliqui in pœnam hoc illi contigisse quod oram chlamydis præscidisset Saül latentis in 1. Reg 24. spelunca: quamuis longiùs abesset à vindictæ cupiditate: tamen quia hoc imaginem quandam vindictæ referebat, nullo modo potest pellibus incalescere: quia in oculis domoque Dei nedum patens offendit culpa, sed & ipsa vmbra, eiusque species.

III. Alia ratio.

Verumtamen argumẽto nostro conformiter: noluit Deus à Dauide ædificari domum: quia

totum eius regnum, & dominij eius exordia fundabantur in societate abiectorum viliumque hominum, & qui sanguinem fuderant inimicorum: fundare verò templum super sanguinem peccatorum, hoc sibi faciendum reseruat: zelum hîc agnosco, quia suam in eo Deus ostendit potentiam & bonitatem, nec gloriæ suæ quidquam detrahit, imò addit excellentius. Quintiduo ante mortem suam Christus festiuâ populi comitatus pompâ ingressus est Hierusalem. Ingenij sui D. Bernard. acumine voces attendit, quibus illi turba, imò & infantes, gratulabundi acclamant, plebis confluxum, vestimentorum expansionem, ramorum præcisionem, diuini honoris oblationem, gratissimam florum per latissimas ac longissimas vrbis plateas dispersionem, & vltimò SS. Apostolos Christo magistro suo collaterales, eodemque cum ipso honore & gloriâ exceptos.

IV. Peccatores Deus sibi sumit proximos.

Quæro (inquit D. Bernard.) quis in hac processione Christo vicinior procedat, & certo quodam modo ab illo magis honoretur? Dicet mihi: ipsi Apostoli: sed non sunt illi immediatè cõiuncti. Quis ergo? humile animal asina, cùm illi insideat, quo nobis indicatur, cùm hoc sit hieroglyphicum peccatorum, & in eius confirmationem se dicat Propheta iumentum: *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum*, quòd sint Christo ceteris illi viciniores, in quibus Deus triumphat, suamque iactat magnitudinem & pietatem; in ipsis est, nec alij tollant ipsis immediatam Christo proximitatem: audiamus ergo D. Bern. *Attamen vnum est, quod nemini ceterorum tam prope est Dominus: nam nec ipsi qui hinc inde adhærent, tam prope eum habent, vt iumentum cui insidet.* In asina residet, hîc vult, vt eius pateat omnipotentia, hîc illum cum gaudio recipiant, & vt Deum agnoscant, atque vt tali cultum exhibeant: tantum abest vt aliquod hîc incurrat detrimentum.

D. Bern. Ser. 2. in Ramis.

V. Cur Christus medius inter duos latrones crucifixus?

Hinc idem colligit Sanctus in eodem sermone, causam cur inter duos iustos noluerit expirare, sed inter duos medius latrones homines flagitiosissimos, quod verbis explicat captu difficilioribus, quæ clariorem exhibebunt argumento nostro lucem si declarentur: *Nec Christum decuit, simul & Petrum aut Iacobum vel Ioannem pro salute hominum pati: crucifixi tamen fuêre cum eo alij duo, sed duo nequam, de quibus nulla prorsus suspicio posset haberi, tanquam ex eis minus efficax sacrificium suppleretur.* Modus hic est loquendi verè difficilis: *Non decuit*: imò potiùs, tuâ veniâ dixerim Sanctissime Doctor, maximè decuisset

cuisset videre in duabus crucibus suspensos comitesque Saluatori duos discipulos: illi namque suam ostendentes gratitudinem, temperarent transeunter vehementissimos Christi cruciatus. Secundò mouetur mihi dubium: vnde præsumendum esset quòd minus efficax tuum esset ô Christe, sacrificium, nisi illud Patri tuo dedicares medius inter nebulones? Qualem poterant flagriones illi dare auctoritatem maximo Dei operi? Quod si possibile fuisset, illi potiùs derogassent. Hanc tamen tuetur hic Sanctus sententiam: *Non decuit.* Notandum quòd in Cruce, perorante D. Leone: *Ibi tribunal Domini & iudicium mundi & potestas est crucifixi.* Sedes eius iudicialis, eius potestas; & si vitam profudisset inter bonos, iudicare potuisset mundus & ipsos pariter in tanto amoris & potentiæ actu cooperari, qualis est pro peccatoribus sanguinem vitamque largiri; quod reseruatum tantum erat in diuinæ magnitudinis argumentum: *Non decuit*: indecens est Deo patienti non copulari peccatores: cùm ipse solus eos posset sine suæ præcellentiæ iactura, & cum suæ potentiæ redimere auctoritate: etenim saluare illos eius est emblema. Tendebat Christus in domum Principis synagogæ Iairi, quem in via procedentem tangit mulier

D. Leo ser. 8. de Passio.

VI. Vnde orta mulieris fluxum sanguinis patientis fiducia: Nota.

sanguinis fluxum patiens ea feruens fide (referente D. Matth.) vt si vel fimbriam vestimenti eius tangeret, continuò sanguinis sui fluxus cohiberetur. Miratur illam D. Chrysostom. quòd tali immunda languore præsumeret ad ipsam accedere sanctitatem & puritatem: sibi persuadet quòd ipsam audiat respondentem: Non dedignatur Christus nec indignatur, si ad illum peccatores accedant. Vnde hoc concludis? Quis tibi eius indicauit benignitatem? Attende quàm concinnè eius nomine respondeat D. Chrysost. *Perspexit antea vnde Christus exiuit: è domo videlicet Publicani, & quales essent, qui eum sectabantur, nempe peccatores & Publicani: à quibus omnibus firmam, non dubiam spem capiebat.* Iam publicanum Christus ad meliora converterat, cùm eius mensæ conuiua assederat, iam cum sibi comitem assumpserat, quem totus mundus vt publicum peccatorem & vsurarium habuerat; & hinc infallibilem certamque intulit consequentiam: fieri nequit vt Domino illi nauseam pariant infirmitates corporis; quandoquidem secum ducat lateralem qui tantis in anima laborabat, & me similiter de meis quas duodennis patior, liberabit, dum illum ab iis liberat in quibus se Deum esse testatur.

D. Chrys. Hom. 32. in Matth.

Matth. 9.

Enarrat D. Lucas Magdalenæ conuersionem. Phœnix hæc amoris Ecclesiæ feruentissima: exponens etenim se balneum soli iustitiæ in mari suarum lachrymarum, renouata est vt Aquila, quam tunc Euangelista notat peccatricem: *Et ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.* De eadem loquitur D. Matthæus, & referens cœnam quam ipsa in Bethania Lazarus & Martha Saluatori præpararunt, non eam vocat peccatricem, tantùm dicit, quòd mulier quædam effuderit super caput eius alabastrum vnguenti pretiosi. Hîc prodit eloquentiæ flumen D. Ambros. aitque: Nemo miretur, quòd eam non inscribat Matthæus peccatricem, quamuis talis extiterit: quia vidit illam manum suam Christi capiti imponentem. *Hanc ergo mulierem inducit S. Matthæus supra caput Christi effundentem vnguentum, & ideo fortè noluit dicere peccatricem.* Sciamus igitur, quòd inconueniens orire tur si diceremus, quòd peccatrix fuisset? Imò ipsi Sancti vt euidentiùs diuina pateat misericordia, delectantur, si velum eorum miseriis peccatisque non oppandatur. Matthæus postquam Apostolico inscriptus fuerat Collegio seipsum nominat Publicanum. D. Paulus in certa quadam occasione constrictus diuina enarrare beneficia à Deo recepta: & quando fortasse (si nouerint homines alienorum obliuisci defectuū) nemo recordaretur persecutionis quam ipse in Christi nomen excitauerat, de se sic testatur: *Qui prius blasphemus fui & persecutor, & contumeliosus*; dicatur similiter de Magdalena: *Mulier quæ fuerat in ciuitate peccatrix: effudit vnguentum.* Ne talis dicatur, respondet D. Ambros. non sumatur in ore cum Christo culpa quæ contumeliam affricat; etenim tanti conuersum facit peccatorem, & animam ad saniora reductam ac præteritorum pœnitentem; vt non solùm illi pedes exporrigat, vt eos supplex videat & adoret, sed insuper consentiet vt ad sacrosanctum suum caput ascendat; ille, inquam, qui caput suæ progeniei statuit peccatores, qui reddunt illum illustrem atque in mundi opinione eius extendunt promouentque amplitudinem.

Luc. 7.

Matth. 26.

VII. Peccatores conuersi Deo sunt grati.

D. AMBR. *lib. 6. in Luc.*

1. Tim. 1.

Absoluamus hunc discursum eique coronidem imponat doctrina D. Bernard. quòd Deus tanto teneretur desiderio humiliandi se & inclinandi pro salute hominum: vt cùm illud diuinæ naturæ esset impossibile, naturam assumpserit humanam humilitatis capacem, atque ex illa scalam erexerit ad ascendendum. *Christus enim* (sic ipse loquitur) *cum per naturam diuinitatis*

D. BERN. *Serm. 2. Ascensio.*

tatis non haberet quo cresceret, vel ascenderet: quia vltra Deum nihil est: per descensum quomodo
VIII. Iesu nomen Christo gratissimũ. *cresceret, inuenit.* Hoc supposito, attentè perpendamus quòd Angeli dicunt Apostolis magistrum suum spectantibus dum victoria triumphans propriâ potens virtute cælos istos transcendit & penetrauit. *Hic Iesus* Act. 1. *qui assumptus est à vobis in cælum.* Hic Iesus qui se extollit & ascendit. Hanc loquendi phrasim dimititte, ô cælestes spiritus: an alius non est titulus Deo vestro, quo magnificentiùs triumphantis exprimatur amplitudo, quando iam ascendit ad dexteram æterni Patris sui sessurus, quàm Iesus? Percunctor, quid significet Iesus? Matth. 1. Explicet hoc Angelus: *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Saluator peccatorum. In die igitur tantæ eius gloriæ non illum nominant omnipotentem, fortem, sapientem, immensum, infinitum, sed culparum liberatorem: quia tantum abest vt hæc eum occupatio commaculet vt potiùs ea ipsa magis eum extollat; quocirca quando triumphis gaudet, quando trophæa explicat, quando magnificat victorias, quando se Dominum ostendit vniuersi, alia silentio tegantur nomina, dicaturque agnomen Iesus illoque salutetur. *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Quia propter peccatores descendit, eumque ipsi patefaciunt.

D. Ambros. eleganter introducit Euangelistam: perpendit enim qua de causa elegerit Deus in patrem suum secundùm carnem virum adulterio & homicidio infamem: *Qua ratione qui adulterium, & parricidium commiserit, Dominici generis auctor electus à Deo?* Et respondet. *Talis auctor Dominici corporis fuit eligendus: quid est enim corporatio nisi remissio peccatorum? & ideo exors peccati esse non potuit, vt diuinam gratiam & exemplo præferret & nuntio.* Alium esse non decuit: quia Dei filius corpus assumens denotabat culparum remissionem, quam veniebat in peccatoribus perfecturus: & cùm esset Redemptor peccatorum vniuersalis, diuina quædam notatur conuenientia, vt de suis iam incipiat protoplastis. Vnde Dauid & Abraham electi in eius protoparentes, non Sancti sint, sed fuerint peccatores, in quorum scelerum remissione suam Deus potentiam declamat & bonitatem. *Vt omnes homines redempturus beneficium à suis maioribus inchoaret.* Et subiungit: *Non fuit igitur Dauid exceptus à culpa, vt esset electus ad gratiam.* Idcirco dicatur *Filij Dauid, filij Abrahæ.*

IX. Dauid licet peccator, eligitur tamen in Christi parentem.

D. Ambr. lib. de Apolog. Dauid 2. c. 6.

Discursus II. *Vno iusto temperat Deus dolorem quem ex multis concipit peccatoribus: quocirca creauit D. Virginem abyssum gratiarum, quatenus ex illa non tot videat peccatores quot in hac sua genealogia describuntur.*

DEbitum & obligationem non paruam erga Deum eiusque sacratissimam matrem Mariam contraximus ex huius discursus inscriptione. Et antequam nos ab illo expediamus in laudem dignitatum solius Virginis Mariæ loquendo in communi: dico, tali affectu hominem à Deo diligi, tantoque eius ruinam dolore ab eo defleri, vt malos quamuis multi sint, consideret quasi vnus tantùm esset, & iustum, licet vnicus tantùm sit, illum attendat vt plures. Dauid vt Propheta & Rex auctoritate potens feruensque spiritu nos ad vitæ correctionem, morum reformationem, & affectuum hortatur ordinationem: deinde cum Deo loquitur, nostram illi proponens miseriam, obiectum forte & efficax, misericordiæ diuinæ prouocatiuum. *Ne auertas* (ita psallit) *hominem in humilitatem, & dixisti: conuertimini filij hominum.* Domine, non ex eo quòd hominem videas animo viribusque deiectum, ostendis in eius humilitate brachij tui fortitudinem: nec enim robustos decet contra pigmæos gladium extendere. Ne ad nihilum redigas humilem homũcionem (*In humilitatem:*) hanc enim humilitatem intelligit Glossa: *De necessitate moriendi*: vnde sic legit & explicat: *Reuertimini filij hominum in terram:* ex illa sententia quæ capiti eius qui nostrum omnium caput fuit, inflicta est, nosque omnes comprehendit: *Puluis es & in puluerem reuertéris.* Et nihilominus dixisti *: Conuertimini filij hominum*: reuocat illud: quod enim dixerat in singulari: *Hominem: ne auertas hominem*, adiungit statim in plurali: *Conuertimini.* Si peccatorem inuitet culparum remissione, qui si se conuerterit, inuenturus sit misericordiam: quomodo non eodem modo loquitur iisdémque terminis? vt quid tam citò calamum mutauit? quænam est hæc differentia? sciamus hanc esse valde mysteriosam. *Ne auertas hominem*, hoc totum spectat hominum genus ex vilissimo terræ elemento creatum mortale & corruptibile, quia verò dolenter fert tantam videre perditionem, tótque peccata, quæ porta sunt & origo ex qua mors scaturiit ineuitabilis. *Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mun-*

Psal. 89.

Glossa Ord.

Genes. 3.

Rom. 5.

mundum, & per peccatum mors: loquitur in singulari: *Hominem.* quando verò de eius emendatione incidit sermo, quâ sanctus efficitur, loquitur in plurali, licèt vnicus tantùm sit & singularis: itaque dicatur ibi: *Ne auertas hominem,* hîc verò: *Conuertimini filij hominum.*

Confirmatur hoc ex annotatione quadam singulari D. Ambros. Docet Christus Apostolos lectionem quam per illos omnibus in generali proposuit: vt proprium pedibus proterant honorem, diuino tantùm intendentes: vt ad fidei illius confessionem suas postponant commoditates, & ipsius vitæ pro illa iacturam (si necessitas hoc reposcat) subire non dubitent, sicut illud Martyres impleuerunt robustissimi: quibus & promittit eandem, pro confessione nominis sui coram hominibus, confessionem, coram Patre suo cælesti: *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus: confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Notandum verbum illud *Omnis*, est enim vniuersale: statim autem loquitur de iis qui contrarium faciunt eum abnegando: & cùm maior futurus sit horum quàm priorum numerus, vt ipsa docet experientia, dicit in singulari: *Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Non capio, quomodo ad Christi confessioné omnes cōueniant, cùm illi sint paucissimi, & ad eiusdem negationem vnus solus prodeat, cùm sint infiniti? Ipsius Doctoris verbis dubium proponamus, est etenim illius, sicut & responsum. *Vbi confitetur, pro omnibus confitetur, omnes complectitur: vbi negat, non omnes negat: sicut enim suprà habetur, omnis qui me confitebitur, confitebor & ego eum, hoc est omnem; consequens autem erat vt infrà sic diceret: omnis qui negauerit me.* Respondeat disertissimus Ambros. In eo fundatur discrimen: quòd sicut ibi mercedem promittit, & virtus est opusque iustum; si vnus sit qui huic insudat operi, Deum obligat, vt plures illi reputentur, & omnes: *Omnis.* Et sicut in alio opus est malū & multos malos ac peruersos parui facit; ita quasi omnes, seu plerique, illi videntur vnus: *Gratiam promittit omnibus, non omnibus minatur iniuriam: quod est miserationis exaggerat, quod est vltionis extenuat.* Vt præstet beneficia se extendit, vt verò castiget, se contrahit. Exponamus illud *Extenuat*: grauia namque redolet mysteria, ex eo quod canit Dauid locutus de ruina Angelorum dum damnantur antipodes cælorum: hortatur autem homines ne illorum imitentur crimen, si nolint eorumdem participes esse suppliciorum: te nam-

Matth. 10.

I. Dèo vnus iustus vt multi, peccatores vt vnus reputantur.

D. AMBR. lib. 1. de pœnit. c. 2.

namque Deus caſtigabit, eademque cades ruinâ quâ princeps eorum prolapſus interiit:
Pſ.81. *Et ſicut vnus de Principibus cadetis*. D.AVG. ib. D. Auguſtin. *Turba quæ cecidit vnus, quia in ſuperbia ſimilis*. Tot ſpiritus quot ceciderunt, vnum dicis? vtique: quia in ſuperbia & arrogantia pares fuerunt, & peccata conſiderans eorum contrahit multitudinem; & quamuis multi ſint, dicatur vnus. Hinc capies quod dixit
Marc.13. prima veritas de die iudicij. *De die autem illa nemo ſcit*, & addit: *Neque filius*. Quomodo non Domine? numquid aliquid tuæ reſeruatum quod ignores ſapientiæ? Si vates proloquatur
Pſal.50. *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*. Ille qui Prophetæ occulta inſpirauit, an ignorare potuit aliquid? An æquum iudici vniuerſali viuorum & mortuorum ſuæ iudicaturæ tempus abſcondi? Nequaquam; quid igitur hoc ſibi vult:
II. Similitudo. *Nemo ſcit, neque filius*? Metaphora quotidianam ſapit experientiam. Inflicta eſt alicui grauis iniuria, ſiniſtra quædam ſors illum oppreſſit, narratur factum intimo eius amico illud non ignoranti, dicitur ei: Neſcis quid illi infauſti contigerit? reſpondet: neſcio, quamuis hoc probè nouerit, & vellet non ſciret: quo loquendi modo declarat dolorem ſuum & animi triſtitiam. Eo quoque modo negat Chriſtus ſe ſcire, cùm ipſa ſit ſapientia, ob mœrorem ex tantarum animarum perditione grauiſſimum: etenim de viſceribus adeò affectuoſis, qualia in Deo veneramur, quid aliud ſperare poſſemus quàm expreſſiùs declarare quanto amore homini afficiatur?

Nefas fuerit præterire ſingularem admodum annotationem Origenis: quòd Chriſtus in die iudicij vniuerſalis ſcelera referens eorum quos iuſtâ feriet damnationis ſententiâ, terminis vtetur breuibus, verbiſque conciſis & contractis: verùm virtutes piaque iuſtorum opera, longo & extenſo recenſebit catalogo, circumſtantiis ornato minutiſſimis; aures arrige. *Et hoc cōſidera, quia immoratur in vnoquoque verbo loquens ad iuſtos, &* ORIGEN. tract.34. in Matth.
laudans eos, & per ſingulas ſpecies III.
eorum benefacta dinumerat. Loquens autem ad iniuſtos præſcidit compendians & concolligens malefacta eorum in breue: id eſt, iuſtis quidem de infirmitate dicit: infirmus fui & viſitaſtis me. Separatim autem de carcere: in carcere, fui, & veniſtis ad me. Ad iniuſtos autem, cùm potuiſſet ſimiliter facere, infirmus fui & non viſitaſtis me, in carcere fui, & non veniſtis ad me: præcidens narrationem ſubunauit vtrumque dicens: infirmus fui & in carcere, & non viſitaſtis me. Vt autem emphaſim horum capias verborum Cur mutetur ordo relationis operum in die iudicij.

rum lege cap. 25. Matth. vbi agit Saluator de tribunali suo & consessu ad quem euocandi sunt omnes homines boni & mali, iusti & iniusti: verùm cum hac differentia quòd referendo bona electorum opera, distinctam & singularem instituat singulorum mentionem: infirmus fui & visitastis me; in carcere conclusus, & mihi compassi estis: quando verò reproborum malefacta publicat vnum altero permiscet crimen, nec ita cuncta distinctè commemorat: ita vt hæc duo coniungat: infirmus fui & ergastulo detentus, & non visitastis me, quo significat quàm molestè ferat tantorum damnationem: quandoquidem ne cordis sui dolor sæuiùs incrudescat (si eius capax esset) verbis vtatur Laconicis, quibus effusam declarat peccatorum malitiam, qui tam effusis vti noluerunt Dei misericordiis. Super Hierusalem mundi Metropolim, in qua Deus suum erexerat templum, Regesque Iuda sibi curiam elegerant, effudit abundantes Christus lachrymas doloris indices, quo ex eius euersione torquebatur, quam vt iam imminentem contemplabatur. D. Chrysostom. hoc exponens sic ait: *Plangebat Iudæos dicens: Hierusalem, Hierusalem &c. Nam Deus inuitus compellitur cum magno dolore peccatores damnare.* Plorat Redemptor noster ruinas prænuntians: quia vehementer illum angit punitio peccatorum: sed sequentia ponderemus: *Non enim sic dolet, quòd ipse ab eis offenditur: sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquem.* (O raram auxesim!) *qui omnes cupit saluare.* Reduplicat terminos: Hierusalem, Hierusalem, ex amoris indicio, dilectionis affectu, ac voluntatis oppignoratione: coactus ac inuitus illam flagellat, & non tantam illi videntur peccata pœnam infligere, in quantum sunt eius offensa (bonitatem admiramini infinitam) quantam id quod cogatur damnare aliquem. Quid vocas *Aliquem* cùm tot sint qui damnentur? Nouerat Sanctus hic benignam Dei naturam, idioma ac modum loquendi eius familiæ: quocirca multos contemplatus flagitiosos, illos non nominat nisi in singulari: *Perdere aliquem.*

D. CHR. Ho. 46. in Imperfect.

Ex prædictis colligit noster Oleaster doctrinam quandam moralem, & lectionem apprimè necessariam Prælatis illisque quibus cura incumbit animarum. Interpretatus quod in Libro Numeri S. narrat eloquium, illam scilicet Core eiusque asseclarum seditionem, acutè satis expendit, quòd Deo dicenti ad Moysen, sibi iam in animo fixum totam illam perdere populi colluuiem, homines ingra-

IV. Prælatus suos apud Deum excuset subditos.

tos, domum exaſperantem, duræ ceruicis, ſuiipſius, ac miniſtrorum eius indigniſſimos contemptores, opponit ſe Moyſes diuinæ iuſtitiæ homo manſuetiſſimus & ait: Siccine Domine,

Num. 16. 22. *Num vno peccante contra omnes ira tua deſæuiet?* Si vnus ſolummodo huius ſit noxæ reus quo iure diuina tua Maieſtas cunctos eodem inuoluet ſupplicio? Quid loqueris ô Moyſes? Numquid tibi cum Deo ſermo? Si Core, tota eius familia, & cōfœderati, multi numero, rebelles conſpirarunt, qua veritate Deo collocutus ais: *Vno peccante?* Reſpondet: ſtylus hic eſt & praxis iuſtorum, & talem eſſe oportet Prælatorum, quos mediatores inter Deum ac ſubditos declaramus: illos excuſando, & de multis vnū tantūmodo faciēdo, atque in ſingulari loquendo, ac ſi vnus ſolùm deliquiſſet. *Excuſandi ſunt peccatores à Sanctis & Prælatis ſuis, cùm vident Deum velle in ſuos animaduertere.*

Oleast. ibid.

Quæ hactenus diximus manu me deducunt ad præclariſſimas naſcentis hodie Reginæ cælorum excellentias. Audire lubet quæ docta & ſuauia dicat cultor illius eximius D. Damaſcen. *Ex te ſola ſummus ille opifex partem aſſumpſit, hoc eſt maſſæ noſtræ primitias. Caro ipſius ex carne tua, & ſanguis ex ſanguine tuo, & lac ex mamillis tuis ſuxit Deus, & labia tua Dei labijs vnita ſunt.* Vt humanam Deus aſſumeret naturam, florem quæſiuit, & totius maſſæ Adæ primitias: & has in te ſola Deus inuenit. Quænam, obſecro, illi intentio, ita ſtrictè per omnia ſe Mariæ vniendo? Quatenus illam intuitus quæ totius ſanctitatis ac puritatis mundiſſimum eſt ſpeculum; oculos non habeat quos ad noſtras propter Mariam culpas deflectat. Teſtetur hoc nobis dilectiſſimus Euangeliſta D. Ioannes. Reuelata ei fuiſſe die quodam ſecreta legimus cæleſtia, & aperto gloriæ latiſſimo oſtio ſic ait: *Vidi & ecce oſtium apertum in cælo &c. Et ecce ſedes poſita erat in cælo & ſupra ſedem ſedens, & qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis & ſardinis: & iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* Chriſtus hîc indicatur, eiuſque duæ naturæ, quas rubicundus ſardius & varius iaſpis præfigurant. Thronus eſt Maria; conſideremus ipſam iridem ſeu arcum cæli ſimilem ſmaragdo: notiſſima ſunt ambo ſpei ſymbola: ita vt Deus aſſurgere non poſſet de ſede ſua, niſi occurrens ſmaragdo, & arcui; quòd igitur hæc duo diuinū circumcingant thronum & Chriſtum iudicem, quid hîc aliud intelligimus, quàm quod deſiderans cælum ne Deus peccata in terra conſpiceret, & quamuis tanta eſſent, parua tamen & pauca viderentur,

V. Ob Mariæ virtutes Deus noſtra non videt peccata. Nota

Apocal. 4.

rentur, opponit ei Mariam, vt omne bonum thesaurosque virtutum in illa contemplatus, humanas videre non videatur iniquitates.

Vt quid aliquem quæro hoc dicentem, cùm ipsam audiam Virginem hoc asserentem. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* (Cant. 1.) Ego ex singulari priuilegio ingressa sum in beneficia, fauores donaque supremi Regis. Sed ô Domina, quod inde mihi nascitur emolumentum, si hoc tuæ tantum seruiat vtilitati? *Introduxit me.* Sed audiamus quid immediatè comites illius, (animas intelligo) subiungant: *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum.* Lætitiâ gaudemus inenarrabili, quia te solam, & cum Deo solam intuemur. Non parum hæreo, qua ratione lætari possint, nisi comites intrent futuræ tantarum participes deliciarum. Vnicus Bernard. subtili suo potest spiritu nodum hunc dissoluere, nosque consolari. *Sola quidem introducta videor. Sed soli non proderit: vestrûm omnium est meus omnis profectus, vobis proficio, vobiscum partibor, quidquid plus vobis fortè meruero.* (D. Bern. Serm. 23. in Cant.) In mundum nata prodeo: (hoc est, *Introduxit me*) sic à diuina manu cunctis dotata muneribus, vt cùm sola sim, omnibus tamen omnia sim: quandoquidem Deus mihi singulariter intentus, meque diligens supra modum, non aduertat crimina quæ multa committis: omnibus sum, tantique refert, vt si non media existerem, Deique oculi particulariter non occuparentur: sicut non habet quibus te quam me primò videat, sic nec haberet quibus te puniret, quia primò per me transit. Hoc ex philosophia declaremus. Sol radiorum suorum efficacia attollit de terra vapores, exhalationes terrestres, crassas, quæ nubibus conclusæ in aquas commutantur quibus compluta terra fecundatur. Nubes es diuina, ô Virgo purissima: Ecce quot vapores iniquitatum ascendant de nostra regione & valle terrestri, quas sol diuinæ iustitiæ sursum attrahens, voces de tribunali suo emittit, quibus nos euertat, dissipet & consumat. Nubis fungitur munere Maria, atque inter Deum hominesque consistens, remoram iniicit ne grauia eorum crimina sursum ascendant, & si ascenderint, intuente Deo Mariam, quæ sine illa fulgura fuissent ardentissima, propter eam aquæ fiunt fertilissimæ: *Fulgura in pluuiam fecit.* (Psal. 134.) Quocirca in genealogia Christi scribantur idololatriæ Abrahæ, homicidia Dauidis &c. nec enim illa videt Deus: cùm in Maria extenuentur: *De qua natus est Iesus.*

Discursus III. *Quamuis Virgo de regali prosapia, & illustrissimo descenderit sanguine, non tamen carnis nobilitas sed spiritus Deo placet, & ex vtrâque matrem suam reddidit illustrissimam.*

INgeniosè perpendit Philo in tractatu egregio *De nobilitate*, quòd in mundi primordio vitia & virtutes diuisiones produxerunt stemmatum: cùm tamen ex vno trunco, stipite, & radice, teste D. Paulo apud Athenienses, omnes prodeamus: *Fecitq́, ex vno omne genus hominum.* Vt autem hoc adstruat, duos primos producit germanos Cain & Abel: sanctus hic, ille verò proditor & fratricida. *Quid & huic profuit nobilitas generis, ignobilem præseferenti animum?* Ex illustri natus erat stemmate, quid eius obscurauit claritatem, nisi fratricidium? Nec hos attendamus, patrem eorũ inspiciamus, nobisq; communem, Adam: *Sed quid opus est hos in medium adducere potiùs quàm ipsum primum terrigenam?* Qui nobilissimus & præcipuus fuit, cui comparari nequeunt Principes & Monarchæ: cùm omnes qui succedunt illi, habeant naturam ab alio homine, participatam, ipse verò immediatè de manibus Creatoris. Pulchritudinem illam & opulentam corporis statuam cui cum oris sui diuini respiratione infudit animam: & quantum interest inter artificem & artificem, Deum & hominem: tantum interest inter progeniem Adæ, & illam quæ medio modoque humano communicatur: clara est illa, hæc obscura. Profero eius verba: *Qui nulli non mortali præferendus est, quantum ad nobilitatem attinet, artificis summo formatus Dei manibus in statuam corpoream, animam verò adeptus, non vllius creaturæ beneficio, sed inspirante ipso numine, quantum natura humana capere poterat. An non igitur nobilissimus, cui ne conferre quidem ex hac parte poterat quemquam alium? nam ceterorum decus descendit à maioribus: maiores autem eorum fuere homines, animalia mortalia, temporis momento, felicitatem, si quæ fuerat, amittentia: illi verò nemo parens, auctorve vitæ, nisi Deus fuit.*

Act. 17.

PHILO *lib. de nobilit. Tom.* 2. I. Vitia & virtutes stemmata diuiserunt.

Prosequitur hoc argumentũ D. Gregor. Nazian. in epistola vbi non vulgaribus effert præconiis Heronem philosophum. *Nobilitatem porrò cùm dico, non eam opinione vulgi metior, absit: neque enim nostrum est, ac nec Philosophi quidem, tum generis claritatem admirari, quæ à fabulis*

NAZIANZ. Orat. 37. in laudem Heronis.

lis & sepulchris, supercilioq; iam pridem corrupto ac putrefacto manat. Nec enim quæ sanguine ac diplomatibus comparatur: quippe quam noctes adferant ac Regum ignobilium quoque fortasse manus, nobilitatem velut quiddam aliud imperantium atque decernētium: sed eam demum nobilitatem intelligo, quam pietas vitæq; sanctimonia, ascensusque ad primarium illud bonum, ex quo originem traximus, insculpsit. Non ago vt Heronem laudibus extollam (inquit eximius ille Theologus Nazianzenus) de carnali prosapia: antiquissima enim illa testimoniis signisque decorata, qualia sūt scuta, arma insculpta in ære titulis, inscriptionibus, epigraphis fabulosorum facinorum minotaurorum, & leonum deuictorum, magis est deceptoria: ea similiter quæ ex trophæis erectis in monumentis, sepulchris, colossis & obeliscis exprimitur. *Quæ à fabulis & sepulchris, quippe quam noctes adferant*, obscura est nobilitas: quandoquidem si fari sic liceat, homines in noctibus sunt pro-progeniti: & quamuis filij sint Regum casu de puluere surrexerunt, & de carceribus ad sceptra, atque de aratris ad coronas transierunt. (*Quod de carcere catenisq; interdum quis egrediatur ad regnum.*) Itaque eum tantùm censeo nobilem, qui pius est, operibus sanctis in anima insculptis, quæ æterna seruat memoria, cetera verò aliena sunt: *Neque enim nostrum est*: ait præfatus Sanctus. Quid Adam reddidit illustrem? gratia, in qua fuit creatus. Quid postmodum effecit sanguinem stirpemque eius abiectam? culpa per quam se à Deo separauit. Vnde loco citato concludit Philo: quod non consistat *In vlla externa re, nec in corpore, imò nec in quauis parte animæ, sed in principali tantùm situm esse natura voluit.* Non reiicienda est clara progenies, & temporalis nobilitas, est enim aurum: sed smaragdus illam exaltans reddensque clariorem virtus est animæ. Tantam habuit Constantinus de hoc cognitionem, vt existens Imperator Orientis in humeros suos imperiales duodecim sustulerit terræ cophinos in honorem duodecim Apost. quorum principibus D. Petro & D. Paulo erigere incipiebat Romæ permagnificum templum. Imperator Theodosius se prosternit, & tremit coram D. Ambrosio: & Arcadius eius filius litteras scribit humillimas D. Antonio eremicolarum patri. Maximè Imperatoris coniux vt ancilla seruit mensæ, cui conuiua assidet D. Martinus Episcopus. Aliæ quoque religiosæ piæque actiones Catholicorum Principum visitantium pauperes & xenodochia quid aliud desi-

II. Ex virtute summa nobilitas.

designabant, quàm virtutis eminentiam, & primatum ei, cui de iure debetur?

Hoc nobis sic affirmatur: cùm enim tot seculis præcessisset Dauidem Abraham cui primò promissum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Obiiciet aliquis: quo iure primum occupat locum in hoc libro genealogiæ Christi, præceditque Abraham. Diuersimodè dubio respondetur, at modò responsum audiamus perelegans ex D. Chrysostom. Cùm enim Hom. 2. in Matth. dixisset quòd Dauidis vt iunioris ac recentioris memoriæ recordabantur, & Abrahæ vt senioris obliuiscebantur: *Dauid in omnium versabatur ore: non enim olim defunctus fuerat, sicut Abraham*; & etiam quòd sicut Monarcham ac Principem *ob insigne honoris gloria* Dauidem magnifaciebant, imò pluris quàm mundani quempiam dignitate præclarissimum; hoc addit argumento conueniens. Iactabant se Hebræi clarissimis ortos natalibus, proauum habere patrem Abraham fidei parentem. Ad singulos passus refert illos Euangelista buccinantes: *Semen Abrahæ sumus*; nec tamen eius imitabantur virtutes: modò etenim Christus illis hoc exprobrabat: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*; nunc Christi prodromus Baptista: *Et ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham.* Etenim ex lapidibus istis potens est Deus suscitare filios Abrahæ. Siccine ergo (inquit D. Chrysostom.) progeniem iactare fas est iusti Patriarchæ, eiusque tam parum pia sectari opera: meliori loco substituatur alius, & primitias sibi rapiat Dauid, quem vt præcipuum honoratis protoparentem vestrum; quo significetur buccinatam alienam nobilitatem, non eam esse quæ reddat virum illustrem, sed pia virtutum exercitia, quibus tibi deficientibus, consequenter tibi Abrahæ deficit locus eminentior, quem tibi nullâ fultus ratione superbus arrogas. Loquatur D. Chrysostom. *Nullus ergo in superbiam de gloria parentum eleuetur, sed considerans progenitores Domini, omnem reprimat mentis tumorem, & de solis virtutibus glorietur.* Nemo glorietur neque se iactabundus erigat: talis sum ex tali stemmate oriundus: quia veræ nobilitatis essentiam virtutes tribuunt, & probata morum integritas humanæ fulcrum est & columna nobilitatis. Vt autem hoc vnico verbo cõfirmemus (ita D. Chrysostom.) maiori laude dignus hic est, qui humili loco natus, ex egregiis laudeque dignis extollitur facinoribus, quàm qui his carens stultè sibi persuadet quòd in nobilibus suis antecessoribus sui consistat antiqua stemmatis digna

Gen. 12. 3.

III. Cur præponatur Abrahæ Dauid.

Ioann. 8. 39.

Luc. 3. 8.

D. Chr. Hom. 3. in Matth.

digna progenies. Adest iterum
D. Chr. D. Chrysostom. *Immo vt quod incredibile videtur, dicamus, nescio quomodo magis resplendet, qui ex parentibus à virtute prorsus alienis; ipse tamen fuerit de virtute mirabilis.*

Et multò quidem elegantiùs dicat hoc nobis idem D. Chrysost. S. Pagina celeberrimi Patriarchæ Noë referens facinora, sic ait: *Hæ sunt generationes*
Gen.6.9. *Noë. Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis.*
IV. Quæ fuerit Noë progenies. Miratur hoc D.Chrysostom. & consequenter sic scribit: *Rarus & alienus genealogiæ modus. Nam vt scriptura dixit: istæ sunt generationes Noë, & aures nostras spe quadam impleuit, quasi genealogiam illius narratura, & quis eius pater fuerit, & vnde genus duxerit*; calamum retrahit, dicitque tantùm: *Hæ sunt generationes Noë*: iam scire anhelabamus quinam fuerint eius progenitores, & his omnibus omissis, subnectit: *Noë vir iustus atque perfectus fuit. Relictis tamen illis omnibus, & etiam superiori consuetudine* (nam vsque huc aliorum per parentes indicauit prosapiam) *inquit: Noë homo iustus perfectus in generatione sua, Deo placuit.* Non obstupesco; quòd rato ac particulari stylo faciat, & scribat eius genealogiam. Sed quâ ratione potest satisfacere illi: *hæ sunt generationes Noë* hoc: *Noë vir iustus?* Non incongruè (respondet:) tunc enim aliquis illustri floret prosapiâ, stemmate nobili, claroque sanguine, habet quoque generosos antecessores: tunc, inquam, quis dicitur nobilis, quando virtutum meritis emicat: & dum dicitur de Noë: *Noë vir iustus*, meliùs hoc explicatur: quocirca silentio teguntur parentes Patriarchæ Noë, dum eius virtutes in album referuntur: nec enim ab illis tantùm haurit splendorem, quantum ab his illustris commendatur; vnico verbo dicit hoc, sed aureo: *Tunc enim homo est, quando virtutem colit:* hac autem illi deficiente, nec nomen habet, nec meretur, nec propter gloriam antecessorum hoc illi debetur, cùm propria non sit, sed aliena. Plura dico: & ipsam Christus matrem suam, quamuis illam omni coleret vt filius reuerentiâ & obedientiâ: sic enim de illo testimonium perhibet
Euangelista. *Et erat subditus illis*; Luc. 2. 51.
vel semel aliquantulum asperiùs excepit quoad exteriorem modum, & tantùm apparenter, quia associata venit cognatis Saluatoris secundùm carnem, non tamen eius virtutes imitantibus.

V. Christus matrem vt videtur, non agnoscit Matth. 12. 47.
Confirmat hoc luculenter D. Chrysostom. quatenùs ex eius aureis annulis huius omnis componatur catena discursus. Prædicante Christo in Synagoga, adest sacratissima eius mater

non-

nonnullis cognatis comitantibus illam eum quæſitura. Cùm iam media ex parte concionem protraxiſſet: ecce quidam illi nuntiat: *Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te.* Conuertit Chriſtus vultum ad eum qui hoc indicauerat, & aſpectu, dixiſſes, graui acſeuero, illi reſpondet: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Vocem comprime, Domine mi, te rogo, quid hoc: quæ eſt mater tua? Virgo cuius te pulchritudini ſubmiſiſti, quæ te ſua traxit in viſcera, ſuis lactauit mater vberibus, ſe tibi comitem peregrinanti indefeſſa exhibuit: atque vt vno dicamus verbo: mater eſt: hoc omnia comprehendit, debitum hoc eſt quo nullum poteſt dari grauius. Hoc titulo 2. *Machab.* 7. non ſuperabilis illa mater ſeptem Machabæorum vltimum deuinxit filium, quem illa ſpectante Rex Antiochus diriſſimis cruciabat tormentis, vt eâ conſtantiâ, quâ mortuus eſt, moreretur, in fide quam profitebatur, immobilis. *Fili mi, miſerere mei &c.* Quomodo ergo nunc te dicentem audio: *Quæ eſt mater mea?* Vrgeamus hoc ampliùs cum D. Chryſoſtomo. Tantum Redemptor noſter maternæ ſtuduit conſolationi, vt propriæ oblitus in cruce pendulus, tormentis doloribuſque obrutus, magis maternas quàm proprias ipſe pœnas perſentiat; eius lachrymas ægriùs patiatur, quàm clauos, quibus illi manus pedeſque terebrabantur: vnde & illam diſcipulo commendat. *Tantum de ea facere videtur, vt cùm vel in cruce penderet, amantiſſimo eam diſcipulo commendaret.* Quænam igitur eſt modò hæc matris obliuio? Sed notandum (inquit) quòd ſicut aderat eius mater quam cognati comitabantur læti ex carnis parentela, ſed veram fugientes quã ſola virtutis generat imitatio, ita vt tanti momenti doctrinam traderet, illi, quam pluris quàm ſe facit, veriſimilem oſtendit auerſionem. *Nunc verò non tantum ei honoris conferre videtur: quoniam fratrum inanem ambitionem reiicere ſtudebat.* D. CHRYS. *Hom. 45. in Matth.* Ipſe qui ſemper illam ſummoperè venerabatur, modò venerationem quaſi ſuſpendit, nec eam patefacit: per quod reiicit & reprimit vanam cognatorum ſuorum gloriam, quos nimis copulabat illi generoſum eius ſtemma, parum autem ſtudioſa virtutum eius imitatio; in quibus primariò nobilitas vera conſiſtit.

Quis verbis explicet nobilitatem infantulæ quæ hodie naſcitur? Et ſi hæc emanet de tribus principiis, vel ex antiquo prædeceſſorum ſtemmate: vel ex propria virtute: vel ex officiis ac dignitatibus in aulis Principum, & Regum palatiis: ſi ex anteceſſoribus in temporalibus

libus describit illam Euangelista ex nobilibus principiis, quatuordecim Regibus, quatuordecim Patriarchis, quatuordecim Ducibus: si ex officiis in domo regia, optimè, ipsa vtpote mater Regis Regum: & quamuis Regina non foret hereditaria, talis tamen foret ex virtutum amplitudine. Et si praxis ea sit mundi, honores ex insignibus sectari prædecessoribus: è contrà gloria cælorum est in filiis & posteris: quocirca nobilitas Dauid & Abrahæ &c. profluat in Christum & Mariam vt ad originem veræque fontem nobilitatis. Quis suos potest antecessores reddere illustres? solus Christus eiusque mater. Si pater Abraham cælestibus repleatur benedictionibus, ab hoc filio, filiaque suâ illæ descenderunt. Si Dauid triumphis gaudet & victoriis, ad idem reuocantur hæc omnia principium. Hoc in Psalterio notamus: *Fundamenta eius*, Ecclesiæ, quando erat Synagoga, veterumque electorum: *In montibus Sanctis*. Ab his illustre suum mutuati sunt fulcimentum: ab his omnes nobilitantur terræ nationes: *Ecce alienigenæ & Tyrus, & populus Æthiopum: hi fuerunt illic.* Quomodo possunt hæc fieri: cùm illi tot sæculis & ætatibus vos antecesserint? Respondet: *Numquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus.* Narrabitur ac videbitur rarum quid & insolitum: quòd filius fuerit pater parentum suorum: & filius natus ex hoc stemmate, atque in hac domo, ipse eam primus fundauerit, & eius iecerit fundamenta, fossasque aperuerit: quod si cuiquam hoc videatur intellectu difficile, dico: Altissimus ipse similium auctor est operum, ipse Deus illam fundauit. Sibi verò suæque matri vult vt clientelam deferant præteritæ omnes generationes, & desinant in Iesu & & Maria: atque idcircò *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham*, &c. cum ceteris omnibus qui in arbore lineaque subsequuntur, finiatur & his terminis absoluatur: *Virum Mariæ, de quâ natus est Iesus &c.*

VI. Nobilitas D. Virginis ex tribus laudatur.

D. CHRYS. Hom. 45. in Matth.

Psal. 86. 1.

Discursus IV. *Ex natiuitate Virginis honoratur humana natura, vsque in hunc diem deiecta: lætificatur Angelica, conspiciens iam in terra destructorum murorum gloriæ restauratricem.*

NOstrum intuitus Euangelium vt Propheta, omnem nostrum tetigit discursum, illique respondit Iob verum patientiæ speculum. *Quis mihi tribuat Auditorem, vt desiderium meum audiat omnipotens, & li-* Iob 31. 35.

 brum

brum scribat ipse qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi. O cui hoc liceat facere, legere in libro, illum manibus tenere, & capiti suo imponere, vt sit corona honorque humanæ generationis? suæ nobilitatis insigne & scriptura, in quâ eius fundetur iustitia? Vnus Esdræ locus hoc nobis aperiet. Quando postliminio regressi sunt filij Israël de durissima Babyloniæ captiuitate ad dilectissimam sibi ciuitatem Hierusalem ex diligentia Esdræ Sacerdotis: vnumquemque officiis antecessorum suorum restituerunt, si priùs litteras ostendisset præteritorum statuum assertiuas. Institerunt filij Berzellai vt in templo ac Sanctuario denuò ministrarent tanquam Sacerdotum legitimi successores: Præcepit iudex Athersatha, vt iuris prætensi statusque exhiberent litteras: cùm autem has proferre non possent, illos ab ingressu templi coërcuit, nec voluit vt de panibus comederent sanctificatis, donec pleniùs de prætensionis titulo constaret.
2. Esdra 7. *Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non inuenerunt: & eiecti sunt de Sacerdotio.* Miranda sanè hæc est nostri discursus figura. Per peccatum (quod est
Ioan. 8. quædam seruitus. *Qui facit peccatum, seruus est peccati)* perdidit homo ius quod ei contulerat iustitia originalis, in quâ creatus fuerat, ad Sancta Sanctorum: petit vt intromittatur. Statuitur ad portam paradisi Cherubim; vt illum retropellat ingredi conantem, igneo terribilis gladio. Siste gradum, homo vilissime, vel ostende litteras ex quibus de iure possis intrare. Non potuit, nec illas habuit: vnde tanto tempore durauit interdictum. Hodie adest D. Matth. & ait quod in Mariâ (ô librum diuinum) & per Mariam homines sint Deo consanguinei, & viuere possint in domo Dei. Hic est *Liber generationis.*

Vnde notat noster doctissimus Sixtus Senens. ex Magistris & Rabbinis doctis interpretibus: nomen hoc *generatio* duobus modis scribi in S. Pagina ante peccatum Adæ: sex litteris & vno puncto, תולדות quod significat stemma clarissimum: sicut cap. 2. Gen. *Istæ sunt generationes cæli & terræ.* Peccat Adam, & statim tollit Spiritus S. vnam litteram ex illis, quæ significabat esse nobilem, תולדת culpa namque iam illum reddiderat abiectum; honoremque pristinum abstulerat; atque in toto veteri testamento non inuenitur, vsque ad cap. 4. Ruth; vbi Virginis genealogia describitur: *Hæ sunt generationes Phares.* Et reponit litteram priùs ablatam: denotans quod numquam homo ad primam essentiæ digni-

I. Generatio dupliciter scribitur.

Ruth 4

dignitatem veteremque redierit nobilitatem, donec cum Maria illam Deus restituisset: liber hic fuit qui litteris suis obtusam reddidit aciē gladij Cherubini. Nefas duxero hęc eius verba vobis subtrahere. *Rabbini Hebb. inquirētes causam, cur hoc loco vocabulum, tholdoth .i. Generationes, perfectè scribatur. Gen. 2. Ista sunt generationes cæli & terræ, hoc est per sex litteras: cùm vbique in diuinis voluminibus imperfectè, hoc est, per quinque tantùm litteras scribatur, præterquam in genealogia Dauidis, in fine libri Ruth. Respondent quòd per hoc mysticè significatur, mundum à principio perfectè productum fuisse à Domino: sed Adæ peccato corruptum multipliciter: restaurandum autem per Messiam filium Dauid: in cuius genealogia (vt iam dictum est) hæc dictio in pristinum litterarum numerum redintegratur.* q.d. Eo momento quo Maria ex semine Dauid Dei Verbum humana vestiuit natura, simul etiam hanc naturam humanam exornauit, seruile illi adimens indumentum litteram S. & clauum, hoc ipso libro tribuens, quem Iob tantopere desiderabat, generationis Christi, licentiam, libertatem & ius, quo in patriam suam, id est, cælum reuertatur. Non puto dici posse elegantiùs nec clariùs à D. Anselmo, quàm: *Maria in se filium Dei concorporauit:* hinc sequebatur, quòd *pristinam dignitatem in eo qui nascebatur, recuperauit humana natura, & libertatem paternæ suæ creationis, confestim recipere meruit.*

SIXT. SENENS. L. 2. Biblioth. litt. C. Cæli & terræ generationes.

II. Maria nobilitauit genus humanum.

I. Generatio dupliciter scribitur.

Ruth 4

D. ANSEL. de excellent. Virg. c. 10.

Angelorum cum omnibus choris lætitiam describit Protopatriarcha Venetus D. Laurent. Iustinian. in hæc verba: *Nempe in eius ortu lætati sunt cæli, decantauerunt Angeli laudes Deo, promulgata est pax, humanæ speciei cœpit aboleri opprobrium, atque fugatis tenebris, quæ totum occupauerant orbem, radios suos rutilans aurora perfudit.* Nasceris ô Domina, & nouus in ortu tuo sol oritur, antiquo obscurato, mundo tenebris obsesso, quas lux tua dissipauit. Aurora pulcherrima, quæ lætificasti mundum: nec hoc tibi satis fuit, vt terram gaudio cumulares, sed velut vtriusque regina Monarchiæ, cælum ipsum gaudio replesti lætantibus Angelis ex conspectu puellæ adeò vicinæ, quâ mediante hominibus implerentur vacuæ sedes Angelorum.

LAVRENT. IVSTINIA. Ser. hod. ter.

III. Maria nata lætificauit Angelos.

Hinc ad eorum consolationem qui hoc lecturi sunt, & expositionem lætitiæ Angelicæ referam illud quod diligentissimus Historiographus vitæ Sanctorum Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus de hac narrat solemnitate: quæ celebrari tunc non debebat vniuersaliter cùm D. August. afferat Christi

IV. Exemplū.

D.AVG. Ser.20.de Sanct.

tantùm ac D. Ioannis Baptistæ celebrari natalitia: *Nullius hominis natiuitatem legimus celebrari, nisi solius beati Ioannis Baptistæ.* Licèt responderi possit, quòd loquatur de viris: quandoquidem tempore D. Gregorij Romæ Natiuitas B. Virginis celebraretur, & inueniamus Sermones de Natiuitate B. Virginis apud Patres Græcos D. Andream Cretensem, D. Proculum & alios: quinimò hoc confirmat D. Petrus Damian. *Quæ cunctis solemnitatibus est antiquior tempore, nequaquam debet esse inferior dignitate.* Vir erat morum probitate laudabilis, qui singulis annis octauo die Septembris iubilis in anima affluebat vberioribus, cælestibus recreabatur reuelationibus, & musicam audiebat Angelorum suauissimam: Dominum hic rogauit, vt dignaretur hoc sibi reuelare mysterium, quid innueret: vocem hanc clariùs intellexit. Omnes has gaudij demonstrationes & lætitiæ Angelicæ signa produxit nata hodie nostra tuaque Regina: bene igitur ait Iustinianus: *Nempe in eius ortu lætati sunt cæli, decantauerunt Angeli laudes Deo.*

D.PET. DAMIAN. Ser.2.hodiern.

Episc.Equil. in Catalog. l 8.c.51.

Congratulemur igitur matri Annæ de felicissima eius prole verbis D. Petri Damiani: *Lætare beata Anna: quoniam feminam peperisti.* Terræ mulierem dedisti exulta & lætare. Et quasi Doctor hoc audiret obiicientem: si natus fuisset illi filius, an non maioris fuisset illi ratio lætitiæ? etenim in ortu primogenitorum festiua in aulis Regum gaudia celebrantur; tacitæ huic statim obiectioni respondit. Ne quis sibi stultè persuaserit hanc natam hodie puellam ceteris esse conferendam: si namque illæ nascantur parentibus suis desolatio & sollicitudo: & ita illas Salomon spinas nominat, interprete Ruperto: *Sicut lilium inter spinas:* quia filiæ & spinæ quæ pungunt & lacerant, parentes quiescere non patiuntur, idem est *filia & spinæ:* & bene sibi conueniunt: Nullus tamen intelligat Mariam talem esse filiam: nascitur enim parentibus cunctisque futura consolatio, reliquæ spinæ sunt: Maria verò candididissimum lilium: illæ tenebræ, Maria aurora clarissima: *Hæc enim femina, Dei mater est, vitæ porta, lucis fons;* gratiæ pignus, via gloriæ: ad quam nos perducat Iesus. Amen.

D.PETR. DAMIAN. Orat.1.de Natiuit. Mariæ.

Cant.2. RVPERT. ibid.

Discur-

Additus. Diſcurſus V. *Hodie triumphum refert gratia de natura: perdit hæc ius ſuum: quia Princeps Regina coronata quæ naſcitur, immerſa naſcitur tanta lucis multitudini, vt diuinam æmuletur, nobiſq́ Deum in terra noſtra firmiter polliceatur.*

IN arenam deſcendunt duo commilitones & aduerſarij, & viſcera feliciſſimæ matris, quia optimæ filiæ mater eſt, ſtadium ſibi efformant. Videamus in cuius laudem cantetur victoria, & quiſnam alteri laurum eripiat. Natura ſunt & gratia: ſingulæ ſibi Mariam vendicant: quamuis parti gratiæ faueam cum omnibus Doctoribus & Sanctis: quorum omnium nomine dixit Sacellanus illi deuotiſſimus & Primas Hiſpaniæ noſtræ Epiſcopus Toletanus S. Ildephonſus ſententiam: quantò ſyllabis breuiorem, tantò myſteriis ampliorem. Hodie Natiuitatem eius conſiderat, iiſque loquitur qui meritò mirantur puellam diuinis adeò gloriis coruſcantem, aitque: *Maria Virgo non eſt ſic nata, ſicut ſolent pueri vel puellæ naſci*: ex horridis matrum viſceribus ad vitæ lucem. Pedem in hoc profundo figamus, ſi quidquam valeamus inueſtigare. Approbo quòd Ioachim & Anna Virginis parentes non nominentur in Euangelio: quia non tantum ex illis quantum ex Deo naſcitur: præcurrunt eius Conceptionem reuelationes Angelicæ, promiſſa de naſcitura puella Patri facta & Matri: nomen ſcribitur de cælo reuelatum, naſcitur, & vix materialibus roboratur pedibus, quando ad templi properat Sanctuarium. Inſpiciamus modò qualiter reliqui naſcantur: dicat hoc Salomon: *Sum quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus &c. & primam vocem emiſi plorans.* Vbi catalogum longiſſimum refert, quem abbreuio, ne miſerias hominum ad memoriam reuocem: natus eſt lachrymas effundens, quem propriùs dixeris noctis quàm diei filium.

Cant. 2. RVPERT. ibid.

S. ILDEPH. Ser. vlt. de Natiuit. Virg.

I. Mariæ natiuitas aliis diſſimilis.

Sap. 7.

Non ita Regina noſtra naſcitur, ſumamus ad hoc ſententiam Ruperti, etenim natiuitatem eius comparat auroræ, quando ſol valles incipit coloribus depingere, & luce montes inaurare, qui nec offendit quia exceſſiuus, nec illuminare deſinit, quia anguſtus. *Quando nata es ô Virgo beata, tunc vera nobis Aurora ſurrexit: quia ſicut Aurora quotidiana finis eſt præteritæ noctis, & initium diei ſequentis, ſic natiuitas tua, lætitiæ nobis extitit principium.* Nec ſolùm lucida nobis oritur hodie, ſed, quia Deus ſol eſt per eſſentiam, nec hoc eſſe potuit Maria, hoc agit, vt ſtatim à prin-

RVPERT. in Cant. 6. quaſi aurora conſurg.

II. Maria auroræ confertur.

à principio nobis Deum in pignus promittat: nam si concesserit illi vt velut Aurora nasceretur, quia se brachiis illius videt constrictum, alio die Sol ipse nascetur. Notate mysteria. Colluctantur inter se præclarissima ingenia quoad luctam Patriarchæ Iacob cum Deo: in quâ testantur reuelatum illi mysterium Incarnationis filij Dei tempore futuro. Non hîc hæreo: quia communis est Doctorum interpretatio: & ita testatus est D. Cyrillus in Concilio Ephesino. *Iacob mox Spiritu S. reuelante Incarnationis mysterium intelligebat.* Premit modò nos difficultas: quâ formâ verbisque reuelatum hoc illi dicamus esse mysterium; textus enim illius non meminit, quod supponimus? si proauo illius Abraham reuelauerit, hoc clarum admodum & facilè reperimus: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, quod explicat Apostolus: *In semine tuo quod est Christus.* Sed Iacob hic quid audiuit? quid illi manifestatur? Audite mysterium: nullus enim mihi negauerit luctam hanc præfigurare vim quam Deo veteres inferebant Patriarchæ lachrymis suis ac suspiriis, vt carnem nostram induere dignaretur. Ita sentit Doctor Hailgridius. *Per Iacob luctantem cum Angelo Sancti Patres designantur, qui luctantes cum Domino precibus & lachrymis, extorquere & obtinere à Domino Incarnationem filij sui nitebantur.* Hoc supposito, dico quod in illo verbo: *Dimitte me: iam enim ascendit aurora,* manifestatum illi fuerit & concessum quod exoptabat. Verumtamen cur potiùs in ortu & ascensu Auroræ quàm in aliquo alio? Respondet citatus Auctor. Deo repræsentabatur futura Mariæ natiuitas, & cùm meditaretur illam tantâ cumulare luce gratiarum, vt eas exponeret, nullum inuenit signum aptius, quàm si Iacob diceret: Modicum expecta donec Virgo vna nascatur: nam illucescente aurora, sol indubiè subsequetur. Quam ad æmulationem gloriosa, quàm diuini eius splendores, talemque me ad ipsam ordinem dicere concupisco, vt ad illam reducatur beneficium ab ipsa mūdo præstitum. *Cesset instantia vestri certaminis: quia iam lux nascitur: videlicet Virgo, quæ vobis pariet verum solem.*

Gen. 32.

Gen. 18. & 22.

Hailgrid.

III. Lucta Iacob quid signet.

Argumentum de hoc mihi formo fortissimum ex hodierno Euangelio: *Liber generationis.* Notandum omnia nomina præcedentia verbum *Genuit* poni in nominatiuo. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob &c. sed dum mentio fit de B. Virgine: non dicitur, *Genuit Iesum*, sed *de qua natus est Iesus*: cùm sit tamen vera, naturalis & legi-

IV. Nota Euangelium.

legitima Dei Mater: *Theotocos:* quinimo magis eius Mater, quàm aliæ filiorum suorum: quia diuina puritate, & absque virile semine sola eum concepit: cur igitur ô Euangelista non ais: *Maria genuit Iesum?* Cui tot circumlocutiones seruiunt in tanta Virginis excellentia? Absque dubio singulare latet hîc mysterium omnino sic: quod illud obsecro? Attendite (omisso alio quod in fluminibus paradisi mei manifesto) in logica seu Metaphysica differentia docetur inter terminos quos dicunt rectos & obliquos. Nominatiuus est rectus, quia est prima persona, & quæ ordinem non dicit ad aliam. Genitiuus & reliqui casus sunt obliqui, quia laterales sunt & ordinem dicunt ad alterum. In propositione solus rectus potest facere caput & sensum per se sine vlla dependentia: nullatenus verò reliqui, nisi quia recto iunguntur. Euangelista Christum eiusque Matrem immediatè coniungit: porrò Iesum in nominatiuo & recto: Virginem autem in obliquo: quasi nobis euidenter dicat, eminentissimam Mariam non per se considerandam, nec intellectum in eam per se defigendum in quantum est mulier, in quantum tenerrima infantula, & in quantum hodie nata prodit in lucem: sed in quantum tantam inuoluit cum Deo vicinitatem, eumque taliter intuetur, vt etiam in eo ipso quod paruula nascitur, excedet quasi diuina foret: etenim quasi transgreditur limites & terminos naturæ estque tota gratia: conuenienter igitur dixit D. Ildephonsus: *Non est nata sicut alij solent nasci.*

Expressiùs hoc declaremus: fateor Mariam ex parte quadam cæli non efformatam: voluit tamen Deus eam taliter eleuare, vt statim transuexerit hanc eius genealogiam ex humana & mortali ad diuinam & cælestem: quocirca natura se subtraxit locum cedens gratiæ. Grauiter hoc expressit D. Germanus Patriarcha. *Natura à Deo iussa semen accepit: non enim ante diuinam gratiam ausa accipere: sed cum ea accessisset, matrix quæ prius clausa erat, suas portas aperuit, & à Deo acceptum depositum apud se detinuit, donec in lucem proditum est.* Naturæ tribuit Deus Mariæ exordium: gaudet illa tali pignore (& quis tali fauore non exultaret?) libenter illud apud se detineret: sed accedit gratia, illudque sibi postulat, nullâ factâ illi iniuriâ: hoc denotat *Depositum.* Erat puella hæc depositum, terra, depositaria, proprietas, gloria. Cunctis in confesso est quòd quicumque depositum seruat, rem alienam detineat, taliterque voluntati possessoris expositam, vt nullam

D. GERM. CONSTAN. *Encomio de Præsent.*

V. Hic natura cedit gratiæ.

lam hîc ei inferat iniuriam dum eam sibi reddi postulat. Sufficiat tibi ô natura humana, quòd Dei manus tibi gemmam hanc vt depositum commiserit in ventre Annæ feminæ sanctissimæ: renuntiat gloria quòd læta prætendis, quod Maria tota sit ex gratia, dum tempus quo illam gestasti, illam mutauerit in gratiam.

Modò lucescit mihi locus ille tenebrosus S. Amedei, quo locum alium de Canticis in lucem profert: in quo Spiritus S. B. Virginem inscribit auroram: *Quæ est ista quæ progreditur quasi Aurora?* (Iam in casu Iacob probauimus eam esse Auroram) & tantam gratiarum anticipatam lucem admiratus, non capiens præcocem hanc adeò & maturam, elegantissimâ profert sententiam. *Quasi aurora surgens de tenebris ad lumen, de errore ad fidem, de mundo ad Deum, & in ortus sui diluculo infecta murice.* Velut aurora erumpit, & in ortu suo prodit amicta Deo, & infecta murice seu purpurâ: hoc est veste intincta sanguine muricis: cuius tinctura nobilior Principibus & Regibus ministrat vestimentum. Si hodie igitur Maria, regali signo ornata progreditur: dicemus quòd in vitæ suæ crepusculo, prodeat sublimis adeò & præclara, vt diuina esse videatur. Eodem illam titulo honorauit D. Albertus Magnus: *Coccus quo purpura summi Regis tota contingitur, & rubricatur.*

Cant. 6.

AMED. 9. Hom. 1. de Laud. B. V.

VI. Et auroræ comparatur.

ALBERT. in Luc. c. 11.

Hæc est illa descriptio quâ in Canticis Virgo eodem tempore titulis ornatur prima facie sibi contradicentibus. *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.* D. Gregor. obseruat in palma quod visus & experientia testantur. Quàm diuersa sit in vita sua vegetatiua, & quàm distincta ab aliis plantis & arboribus: hæ namque sepultæ in radicibus suis se extendunt & in crassissimos se dilatant truncos & neruos: ex illo composito rami foras prodeuntes, teneri sunt: ita vt in fine & principio non sint æquales: finis enim luridus est breuis, licèt se in foliis magis dilatare studeat. Non ita contingit victoriosæ palmæ: vix enim truncus terræ infigitur & ecce tota festiua accrescit in altum, comas pensiles producit, fructusque suauissimos, altitudine sua quasi niteretur cælum ascendere, totumque ambitum orbium illorum occupare. Appropriat hoc D. Gregor. viro iusto, ex loco quodam Iob: *In nidulo meo moriar, & quasi palma multiplicabo dies meos.* Nam ex morte sua vitam accipit, & sublimium foliorum suorum ex euerso suo trunco pulchritudinem. Conferatur igitur Maria palmæ: nam ad ingressum suum in hanc vitam

Cant. 7. VII. Similiter & palmæ.

D. GREG. lib. 19. Mor. c. 25. Iob 29.

tam, tam exiguas in terra radices agit, vt cælum obtineat, & victoriosa possideat: cui & triumphans Ecclesia velut Reginæ genu iam flectit, eamque veneratur: hæc est illa statura & tenera corporis puellæ nostræ dispositio: cui si coniungas quòd stipes eius humilem amplectatur terram, dicam quòd licèt nondum pedibus consistat, quibus hoc infimum telluris premat elementum: brachiis tamen polleat dilatatis adeò & robustis, vt ex cælesti patria prædã faciat, ac victoriosa vexilla in altissima propagnaculi illius arce constituat. *Excelso.*

Non prætereamus insignem D. Anselmi Angliæ Primatis elegantiam. Expendit quantum nobis profuerit quòd Deus Mariam elegerit sibi in matrem naturalem; nobis autem in spiritualem; nec esse possibile bona auarè contrahi vniuersalia, quæ per manus illius nobis ad singula fluunt momenta. *Quomodo namque fieri potest, vt ex memoria laudis eius, salus non proueniat peccatorum, cuius vterus factus est via ad sanandum peccatores venienti Saluatori?* Via fuit seu currus quo vectus Deus ad salutem descendit hominis. Sed Reuerendus hic Prælatus quasi contra se vertitur & exaggerat dixisse se B. Virginem viam fuisse diuinæ Maiestati: aitque: *Quid dixi via?* Dum titulum hunc Virgini adscripsit turbatus est intellectus: numquid ex nimia apprehensione lapsus est memoriâ? Quomodo calamus scribenti nomen hoc potuit obedire? quomodo characteres, quomodo litteras has efformauit? Sciamus igitur quis error irrepere potuerit in tam honorabilis epigraphes probatione: quia dixi Deum per Mariam venire, nescio quænam eius eminentiæ ac dignitati adferatur iniuria. Non leuis (respondet D. Ansel.) quia iuxta quandam significationem, inquit, via denotat quid non fixum, & quietum: excitatus viator proficiscitur, transgreditur mõtes, valles, flumina, maria, nullibi sistit, & singulis progreditur momentis, retro deserens quod semel calcauit & pertransiit. Iam affirmaui quàm permanenter & ex industria Deus in B. Virgine hæserit: ipsam autem vocare viam, quæ transitum inuoluit paruamque moram: quid hoc aliud est quàm eius humiliare gloriam, lucemque nec parum obfuscare? Absit hoc ab ore meo. *Quid dixi via?* Vnius quippe diei puella, paucorum mensium, & multorum senex annorum Deo semper thalamus extitit quietis, & locus habitationis: numquam ab illa semita recessit, quam in Maria fuerat ingressus, semel sic illam intrauit vt numquam ab illa

D. ANSEL. de excellen. Virg.

VIII. Maria via dicitur Christi.

illa discederet: & gratiam quâ hodie plena nascitur singulis continuauit momentis: vnde sic concludit: *Quid dixi via? cùm idem vterus, thalamus Dei, aula Dei in qua habitaret sit factus.* Eleganter suum probauit intentum.

IX. Cur nata sit Maria in Autumno.

Mysterium obseruauit D. Petrus Damian. natam fuisse Diuam Virginem in Autumno. Cur non in vere, cùm tempus reddat iucundum, vt flos sit ac naturæ nostræ pulchritudo vt dixit Damascen. *Venustas naturæ nostræ?* vel in ardentissima æstate, nam venit mundũ accensura, illa quippe est quæ mundum venit amore diuino inflammatura. *Plenam charitate & dilectione?* vel in rigidissimo hiemis tempore, filio similis, qui inter congelatas aquas & niues apparet frigidissimas? Cur hoc tempore potiùs quàm alio? cùm in omnibus omnes inueniantur conuenientiæ rationes? Optimè Virgini correspondet hæc natiuitatis opportunitas, quando manu effusa eam nobis cælum largitur. Autumnus tempus est, quo lætus agricola præmio æstuum solis & spei suæ lucro lætatur, collecta iam in horreis tritici abundantissima messe. Quando maturiores sunt arborum fructus & quasi finis desideriorum totius anni, & vt vno verbo dicamus phrasi S. Damasceni, tempus plenum est: cuius comparatione cetera anni tempora vacua sunt: modò retinet frigus & remoratur vitales etiam actiones: iam ignis vorax incendia prouocat, fremitus excitat, vires eneruat, & causat deliquia. Modò ver nihil præter spem habet in flore, cuius tunc profectus dependet à fortibus & sinistris euentibus: in Autumno verò, omnia perfecta sunt, abundantia, fertilia & conquisita. Veniat modò in mundum Maria quæ plenitudine gratiarum gaudet & dignitatum: illis abundat Deus, vultque vt eius intercessione hominibus communicentur. Verba profero D. Damasceni: *Meritò autumnali tempore nascitur, vt iam velut in autumno totius sæculi fructus spiritualium arborum comedantur.* Notanda autem est subsequens magni ponderis sententia, velut totius discursus epilogus. *In plenitudine temporum venit: quæ gratiâ plena fuit.*

DAMIA. Ser. 3. de Natiu. Virg. circa Liber generatio.

Et hæc est illa ratio (inquit Ildephonsus concludens qui exorsus est) ob quam Deus ordinauit, vt Maria parentibus oriretur infecundis, atque ex natura vacuis: vt ex eo pateret eam potiùs vocandam gratiæ partum quàm hominis: nam humanæ vires velut fatigatæ, & elumbes ac vix vllius actiuitatis tale pignus nequeunt producere: exceditque contractos eorum limites, actiuitatis sphæram, media-

D. Ildeph. ubi suprà. mediaque prorsus indiga. *Anna sterili & patre iam sene extra consuetudinem mulierum post refrigescentem calorem & sanguinem iam tepidum, in pectore refrigescentem & omnem amorum libidinis discessum, mundo corde & corpore, ab omni pollutione carnali orta est.* Quomodo fieri poterat vt caro debilis & tepidus generaret sanguis? feruens & vigorosus spiritus requiritur: inferius virtutem non habet tantam in superius; superior est Maria omni eo quod Deus non est; ipse solus eam potuit elargiri; concinnè igitur & eleganter ait D. Ildephonsus. *Maria virgo non sic est nata, sicut solent pueri vel puellæ nasci.*

Damia. Ser. 3. de Nativ. Virg. circa Liber generatio.

Aduentui tuo in terra congratulamur ô beatissima; melius dixissem dum immensitate tua lucida calcas astra cæli quàm terrena nostra, si iam non sit, quod ea conuertas in sapphiros, quales sibi Deus in pauimentum & pedum suorum scabellum substrauit in diebus Moysi. *Viderunt Deum Israel sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini.* Exod. 24. Verumtamen cùm in huius dignitatis celsitudine terram velit honorare, cuius postmodum futurus est habitator: præmaturè sibi palatium elegit, ciuitatem, solium, thalamum: diuinæ namque Maiestati totum hoc est Maria præclarissima.



IN PRÆSENTATIONE SACRATISSIMÆ VIRGINIS AC MATRIS DEI MARIÆ IN TEMPLO SANCTO HIERVSALEM.

THEMA.

Beatus venter qui te portauit. Luc. 11.

SALVTATIO.



Hodie Ioachim & Anna charissimum sibi pignus offerunt in templo sancto Hierusalem: meliùs dixero, dant Templũ Deo: quandoquidem vsque ad ingressum & præsentationem Mariæ, in terra non fuerit digna domus, eiusque apta celsitudini. Philo dixit palatium & habitaculum Deo summæ voluptatis esse animam: *Nullum templum inuenit dignius, quàm mentem hominis: mens enim circumfert illius boni effigiem.* Hoc concesso, si anima B. Virginis Mariæ inter puras creaturas sit omnium purissima: reliqua omnia templa, huic collata, digna non sunt, nec ipsa materialis sancta Ciuitas. Quo circa omnibus luminaribus, magna ipsa est coram oculis Dei, quos replet præsens donum quod de serenissima Maria puella trimula Deo consecratur: hodie dicere licet quòd lux quædam accendatur: *Candelabrum luminis* eam inscribit Theophanes Pater Græcus: ardent etenim septem lucernæ candelabri antiqui: & in altari thymiamatis statuitur *Virgula fumi ex aromatibus*; cuius fragrantia vsque ad gloriam ascendit. Eius intercessione gratiam postulemus: cùm illam apud Deum inuenerit, Angelicam ei dedicando salutationem. *Aue Maria.*

PHILO To. 2. l. de Nobilit. in initio.

THEOPHAN. *Serm. 1. de Annunt. Deipara.*

Discur-

Discursus I. *Obsequia accelerata, præsentationes vitæ in pueritia, summoperè Deo placent: fastidio verò sunt dilationes: idcircò præsentem acceptat gratè oblationem, quam in tenera sua infantia sui dedicat ei serenissima puella ac Domina Maria.*

INtensiuè desiderans Deus vt domus parentum suorum temporalium in terra, gloria splenderet eminentiori: sacratissimam puellam Mariam adducit in templum domumque suam adhuc triennem. O felicissimam Reginam quæ inter vitæ lucis primordia summumque gratiæ verticem nulla seruat interstitia, & nullas patitur dilationes: cùm per solum illud tempus quo matris Annæ suxit vbera, parentes agnouerit. Felices animæ quæ teneræ ætate Deo incipiunt famulari, qui præmaturis delectatur obsequiis.

Theophan. Serm. 1. de Annunt. Deipara.

Iacob à facie fratris sui Esau profugus secessit in Mesopotamiam in domum auunculi sui Laban. Proponit Deus virum soliuagum & persecutionibus mœstum in itinere recreare: hi namque diuinam habent consolationem sibi securiorem: demittit illi igitur de cælorum altissimis scalam, per quam ascendebant & descendebant Angeli: & quamprimum ex suaui expergiscitur somno: testatur S. Eloquium: altare erexit, nempe de lapide quem dormiens capiti suo ceruical supposuerat. In eius erectione nonnullas adhibuit ceremonias, illum oleo perfundens: *Surgens Iacob mane, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper.* Iter suum prosequitur, confert illi Deus beneficia, quæ ex Sacris litteris cognoscimus. Iterum illi apparet, ei congratulatus in ciuitate Bethel: qui locus fuit vbi super lapidem annis elapsis Deo vota sua consecrârat: *Surge & ascende Bethel & habita ibi, facq; altare Deo qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum.* Et cap. 31. magis particulariter præcipit illi vt in patriam suam redux proficiscatur, cui fauorē suum in itinere securum spondet his singularibus verbis. *Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi.* Verè, Domine mi, meo iudicio tam paruum donum non meretur vt magnum quid fastibus inscribi: quos agniculos ouesque immolauit? quos greges, quæve armenta tuo honori dedicauit in holocaustum, vt tanti facias sacrificium? *Vbi vnxisti lapidem.* Responsum habeo in hoc: *Surgens Iacob mane* Deo gratias pro

I. Iacob maturè Deo gratus.

Gen. 28.

Gen. 35.

pro beneficiis acceptis relaturus. Poterat equidem suæ gratitudinis differre signa, sed noluit, & hominis ita tempestiuè & præmaturè grati, lapidem ponit Deus in coronæ suæ adamantem, inde sumit titulum, vultque vt ea de causa cognoscatur, & omissis aliis iisque gloriosis titulis, hoc tantùm ait: *Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem.*

II. Christus suam prædicationem orditur in tribu Nephthali.

Quæstionem mouent interpretes, quare Christus exorsus sit suam prædicationem, & miraculorum patrationem in terra & tribu Nephthali ac regione Galilææ: cùm in Cana ciuitate sua, primitias mirabilium suorum dedicauerit. Quare non incepit alia in regione nominis sui promulgare notitiam? Si seipsum velit manifestare, animas conuertere, mores reformare, leges fundare, his optimè conuenit vrbs Hierusalem, vbi Deus suum habebat templum, & Reges Iuda suam Curiam, quare in Galilæa? quod autem hic exorsus sit testatur expresse Euangelista D. Matth. *Secessit in Galilæam, & habitauit in Capharnaum maritima in finibus Zabulon & Nephthali*, Isaiæ proferens vaticinium: *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon & terra Nephthali.* Ab ea primo graue excussit iugum legis scriptæ: *Alleuiata est.* Suaue illi imponens iugum gratiæ. Responsum huius dubij, eiusque solutionem colligemus ex Genesi. Accedit Patriarcha Iacob, & morti proximus benedicit filiis suis: Nephthali autem hanc impertit benedictionem; *Nephthali ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.* Velocitate & agilitate ceruus es, vnde te cumulabunt benedictionibus. Casus hic est, quia terra, quæ postmodum in diuisione ac sorte contigit tempore Iosue huic tribui Nephthali, locus erat & solum, non tantùm pingue, fertile & abundans, sed ita præmaturum, vt sicut ceruus cetera animalia velocitate currendi superat, atque idcircò illum ceruo comparat: *Ceruus emissus*; ita terra Nephthali fructus producebat maturos, quando in aliis regionibus tantùm adhuc florebant: quia verò primos arboris fructus intuentes, in Dei laudes erumpimus: & ita faciebant Sacerdotes harum primitias conspicientes, superaddit: *Dans eloquia pulchritudinis.* Et Lippoman. exponens illa Prophetæ Psalmistæ verba: *Vox Domini preparantis ceruos*, ait: *Per ceruos intelliguntur fructus terræ Nephthali veloces ad maturescendum præ aliis: sicut ceruus velocior est cursu aliis animalibus.* Et clariùs adhuc Paraphrasis Chaldaic: *Nephthali interni boni cadet sors eius, & possessio erit fructifera, laudabunt, & benedicent super eos.*

Margin notes: Matth. 4. — Isai. 9. — Gen. 49. — Iosue 19. — Paraphr. Chaldaic. ad Gen. 49.

Con-

Concessis supradictis respondet D. Hieron. quòd istæ duæ tribus Zabulon & Nephthali primæ fuerint, quæ captiuæ egressæ sunt in Babyloniam, quò illas ex diuina dispositione abduxerunt Assyrij, quando noluit Rex eiusque aulici Principes acquiescere consilio Hieremiæ, vt se vltro traderent; dicit igitur Deus: populus qui prior egreditur, & præcurrit velut præcoqui fructus vt meam impleat voluntatem, reliquis tardè obedientibus, meretur vt priùs illi prædicem, vt ceteris prior mea videat mirabilia, & pœnæ eius & calamitates, quas aquæ significant conuertantur in gaudium, cuius symbolum est vinum, materia & subiectum in quo primum meum operatus sum miraculum: ita vt Christus suam conculcet auctoritatem & quasi vili faciat personam, doctrinæque reputationem, quæ in Hierusalem eminentiùs & splendidiùs coruscaret: & omnia hæc deserat vt remuneret eos primò, qui in obedientia primi & promptiores extiterunt. Ipse loquatur D. Hieron. *Quàm discreta prædicatur Dei clementia, vt hi primum releuarentur à iugo seruitutis peccati, qui primi, sicut Hebræi tradunt, captiui ducti sunt ab Assyriis in terram hostilem, ex omni populo Iudæorum.*

Hierem. 38.

D. Hier. l. 1. in c. 4. Matth.

Inter temerarias illas Petri buccinationes ipsa passionis Christi nocte (siquidem ex amore erga Magistrum suum ortas: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo:* aliquantulum tamen præsumptuosas) dicit illi Dominus: *Petre, antequam gallus cantet bis, ter me negabis:* Oraculum fuit hoc, & quod negationibus eius terminum, numerumque statuerit, Petri præsagiebat pœnitentiam. Quare Christus in testimonium vltimæ Petri negationis cantum statuit galli magis, quàm aliarum auium? Mouet me ad hoc subtilissimus Origenes, vt asseram his verbis eius præsignari conuersionem, dum ad gratiam recipitur & amicitiam Saluatoris: quia aliæ auiculæ vsque ad ortum auroræ solisque lumen non cantant, nec illi de aduentu in orbem congratulantur, nec similiter suos auolantes deserunt nidos. Solus gallus suo vult cantu viuentes expergefacere, conuertens anticipatiuè mediam noctem in diem: vt indicetur, quòd si peccator præmaturam adhibeat in quærendo Deum diligentiam, ipsum inueniet sibi propitium: quod fecit D. Petrus, atque in seipso expertus est. Maneat in illo velut in capite hæc asserta veritas, deturque illi gallus acceptæ eius gratæque pœnitentiæ pronosticum. *Forsitan autem* (ita Origenes) *& omnes homines quando denegant Iesum: ita vt peccatum negationis eorum*

III. Galli cantus Petri præsagit pœnitentiam. Marc. 14.

Origen. Titu. 35. in Matth.

eorum recipiat medicinam ante galli cantum, denegare eum videntur.

Ambit Deus vt sibi primæui vitæ dedicentur anni: vnde eleganter de Deo sic D. Chrysost. *Vitæ hominis primitias ambit.* Continent hæc verba mysterium. Si vires dissolutionibus consumas, iuuentutem leuitatibus atteras, ætatem virilem peccatis insumas, Deo primitias floremque vitæ tuæ non consecras. Circumstantiæ agni Paschalis Iudæorum, vt in libro præcipitur Exodi, erant hæ, vt agnus esset anniculus sine macula, agnus non ouis, id est, masculus. *Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus.* Per quod non aliud tibi signatur (ex sententia Hugonis) quàm quanti Deus faciat sacrificium ætatis in quâ facies est formosa, oculi lyncei, corpus robustū, salus integra, sensus vigorosi. Ceterùm væ illi qui florentem iuuentutis suæ ætatem roburque corporis diabolo sacrificat, & fæces, eorumque terminum Deo.

D. CHRYS. *in Psal.* 14.

Exod. 12.

HVGO DE S. VICT. *l.* 3. *de claustro animæ c.* 10.

Eloquentissimus D. Gregor. Nyssen. congruenter explicat illud Canticorum: *Ordinauit in me charitatem.* Docuit me Altissimus ordinem, quem seruare me oportet in ipsum diligendo. Multi possunt esse in anima modi dilectionis, sancti & boni. Amor Dei, amor bonorum, amor inimicorum, amor amicorum; sed omnis ille suo debet ordine progredi, compositus & ritè ordinatus: incipiendo ab amore Dei super omnia: & si periculum instet perdendi Deum, vel bona temporalia, calcanda sunt hæc, Deus autem primo loco statuendus: & hunc ordinem mundani peruertunt: cùm ob lucrum temporale, perdant, & quolibet momento Deum deserant, tergaque vertant: quod est in voluntate optimum, in vita & salute primum, in corpore robustissimum, mundo consecrant holocaustum; debile verò & residuum, virtuti. Hæc fuit Caini culpa, peruersa & inordinata diuisio. *Nónne si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti?* (sic enim legunt Septuaginta) quod nostra vulgata transferunt. *Nónne si bene egeris, recipies?* Sicut elegantissimè, vt semper solet, dixit D. Pet. Chrysolog. *Cain gestans sibi stipulam, fomentum per quod exureretur, inuenit.* Crassiores erant illi oues, & si quando his non abundaret, cùm pastor non esset ouium vt Abel frater suus; sed agricola, *fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola*, messem tamen optimam fructusque sapidissimos Deo poterat & tenebatur offerre: sed vide quid dedicet: *stipulam*, ipse sibi granum reseruans; malè diuidis: sed vide quid feceris, fructum non adfers, stipulam quidem aridam, sed quæ, seruit

Cant. 2. D. GREG. NYSS. *Orat.* 4. *in Cant.*

Gen. 4. *iuxta Septuag.*

IV. Cain stipulam non fructus obtulit.

CHRYSOL. *Serm.* 109.

Gen. 4.

seruit igni succendendo, non quo tardum tuum consumatur, & malè diuisum sacrificium, sed tu ipse comburaris. *Fomentum per quod exureretur, inuenit.*

Docebat Moyses plebem ex Dei præcepto strictam obseruantiam, quam volebat vt in promissis votisque Deo factis custodiret,& ait : *Homo, homo, quicumque vouerit votum Domino :* ita legit notatque modum loquēdi Adamantius Origenes: Quid per hoc indicat: *Homo,homo*, cur bis idem repetit, an semel dixisse non sufficeret? *Quæ est ista repetendi nominis causa? quasi non sufficeret dixisse : homo qui vouerit votum Domino.* Repetatur, reduplicetur vocabulum,& sic relinquatur : hoc etenim est eius mysterium. In homine duo sunt homines, interior & exterior. Si Deo tradas inutile, detritum & pessimum, non nisi vnus offertur homo, scil. exterior, quo Deus parum delectatur: hoc autem exposcit, vt ambo homines illi dedicentur ; in adolescentia, in ætate virili, citò, nullâ interpositâ morâ: per hoc enim impletur, sine illo autem nequaquam. Loquitur Origen. *Non sufficit iste exterior homo legem Dei suscipere, nec vota solus offerre : non enim potest aliquid dignum Deo habere : sed ille interior est homo, qui magis habet in se quod offerat Deo.*

Num.30.

Origen. Hom.24.in Num.

Iam ratio suadet, vt hoc in purissima Virgine comprobemus, omnium creaturarum velocissima, vt se Deo prompta consecraret. Rupertus subiectum mihi ministrat confirmationis graui quadam, eaque sua annotatione. Spiritus S. in Canticis vires explicat, quibus puella sole formosior hodie illum in sui amorem attraxit, dum se Deo deuouet sacrificium : & comparat illam equitibus Pharaonis: etenim falcati currus, & militibus repleti,& æneis instructi armis sequebantur filios Israël : cùm facti pœnitens esset Pharao tyrannus, quòd illis egrediendi de terra sua licentiam concessisset. *Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilaui te amica mea.* Hostilem describit hic exercitum : Rupertus : *Currus namque Pharaonis valde multi ferro armati, plerumque etiam auro vel argento insigniti fuerunt.* Videamus (inquit) quem populum, quos milites, quasve copias his Moyses obiecerit. Vnicam tantùm virgam, quam in altum sustulit; sed tantæ virtutis & efficaciæ, vt ad conspectum maris rubri, & hostium Ægyptiorum, illud in duodecim aperuerit & diuiserit solidissimas plateas, per quas pede sicco transierunt Israëlitæ, quod denuò clausit, vt mediis eius fluctibus hostes Ægyptij inuoluti mergerentur. *Equitatus autem meus, virga*

Cant.1.

Rupert. L.1.in Cant.

V. Maria virgæ Moysi cōparatur.

virga vna fuit, virga Moysi & Aaron: virga illa contra sublimes currus Pharaonis taliter equitauit, hoc modo militauit. Multiplicabantur valde prodigiosa signa, quæ variis occasionibus hac virgâ patrabantur. Cui Spiritus S. comparat B. Virginem. Difficile mihi est hoc asserere: quænam subesse possit ratio cur diuina Maiestas teneræ & delicatæ virgulæ sua adstringat miracula? per hanc enim eneruat gladios, & brachia ducum fortissima infirmat? Ratio hæc ea est, quòd hæc illa erat, quæ noctu reposita in tabernaculo flores protulit & fructus, vt habemus

Nota. in SS. litteris L. Num. & virga, quæ tam citò ac coram Deo reponitur, non tempus expectat flores, fructusque germinandi, apta est & conueniens, vt vires destruat Pharaonis, clarissimas obtineat victorias, hostium demergat copias, & phalanges dissipet inimicorum. *Posita coram*

Num.17. *Deo virga illa in tabernaculo testimonij, sequenti die inuenta est germinasse.* Ecclesia Virginem Deiparam appellat virgam. *Virgo Dei genitrix, virga est.* Quid miramur si Deum in sui trahat amorem, illum superet, cùm ad primum vitæ huius diuinæ ortum, tenerumque ætatis florem, dum terram calcare cœpit gradusque ascendere, sic festina præcurrat, vt non tantùm teneras promoueat plantas calcatura terram, quantum cæli sidera, & sursum ad cælum vsque sublimis feratur: teste D. Ambros. *Non tam vestigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret.* D. AMBR. L.2. de Virgini.

Discursus II. *Seruire Deo illique quod offertur, ex hilaritate consecrare, signum est prædestinatorum: sicut contrarium est reprobatorum.*

SOl ortus in Africa totamque illustrans Ecclesiam D. August. supponens vt verum quod cùm homo Deo possit seruire illumque deuincire, ita Deus se monstret deuinctum, & quasi hominis debitorem; similiter cum parco parcus sit, & cum auaro fons ille misericordiarum inexhaustus se contineat, mirabile profert argumentum. Refert S. Eloquium quod Ieroboam sacrificium idolis suis immolante, quo populum Israël à cultu solius verique Dei auerteret, accesserit Propheta à Deo missus illum grauiter reprehensurus: at non illi, sed altari loquitur, cui Rex sacrilegus adstabat. *Altare, altare, hæc dicit Dominus.* Extendit Hieroboam brachium manum suam iniecturus Prophetæ, sed continuò exaruit. Huic intendamus supplicio, & mirabilem inueniemus cum culpa correspondentiam. 3. Reg. 13.

Obla-

Oblationes & sacrificia diuinæ abstulerat idololatra maiestati, manus suas, ac subditorum arefaciens: homini igitur, *qui populi Dei manum, ne Domino suo oblationem & holocausta immolaret, aridam fecerat; in schismatico illo holocausto, manus arida apparet:* infaustæ sanè reprobationis indicium eius, qui per idololatriam tanti mali extitit origo.

D. AVG. L. 2. de mirabil. S. Script.

I. Abrahæ obedientia perpenditur.

Cùm oculis carnis rigorosum videatur Dei præceptum iniunctum Abrahæ, nempe stringendi gladium filiumque immolandi, essentiam illi ipsi auferendo, cui illam dederat, nihilominùs profectus vt præceptum mandaret executioni, Isaac filium agnominat; gradum figit hîc notatque D. Ambros. patris Abrahæ inflexibilem animum, deuotionem raram, indicium iucunditatis quâ illum offerebat: cùm potuisset verbum illud subticere vtpote adeò tenerum, quo possint illi viscera lancinari; cuncta nihilominùs perrumpit, quatenus Deo mundoque innotescat quanta mentis alacritate filium Isaac Deo dedicet holocaustum. Accipite eius verba: *Inflexibilis à studio deuotionis minister, vocare filium frequenter non timet, ita erat intentionis soliditate fundatus, & hoc se meliorem patrem putabat, hoc sibi in perenne mansurum indicabat filium, si eum immolaret Deo.* Pater ita diuino amore succensus, optimè poterat linguâ suâ humanum proferre amorem, quo naturaliter filium prosequebatur, nihil formidans quod ille ab hoc euelleretur. *Ita erat intentionis soliditate fundatus.* Arbor est profundissimis implexa radicibus, quam sæua tempestas aëris, turbulentique venti de suæ non possunt firmitatis loco dimouere. Tendat ad montem vbi victimam est immolaturus, conferat Isaac lignum, & ignem pater, ac decidentibus ex eo qui paterno suo flagrabat in pectore, carbonibus in ipsum filium, cognoscant omnes quòd pluris Deum faciat quàm filium; repetat quoque frequenter nomen illud amoris indicium, cuius tamen suauitas non emolliat nec euincat animam ita Deo innixam, vt agere non omittat, quod illi præcipitur. *Inflexibilis à studio deuotionis.*

D. AMBR. L. 1. de Abrah. c. 8.

Iam ex S. Pagina nouimus, quòd cum Abraham sublato in altum brachio fortiùs ictum erat libraturus in filium, illum Angelus detinuerit: *Ne extendas manum tuam super puerum.* Non ambit Deus humanum sanguinem: sola ei placet voluntas prompta & submissa. Hinc cum D. Anastas. Nicæno (illius enim est hæc annotatio) transgrediamur ad Lib. Iudicum: hîc inuenimus à Duce Iephte emissum votum (licet indiscretum) quòd si victoriam reportaret ab inimicis, Deo litaret in holocau-

Gen. 22.

II. Filia Iephte à morte nō liberatur: & quare?

 stum

ſtum quidquid primò domum intranti ac triumphatori obuiam occurreret. Et ecce prodit illi in occurſum vnica filia, ſpes poſteritatis ſuæ, lumen oculorum, baculus ſenectutis, atque ex funeſto triſtique occurſu lugens nimis veſtes ſibi lacerat, copioſas fundit lachrymas, doloris non tolerabilis pandit argumenta. Ipſa ſimiliter in gemitus planctuſque effunditur mœſta nimis: atque expletis ab executionis voti ſuſpenſione duobus menſibus, iiſque in patris filiæque tranſactis luctu, illam Deo offert pater holocauſtum. Quærit hic præfatus Doctor; quomodo nullum hîc oraculum, nulla manus detentio, qualis Patriarchæ Abrahæ, nec duci reuelatio panditur diuina, nec diuinæ placet Maieſtati oblatum in altari humanæ victimæ ſacrificium? Idem videtur hoc, quale & illud, quomodo igitur & vnum impeditur ne fiat, & alterum permittitur vt fiat? filia offertur, & filius liberatur? vnico eoque elegantiſſimo verbo reſpondet. Non merebatur Iephte conſolationem, quâ demulcebatur Abraham, neque digna erat filia ſupereſſe viuens, vt Iſaac: Illi etenim qui necem celebrant, & funebres lachrymis præcurrunt exequias: qui in Dei oblationibus dant ſigna mœſtitiæ, parum alacres procedunt, & internum mentis indicant dolorem: multum abſunt à recipiendis oraculis, reſponſis, lenimentis, diuiniſque reuelationibus: filia quæ lamentatur, pater illam Deo litando qui triſtatur; Abrahæ verò ſic, hic conſolatur, hic reuelationem audit, hic filium recipit: cùm tanta mandatũ perficiat animi promptitudine: ita ſine omni doloris indicio iucundus, vt iamiam filium iugulaturus, eum filium appellare non abhorruerit. Quis non audire deſideret eius verba? *Propterea neque pater erat dignus beneficio Abrahæ, poſt illam incredulitatem, & voti pœnitentiam, & veſtium dilacerationem, & lamentationem: neque filia Iſaaci vita poſt impium luctum, & duorum menſium eiulatum, vt quæ iudicarit hoc ſacrificium eſſe quauis calamitate grauius.* Siccine bimeſtri vitam deploras, quam ſtatim libentiſſime profundere debuiſſes? Hoc tibi perſuaſum habe: quod ſi pater nullam oſtendiſſet facti promiſſi pœnitentiam, nec filia eius executionis: nec ipſe pater filiam nec filia vitam amiſiſſet.

Iudic. 11.

ANAST. NIC. To. 1. Biblio. PP. qu. 36.

Gen. 22.

III. Vaticinium Abrahæ expenditur.

Extulit hoc D. Aug. in Patriarcha Abraham, de quo diſputantes de mentis alacritate, qua Deo quidquam eſt offerendum, neſciunt ſe SS. Patres expedire, eiuſque laudibus finem imponere: quocirca nemo mirabitur quod non tam citò calamum ſuſpendam, meq; expediam. Ad montis cliuum, cuius

D. AVG. ſer. 71. de temp.

ius vertex futura erat ara locuſque ſacrificij quod litare Deo propoſuerat, dixit famulis ſuis, qui vſque huc illi viæ comites adfuerant, intentionis ignari: *Expectate hîc cum aſino: Ego & puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus reuertemur ad vos.* Quî fieri poteſt vt reuertatur filius, ſi properes illum iugulaturus? te ſolum reducem præſtolentur: Iſaac etenim, tumulo contegendus alienis reuertetur delatus manibus, aliorum non propriis pedibus. *Reuertar ego*, dicerem ego, verumtamen *Reuertemur*: quid hoc? Dubiũ proponit Eccleſiæ lumẽ D. Aug. *Quid dicis beate Abraham? ad immolandum filiũ vadis, & dicis, cum filio reuerteris? Si eum in holocauſtum obtuleris: vtique tecum reuerti non poterit.* Nemo illi moleſtus ſit: optimè loquitur, vt Propheta, & cui apprimè nota ſit Dei natura, & velut vir prudentiâ clarus certam infert illationem. Si chariſſimum hoc pignus eo modo diligeret, vt occurrente illi Dei amore, illud animo non libenti dedicaret, moreretur Iſaac, & ſolus pater reuerteretur: verùm cùm tanta illud conſecret voluptate, filiumque immolet alacritate; ſecurè promittere poteſt: ambo reuertemur: ego cum ipſo meo filio: hic autem ſoſpes *Reuertemur ad vos.* Econtrà verò ſignum eſt reprobationis, tædium & melancholia in eo qui creaturam offert creatori: vnico namque verbo, quo cõprehenditur quidquid in hac materia dicendum eſt, concluſit D. Ambroſ. triſtitiam Cain vt clarum allegans reprobationis indicium. *Triſtitia igitur Cain conſcientiæ teſtimonium repulſæ indicium eſt.*

Gen. 22.

III. Vaticinium Abrahæ expenditur.

D. Aug. ſer. 71. de temp.

D. AMBR. l. 2. de Cain & Abel c. 6.

Ex his infero, languentis ſpiritus in parentibus eſſe ſignum, dolorem quem oſtendunt nimis intenſum, dum Deus eorum filios tollit vocatque ad Religionis ſtatum, & quotieſcumque luce quadam de cælo ſingulari animas illuminat filiorum, vt humanis valedicentes ſponſis, hominibus & mortalibus, diuino cæleſtique nubunt in Monaſteriis. Audiant ſuauiſſimam ſuauiſſimi D. Bernardi ſententiam. Monachalem induerat habitum in monaſterio Clareuallenſi adoleſcens generis nobilitate inſignis Gaudefridus nomine: parentibus autem eius, caſum hunc ægrè, dolenterque ferentibus, litteras illis S. Prælatus ſcripſit conſolatorias atque inter alia verborum lenimenta, hanc expendit rationẽ. *Si filiũ veſtrũ Deus facit & ſuũ, quid vos perditis, aut ipſe quid perdit? fit de diuite ditior, de nobili generoſior, clarior de illuſtri, & quod his omnibus maius eſt, Sanctus de peccatore.* Si tantò vos Deus honore dignetur, vt illum qui filius eſt

D. BERN. Epiſt. 110. ad parentes Gaudefridi.

IV. Parentes filios non defleant religioſos.

est vester, faciat etiam suum, quam in hoc iacturam incurritis: & ipsi quod inde detrimentum? Si in sæculo diuitiis ad luxum abundabat, si stemmate claro nobilis: his omnibus in religione copiosiùs multò abūdat, atque per eam progeniem suam reddit illustriorem: & quod his omnibus excellentius præfero: qui peccator erat, modò in virum euadit sanctissimum: & quæ huic gloria comparanda? Creare vult illum Deus in cælesti gloria, Regem potentissimum, atque in hoc Religionis secessu coronam illi præparat dignissimam. *Oportet autem eum præparari regno, quod sibi paratum est ab origine mundi. Atque idcirco: Confidite, consolamini:* cùm tantùm absitis vt filium perdatis, cum se Deo tradat, qui Pater est vobis omnibus multò melior; permutationem hanc attentè considerate, nec illum lachrymis vestris coinquinetis, imò potiùs cum gaudio festa celebretis. *Si diligitis eum, gaudebitis vtique, quia vadit ad Patrem, & talem Patrem. Ipse quidem vadit ad Deum, sed vos non perditis eum.*

O gloriosissimi huius Reginæ parentes; quam citò soluit illam de pectore suó mater, & de brachiis suis pater: nec hoc minùs erat quàm illis cor animāq; euellere, cū filia & talis filia non inferiùs quidquam mereretur; porrò cùm lucrum attendunt, quod eorum filia, & ipsi per illam in Deo sunt adepturi, toto mentis iubilo, cordisque lætitiâ illam Deo consecrant. Audiamus verba D. Germani Archiepiscopi Constanti. quibus introducit Annam asserentem Sacerdoti, quod in Maria promissum suum læta recipiat. *Ob hoc igitur filiā iā ablactatā, vota mea Deo reddo, quæ distinxerunt labia mea, & os meum locutum est in tribulatione mea. Propterea etiam virginum agmen cum facibus coëgi, sacerdotes conuocaui, cognatosq; meos simul adduxi, ad omnes dicens: Congratulamini mihi omnes, quia hodie mater & deductrix sum declarata filiæ meæ: nō ad terrenum aliquem Regem, quia non æquum esset; sed cælesti Regi eam tanquam debitum donum offerens dedicansq;. Accipe igitur quod reliquum est, ô Dei Vates, à Deo mihi datam filiam, accipe atque introducens planta ipsam in omni sanctificatione, in Deo dicatum habitaculum.* Hic etenim locus est, quem adeò grata hostia Deoque accepta promeretur.

D GERM. Archie. Const. Encom. Deipar. CASTRENS. histo. Deipa.

Discur-

Discursus III. *Vtile est frequentare Ecclesias, vbi Deus propiùs nos intuetur, fauentque nobis Angeli, quocirca adducitur Virgo in templum Hierusalem, vt tantò citiùs mundi succurrat necessitatibus.*

NOn leuem adducit consolationem templorum frequentatio: in quibus Deus sibi fixit habitaculum, & domum suam collocauit exauditionis. Quod diuina Maiestas in loco aliquo particulariter resideat: cùm omnia impleat: *Cælum & terram ego impleo*, partemque eligat sibi specialem, non ea sit ratio, quod eius magnitudinis immensitas possit in loco terminis manere constricta: sed vt quasi se obliget, hac dignatione curam gerere diligentiorem eorum qui ibidem aut habitant, aut ingrediuntur. Hoc eleganter expressit Philo. *Quisque enim domũ possidet, necesse habeat, vt ei prouideat.* Vbi & cęlestes spiritus donis nos cumulant frequentioribus. Contemplatur D. Bernar. Patriarcham Iacob, in somnio illo quod vidit multò clariùs quàm si vigil non dormiuisset. Inter alia beneficia illi de cælis concessa, hoc annumeratur, quod cælicolas viderit continuo

PHILO *de his verbis: Resipuit Noë.*

motu ascendentes & descendentes: dicet aliquis: aderant illum velut amicum suum visitaturi: & ait: *Vnus homo erat Iacob & dormiens vidit descendentes Angelos & ascẽdentes.* Et quasi nihil dixisset, nec hoc censuisset esse beneficium, addit: *Parum est:* ipsum Deum vidit. Instrue nos, Doctor sanctissime, qua veritate dicis: *Parum est,* quod homo alatas videat & immateriales substantias, gloriæ splendoribus illustrissimas? Mihi profectò magnum & rarum videtur beneficium, illoque tempore inusitatum, quando Angeli, quia Deus nondum humanam assumpserat naturam, cum hominibus non conueniebant. Notandum autem quod hæc affabilitas & benignitas ostendebatur non tantùm respectu Patriarchæ, quantum loci, in quo erat, qui symbolum erat Ecclesiæ: vnde primò patiuntur vt obdormiat q. d. nostram visitationem illi adscribe quod repræsentat locus in quo dormis, nempe templo, & domui, in qua Deus noster habitaturus est: homini verò qui est in Ecclesia, licet soli, descendentes aderunt omnes Angeli, vt familiares & amici, illi seruituri. Bethel vocatur ille locus, id est, *Domus Dei.* Habent enim isti parietes vt priuilegio gaudeant immunitatis, velut domus magnatum seu legatorum.

Gen. 28. D. BERN. *ser. 6. de Dedicat. Eccles.*

I. Templa Angeli frequentant.

rum. *Vnus homo erat Iacob.*

Ex prædictis collige reuerentiam, quâ vult Deus vt colantur Ecclesiæ, & sanctitatem, quam ab ingredientibus illas postulat. Notat noster illustrissimus Cardinalis Caietan. columnam populo Israel prælucentem, primum fuisse templum in quo Deus in Israel colebatur antequam erectum esset tabernaculum. Sic enim loquitur. *Ante conditum tabernaculum, ante conditam arcam, erat locus aliquis deputatus Deo, non ab homine sed ab ipso Deo, locus videlicet sub columna in aëre existente.* Euoluamus mysterium: quid subesse potest, quod Deus in locum elegerit, vbi certam sibi filij Israel promitterent defensionem, & faustam petitionum suarum expeditionem, columnam: & videamus quid in hac lateat virtutis? Et patet ex textu, per diem apparebat vt nubes ardentissimos solis radios attemperans: noctibus autem mutabatur in ignem, flammis offusas noctis dissipans tenebras, & frigora depellens: quænam obsecro, hæc est adeò dispar vnio: ignis consumens & nubes frigida & temperata. Terret ignis, solatur & refrigerat nubes: semper in se mutuo in prœlium insurgent nubis aquæ, flammarumque radij. Vbinam poterat ignis per diem occultari, & nubes per noctem tecta non videri? Secretum est non omnibus obuium. Si columna figuram præferat Ecclesiæ & templi: componatur autem ex nube, profectò nihil aliud nobis innotescit quàm quod huc debita reuerentia, animiq; puritate intrantibus, Deus fiat nubes: quia dona desursum depluit & fecundas reddit animas: indignis autem ignis sit voracissimus.

Caietan. in Exo. c. 10.

II. Columna fuit prima figura templi.

Primò nubem consideremus. Post insignem illam victoriam, quâ Dauid Goliath proprio eius gladio caput præscidit, posuit eius arma Dauid *In tabernaculo suo.* In domo sua. Alij legunt: *In templo*: gladium verò Goliath nemo dubitat, quin detulerit in templum: quandoquidem ex illo Sacerdos Achimelech eum Dauidi reddiderit: dicens: *Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in valle Terebinthi, inuolutus est pallio post Ephod*: erat autem Ephod vestis Sacerdoti propria: deinde absque vlla distinctione gladij & armorum communi verbo subiungit S. Textus, *Arma verò eius posuit in tabernaculo suo.* Num forsitan domus Dauid particulari consecratione Deo erat dedicata, & in ea diuinus illi cultus in sacrificiis exhibebatur, vt ipsa templumque vnum quid esse censeatur? An ergo habitaculum sæcularis, qualem nouimus fuisse Dauid, pro

1. Reg. 17.

1. Reg. 21.

III. Tabernaculum erat Dauidi instar domus. Cur ita?

pro Sacerdotum sumitur habitaculo? Respondeo. Quod consistens in templo cultor illius eximius, tanta niti possit fiducia petita consequendi, ac si in domum accederet sibi propriã: cùm autẽ Dauid tanto locũ hũc sacrũ cultu veneraretur, Deum expertus est sibi conuersum in nubem, tantis illum deliciis demulcentem, vt Dei habitaculum iudicare posset, esse sibi velut domum propriam: cùm idem sit appendere lucidissima triũphi sui trophæa: *In templo, quod in tabernaculo suo.* Quid plura? D. Chrysostom. ait, Ecclesiam officinam esse spiritualem, in quâ remedium cunctis licet inuenire necessitatibus: *Ecclesia sanè locus quidam est, medicinæ spiritualis.* Accedis huc tristis ô anima, discedis autem repleta consolationibus: num te cogitationum nubila, & tribulationum turbines distrahunt & perturbant? Ad diuinam huc recurre præsentiam, & inde exibis nubis protecta lætaque subsidio.

D.Chr. Hom.1.in Gen.

Porrò alteram columnæ partem sed igneam solerter attẽdamus: & talis est Deus his qui coram eo grauioribus non verentur illum peccatis offendere. Vt autem locorum sacrorum prophanatores sibi timeant, dico tales diuinam rescindere misericordiam, cingulum illi tollere, gladium eius euaginare, pedibusque alas addere, quibus celeriùs aduolet culpas huius temeritatis castigaturus. Ne verò hæc per hyperbolen dicta paruipendantur: quæ adeò vera sunt, meo ne credant calamo, sed D. Bernard. fidem adhibeant ad Summum Pontificem Eugenium scribenti. Perpendit D. Bernard. mansuetudinem & benignitatem Saluatoris flagello armati contra venditores & emptores in templo Hierusalem, quod in basilicam domumque prophanauerant institorum. Aduertite circumstantiam hîc notari valde particularem Christoque insolitam: ea autem est, quòd non tantùm illos reprehensione redarguat, & rationes non audiat oppositas, nec admittat satisfactiones, sicut in aliis criminum occasionibus admisit: imò & in prima Adæ transgressione, audit illius & mulieris similiter excusationes: sed in præsenti actu omnes repellat, quinimò seram nimis iudicans pœnam, non sedeat vt iudex, sed semotâ sui muneris auctoritate, festino procurrat pede, puniatque sacrilegos: qui tamen tantâ commendabilis est longanimitate. Nolo vobis D. Bernardi verba subtrahere: *Non parat aures vt audiat, sed flagellum quo feriat: verba nec facit, nec recipit: nec enim sedet iudicans, sed insequitur puniens.* Quid igitur mouet illum, quid

IV. Christus seuerè punit templi prophanatores.

D. Bern. L.1. de Consid. c.11.

O vrget

vrget vt consuetum inuertat ordinem, quem semper puniens obseruauit, quid illi gradum accelerare facit? Causam non subticet, vt illâ oculis nostris expositâ cesset admiratio: ea scilicet quòd domum Patris sui, locum orationis & puritatis, non ferret in mercatorum basilicam, in cambia, & negotiationes tali loco non decentes esse permutatam.

V. Christus templo egreditur nauseabundus, nec immeritò.

Prosequitur illud aureum eloquentiæ flumen D. Chrysost. Intrauit aliquando Christus templum, & nondum pedes suos perfectè super pauimentum illud statuerat pario stratum lapide, & ecce statim foras egreditur. Accedunt ad eum discipuli, dicentes: Magister, aspice quales lapides, & qualis structura, columnæ quales, totaque machina inter mūdi miracula non minimum. An magnificum hoc & planè regium attenditis opificium, quod vestros sic rapit oculos? Erit tempus cum hæc omnia dirupta, confracta vestrísque substrata pedibus, non manente lapide super lapidem, admirabimini. Adest D. Chrysost. & meritò obstupescit. Quid hoc noui, Domine mi? nónne templum habitaculum tuum est ordinarium, in quo constanter sedem tibi figis: ita vt illud ingressus, non facilè capies de migrando consilium? quænam igitur modò prægnans adeò ratio te foras expellit, vt mauis per plateas obambulare, forum percurrere ciuitatis, populique concursui te medium ingerere, quàm sanctæ huic immorari stationi? An aliquid noui te turbat? Respondet D. Chrysost. Ingressus est Dominus templum ea mente & desiderio vt exercitia studiaque cerneret intrantium, loco adeò sacro condigna: quibus dum notat opposita, fugam capessit: illum etenim cogunt ad egressum, loci contemptus & irreuerentia. Vt autem illi digito monstrant Apostoli lapides fabricæ pretiosos, opusque magnificum, illis indicat, ipsis nequaquam sibi satisfieri, licèt ditissimis: nec in exteriori delectari se apparatu, si sordeat interior: sibi verò magis placere virtutes piaque opera in animabus Ecclesias suas frequentantibus, quàm auri, argentive copiam, vasa pretiosa, aulæa ingeniosè arcu picta, altarium ornatum, parietes ex iaspide constructos: & sicut hæc in illis abundabant, languebant autem alia: idcircò festino gradu inde se proripit, ex tali populo non parua confusione turbatus. Nefas duxero verba tam pulchra non dicere D. Chrysost. *Ecce enim totum templum iacebat spiritualiter dissipatum, & illi quasi mirabilem compositionem templi Christo monstrabant: non intelligentes, quia homo quidem in ædificatione* pariе-

D. Chrys. In Imperf. Ho. 47.

D. Chrys. Ho. 36. in ad Corin.

parietum delectatur : Deus autem in conuersatione Sanctorum. Et in exordio homiliæ hoc notanter astruit : *Superiùs ingressus est Dominus templum, quærens sanctitatem templi ; sed cùm in templo nihil inueniret proprium templi* (omnia aliena, nec sanctificato illi loco condecora) *egressus de templo, ibat : quia ædificium quidem stabat quod erexerant homines sanctitas verò ceciderat, quam constituerat Deus : nam templum hominum est ædificatio lapidum pulchrè composita : templum autem Dei est congregatio electorum religiosè conuersantium :* Et alio loco deplorabat D. Chrysost. quòd Deus tam grauiter in Ecclesiis ad iram prouocaretur. *Et nunc Ecclesia à foro nihili differt: & si non sit temerarium dictu fortasse nec à scena ipsa adeò prostitutis scortis petulantius, quia huc mulieres congregātur, se comunt : & sine dubio non paucos etiam hîc sollicitant homines intemperatos* &c. Nullum iam discrimen nouimus inter Ecclesias & fora, mutatæ sunt in theatra comœdorū. Impetus vt in muros violentus fit contra castitatis alienæ propugnaculum, hîc indecoræ vigent conuersationes, ioci, contemptus, irreuerentia magna, timeo timuique semper acceleratum diuinæ iustitię supplicium.

D. Chrys. Ho 36. in 1. ad Corint.

Vt igitur Deus hunc de domo temploque profanato mitiget dolorem : adhuc trimulam eò adducit puellam sole venustiorem cæliqúe Dominam. Nec omittamus annotationem in eius laudem D. Gregorij Nicomediens. Archiepisc. quod scilicet ad primum huius Virginis ingressum, siluerint responsa, & oracula obmutuerint, quæ de Propitiatorio Deus populo suo proferebat : eodemque modo quo Maria templum pedibus terebat, splendor famaque obtenebrabatur, quâ apud omnes terræ nationes fulgebat augustius, gloriâ eius in caliginem declinante ex Virginis purissimæ Mariæ præsentia. Rarum hoc & particulare præfati Sancti dictum in medium profero. *Postquam introductum fuit eius spatium, quod est vel cælis ipsis latius, signum eorum dissolutionis, quæ in templo fieri consuerunt, eam statim viderunt gloriam quidem sua spōte ad eam currere, se autem in dies priuari animaduerterunt.* Cur autē ô Domine, introeunte hac Virgine more solito populo familiaris minimè loqueris, cur obmutescis? Dixero ego ex huius ingressu templi famam latiùs dilatandam, & eius notitiam longiùs spargendam, ampliorem Sacerdotum auctoritatem, frequentiores de Propitiatorio populi diuinas fore consolationes ; de quo sibi illas dandas sperant Israëlitæ. Ingrediente Maria Deus obmutescit. O

VI. Ad Mariæ ingressum oracula silebant.

D. Greg. Nic. Orat. de oblat. Virg.

prodigium! Ne mireris: tanto namque Deus affectu fertur in Virginem, vt nulla illi sint nisi Mariæ verba, nulla lingua, quæ nobis respondeat, quàm ea quæ est Mariæ: templum confunditur (si fari sic liceat) ex eo quòd eius amplitudo consistere tantùm dicatur in vasis auri & argenti, supellectile copiosa & magnifica, diuitias illas contemnendo; ex quibus præcipuus non resultabat eius splendor: fugit eius gloria, velut ab iniusto possessore, & ad verum transfugit Dominum nempe Mariam: ipsa namque templum est, in quo Deus sedem habet permanentem. Altare est & Ara in quâ consecrata sacrificia, grata sunt illi quam maximè: quocirca ad eius contuitum cessent omnia, obtenebrentur omnia, stellæ non luceant lucente sole hoc Maria: materiale hoc ædificium pristinâ priuetur maiestate, & amplitudine spolietur: omnem etenim suam Deus in purissima hac virgine collegit posuitque abundanter, quam sibi in matrem creauit mundissimam: quocirca vmbræ diffugiant ad ortum lucis splendidissimæ Mariæ.

Discursus IV. *Virgo Maria prima votum emisit Virginitatis, & secedens ad templum, vitæ fundatrix fuit religiosæ, exemplo suo docens status huius obligationes; quæ sunt, puritas animæ & corporis; soli Deo sponso suo cælesti vacando.*

Ex secessu Sacratissimæ Virginis quo vnicum quærens Deum se ab humanis abscondit oculis, vt diuinis vacaret: Virginum consecratio sumpsit initium, quæ mundo foris relicto eius vestigiis inhærent, virtutum illius imitatrices. Huius singularem mihi præbet probationem Abbas Gillebertus explicans illud quod in Ecclesiastico de se Virgo testatur Deipara. *Ego quasi Libanus non incisus vaporaui habitationem meam.* Eccli. 24. Odorem meum exspiraui vt balsamum non incisum: solent etenim in trunco quasdam facere incisuras è quibus suaue flagrans aroma distillet: hoc est nullo præuio exemplo primiceria cælum suauissimis Deoque gratissimis replet aromatibus. Vocatur, & iustè quidem, Virgo, virginum vapor, illa quæ puritatem exhalat, niuem spargit, effundit dulcedinem, candorem longè lateque diffundit. Placebunt magis eius verba. *Matris De-*

I. Maria Libanus est non incisus.

Gilleb. Ser. 17. in Cant.

Gilleb. Ser. 17. in Cant.

Domini specialiter hac verba videntur: illa verè Libanus, & Libanus non incisus; illa vobis euaporauit sacra Virgines habitationem suam, habitationem cælestem, habitationem Angelicam, quando virginalis conuersationis exempla in vos transfudit & perpetui pudoris spirauit amorem. Virginibus loquitur & Religiosis Deo consecratis. Maria (fatur) mons est Libani, in quo incorruptibiles assurgunt cedri, odoriferæ crescunt cupressus, balsama suauè redolentia: hanc vobiscum diuidit odoris suauitatem ex illa copiosè distillantem: eius autem possessio, participatio quædam est cæli, vita est Angelorum, multum discrepans à communi & terrena, & tantum interest discriminis, quantum inter cælum & terram: gloriosæ reddimini. Sed hoc aduertendum totum id Virgini Mariæ adscribendum: eius exemplum vos trahit, eius ducatus vos ducit, eius virginitas vos virginitate donat, atque sanctissimis eius insistentes vestigiis dulciter, licet efficaciter captiuæ, tractæ, catenisque constrictæ progredimini: Nemo sine Virgine Maria, potest esse Virgo: si namque D. August. credimus ipsa est domus virginitatis. *Ad domicilium castitatis Angelus mediator aduenit.* Notandum illud: *Angelus aduenit.* Vita est adeò Angelica, Virgo

II. Angelus non nisi ad Virginis ædes accedit.

Eccli. 24.

I. Maria Libanus est non incisus.

D. Aug. Ser. 24. de temp. in ordine 20.

sic virgo, & Regina Virginum, Angelorum & hominum: vt Angelus in mundum venturus à Deo missus nullam in toto vniuerso domum inuenerit, in quâ requiesceret, suæ puritati condignam: quocirca ad ædes diuertit & habitaculum Mariæ, similiter ad templum, in quo sedem sibi fixit Maria: etenim Angelos & Virgines in eadem domo, iisdemque parietibus simul posse viuere nemo negauerit.

III. Maria Virginibus est exemplum.

Virgines Angelos esse dico, imò certo quodam modo illis eminentiores. Diuus Maximus ostendit quâ ratione ad omnium consolationem Deus in omnibus viuendi statibus quosdam statuerit vitæ meritis excellentiores, ad imitationis exemplum: ne quis verò fallaciter sibi persuaderet ad beatitudinis æternæ consecutionem vnam tantùm omnibus aperiri viam ostendit D. Ioanni duodecim portas. Iunctæ matrimonio imitentur Saram, Rebeccam, Rachel &c. Cui hæc subnectit: *Christi verò Virgines, solam Virginem matrem subsequantur.* Porrò Virgines sponsæ Saluatoris non hoc sibi sufficere ducant, nulla namque illis imitatio minor satis est, quàm immaculatæ Virginis sectari vestigia, collaterales esse, matrisque luminum candidissimum sequi vexillum. Honorifico titulo Mariam extollit: *Matrem*

Apoc. 21.

D. Max. Ho. de S. Agnet.

luminum: quando Virgines ad eius hortatur imitationem. Sed de responsione nulla est difficultas: omnia namque hîc lux sunt & splendores, Angelorum insignia, quia tales sunt: in statu verò matrimonij vmbras videmus & tenebras. Quid enim aliud esse credideris sollicitudines, curas & anxietates in illo statu violentas, quibus amor diuiditur & cor in diuersa rapitur? hac etenim phrasi loquitur Virgo, purissimus D. Paul. *Diuisus est.* Symbolum vtriusque status agnoscimus in duobus sacrificiis quæ lex vetus facienda præscripsit. Vnum erat holocaustū, in quo tota victima nulla parte alicui reseruata diuino cultui combusta dedicabatur; alterum erat pacificum in quo pars quædam cedebat Sacerdoti, altera offerenti, tertia verò eaque interior Deo consecrabatur. Hoc designat matrimonium, quod in diuersa distrahitur: illud autem præludium est virginitatis, quæ tota Deo & indiuisim immolatur.

1. Cor. 7.

Leuit. 1. & 3.

D. Ambr. in epistola ad Marcellam sororem, præmissis multis de castitatis prærogatiua, quam ipsa Deo deuota profitebatur, & quâ ratione cum verbo Incarnato frequentari cœperit in terra, cùm antea virtutem adeò heroicam ignorasset, tacitum sibi sumit argumētum, in cuius expressa solutione consistit præclarissima quædam consideratio, quam de hac materia proposuit Antistes ille, gloria Mediolanensium. Dicet aliquis: Propheta Elias an virginitatem non coluit? coluit. Et quidem ante nostri Redemptoris aduentum? non diffiteor. Qua igitur fide dicis à virginitate Deum attractum in terras, cuius Deus ipse primitias sibi assumpsit in se celebrandas? Respondet: si Elias Virgo fuit, non tamen ex voto vt Maria: nec tantæ dignitatis primus fuit institutor. Vt autem hoc ita esse pateat, notandum est qualiter Angeli quasi rubore confusi, quòd homo castus viueret atque inter homines mortalesque versaretur, illi currum miserint, velut magnati, & ipsâ naturâ humanâ superiori, velintque vt cum Angelica natura perpetuum habeat Virgo consortium. *Ideo ergo curru raptus est ad cælum.* Cùm hoc autem Deus parum esse censeret, virginem Angelum in societatem admittere Angelorum, ampliora præstitit (ita D. Ambros.) *Ideo cum Domino apparet in gloria.* Quando Dominus in monte Thabor gloriæ suæ clarissimum exhibet argumentum, adest Elias vt testis irrefragabilis, quia Virgo: lateri suo illum Deus factus homo associat. Plura dico: *Ideo dominici futurus est præcursor aduentus.* Præcursor assumitur,

IV. Elias quia Virgo curru rapitur igneo. Nota.

D. Ambr. l. 1. de Virgin. ad Marcel.

tur, quia Virgo, Dei futuri iudicis: & sicut Ioannes Baptista primi aduentus, vt Virgo, de cælo designatur illum recepturus præcursor, ita in secundo, eodem Elias munere fungatur præcursoris: ita vt, quasi prophetæ Virgini nihil contulisset, quo testaretur modum eius viuendi, non tam huius vitæ quàm alterius modū imitari, ad quam curru raptus erat igneo, omnino statuit vt in duobus illis occasionibus in quibus Deus cum potestate magna veniet & Maiestate gloriosus: *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua:* (loquitur de vltimo aduentu) socius illi adhæreat, illumque videat Virgo Elias; vt quasi eadem cum Deo præfulgeat maiestate.

V. Virginitatis encomium. D.CYPR. l. de disciplina & bono pudicitiæ. Huius argumenti confirmationem eloquentia D. Cypriani mihi suggerit. *Virgo æquat se Angelis: si verò exquiramus etiam excedit, dum in carne luctata, victoriam & contra naturam refert quam non habent Angeli. Virginitas quid aliud est quàm futuræ vitæ meditatio? Virginitas est perseuerans infantia.* Pari pede congreditur virginitas cùm Angelis, æquales sunt casti & Seraphini: parua dico: cùm eius prœlium multò sit grauius, contra carnis pugnando titillationes, & victoria eius tantò est gloriosior, in carne vincendo, quā carent Angeli, ac proinde inimico omnium fortissimo. Castitas perpetua vocari potest puerorum infantia: cur hoc? non enim in senium annosa declinat virginitas: eodem quippe semper statu floret integritatis, nulla dies illis euolat, ætatem conseruat virginitas vernantem, iuuenilis semper corporis est subiectum. Argumentum hoc est fortissimum, quo constat virgines Angelis esse digniores: quia Deus virgines ita sibi soli reseruat, vt nullam ipsis permittat familiaritatem, amorem, conuersationem cum ipsis Angelis, easque ab illis abscondat. Auxesis est hæc non parua dignaque D. Ambrosij ingenio: dum expendit illud quod sponsæ animæque sanctæ contigit, quando anxia sollicitudine foras egreditur cælestem suum quæsitura sponsum. Dum iam multa nox esset, ipsaque tardior, à sponso vocata, ad aperiendum surgeret: ille verò friuolas eius non admittens excusationes: *Laui pedes meos quomodo inquinabo illos,* trāsiuisset; tandem erroris præteriti pœnitens, & amoris memor præsentis egreditur. Quid plura? vigiles offendit & custodibus occurrit ciuitatis: quos Angelos interpretamur, qui nullam ei dant notitiam dilecti quem quærebat, nec ad illum dirigunt: quin imò illis omissis, statim Deum sponsum offendit. *Paulu lum cùm pert*

VI. Angeli obsunt Virginibus.

D.AMBR. l. 1. de Virgin. ad Marcel.

Cant. 5.

pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea. Loquatur modò D. Ambroſ. *Si bonos cuſtodes accipimus, Angeli ſunt, qui verò Angelos tranſiuit, Verbum inuenit.* An ergo Angeli ſunt Deum quærentibus impedimento? An quò minùs Deus inueniatur, obſtant Angeli? Sic eos deſcribit D. Dionyſ. *Imago Dei eſt Angelus, manifeſtatio occulti luminis, ſpeculum purum, clariſſimum & incontaminatum, ſuſcipiens totam plenitudinem vniformis Deiformitatis.* Quâ igitur ratione poteſt Angelus obicem diuinæ ponere cognitioni, qui tantùm animas ad illam promouet hauriendam? Addamus & D. Gregor. Nazianzen. *Secundum tamen eſt Angelus: primi illius luminis velut riuulus quidam aut participatio.* Riuulus eſt quidam cuius ductum ſequentes in Oceanum labimur diuinarum perfectionum. Quâ igitur ratione fieri poterit, vt animæ progreſſum remoretur, detineat, & impediat? Suam defendit D. Ambroſ. ſententiam. *Qui verò Angelos tranſiuit, Verbum inuenit.* Vlteriùs ſponſa progreditur, nec creaturis immoratur, licèt Angelicis: derogare namque videtur altiori ſuæ dignitati, quâ proxima Deo adhæret, & participatiuè Dea nominatur & eſt, vlli alteri, qui non ſit Deus, inhærendo, ſeque cum eo occupando.

D. DIONYS. *de cæleſt. Hierar. c.7.*

D. GREG. NAZIANZ. *Orat. in S. Baptiſ.*

VII. Exhortatio ad Virgines religioſas.

Te ô religioſa compello, tibique loquor: iam te totam & omnimodè per profeſſionem Deo conſecraſti, corpus animamque deuouiſti: ne animâ denuo mundum inconſtans votique pœnitens intuearis: quis enim tuam non liquidò redarguat inconſtantiam & modicam dignitatis tuæ quâ fulges cognitionem ſugillet, & æſtimationem? Religionum eo vergit inſtitutio, vt deſerta quædam ſint & ſolitudines animæ: plurimum enim perturbat, inquietat, detinetque cum creaturis vana cõuerſatio: nubes ſunt, quæ caligine obuoluunt turbantque pellucidum diuinę ſpeculum familiaritatis. Hic ſpiritus excitatur animoſus & fortis, & protritis calcatiſque tranſitoriis & caducis, anima ad æterna proficiſcitur & immutabilia: Deum etenim amare, ſimul & mundum, non poteſt non animam multipliciter diſtrahere, quam Deus ſolam ſibi ſoli deſiderat, & ambit in ſponſam. Quid illis adhærebit boni, qui relicto foris ſæculo, ſæcularium tamen inhærent conuerſationibus? Pro beneficio dato gratias illi refert quo te de mundi periculis ſaluam eripuit, de turbulento hoc aſſeruit pelago, de terra liberauit mortuorum, de loco eduxit tenebrarum, de regione vendicauit laqueorum: his enim epithetis mundum inſcribit

D. LAVR. *Iuſtin. de contemptu mundi, c. 18.*

ſcribit Protopatriarcha Venetiarum D. Laurentius Iuſtinianus: *Quid eſt mundus niſi quidam ſpiritualis vexationis locus, vbi tot tenduntur laquei, quot immittuntur tentationes.* Vt quid ſermonem infers de mundo? In quo ſibi cohærent & mundi conſuetudines, & cælorum obliuio? Adferre lubet gratiſſimum cathedræ Mediolanenſis oratorem D. Ambroſ.

D. AMBR. *tract. ad Virg. deuot.*

Quid tibi cum ſæcularibus, aut quem tractatum habes cum illis? Si caſtitatem quæris, hanc illi non habent: ſi fidem quæris, quis eſt fidelis in illis, quem tu comitaberis? ſi autem Chriſtum quæris, non manet in illis. Et deinde: *Quid autem quæris ſæculum, cui renuntiaſti?* De mundo te velociùs proripuiſti, tantùm Deum quæſitura: nihil in mundo reperies quod te à diuino illo Domino non diſiungat, qui te ſibi ſponſam eligere dignatur, manum verbumque tibi præbens. D. Greg. Magnum illud Eccleſiæ lumen ſubtiliter ad mores expendit quod D. Ioan. narrat:

Apoc. 8.

Factum eſt ſilentium in cælo quaſi media hora. In cæleſti gloria ſilentium? quid igitur de continuis illis canticis, quibus Sancta illa animalia perpetes Deo perſonant laudes, de quibus idem ipſe teſtatur.

Apoc. 4.

VIII. Cur fiat ſilentium in cælo.

Et requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Qua de cauſa ſubticent, & à diuinis ceſſant laudibus? Non loquitur (inquit præfatus Doctor) de triumphante Hieruſalem, ſed de militante hac Eccleſia, quæ etiam cæli gaudet nomine, & ſingulariter agit de mundis virginibus, & animabus ab omnibus terrenis expeditis, quibus rarum eſt cum hominibus colloquium: cum Angelis enim eſt illis conuerſatio; conſeruant in terra, cuius vitæ breuitas media vocatur hora, perpetuum ſtrictumque ſilentium: in altiſſimis earum percipiuntur voces, quò ſuſpiriis feruidæ continuis proficiſcuntur, vbi affectibus viuunt, & conſtanter habitant, terrena hæc quaſi hoſpitium feſtiuè tranſeuntes. Eius hæc ſunt verba:

D. GREG. *l. 30. Mor. c. 24.*

Factum eſt ſilentium in cælo quaſi dimidia hora. Cælum quippe vocatur Eccleſia electorum, quæ ad æterna ſublimia, dum per contemplationis ſubleuationem intendit, ſurgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atq; intra ſe Deo quoddam ſilentium facit.

Diuinum hunc ſomnum, de mundo feriationes, & de terra vacationes, debet Eccleſia diſciplinæ & inſtructioni B. Mariæ: & virginitas voto confirmata, eius exemplo adſcribitur. Vt autem præcipuo huius diſcurſus reſpondeamus argumento; Hoc in laudem D. Virginis aſſumamus. Cùm ita ſit quòd Deus vt purus ſpiritus perpetuò caſtis fuerit delectatus animabus, virgineo raptus animo; nihilomi-

minus nemo mihi ostenderit, quòd in lege veteri quis supremæ huic intenderit virtuti: ita vt nec exceptis Nazaræis Deo singularibus consecratis ceremonijs, omnes matrimonio iungerentur, imò & ipsi Sacerdotes. Respondebit forsan aliquis quòd Israelitæ verbum Diuinum & desideratum exspectantes Messiam ex sua generatione nasciturum, vt opprobrium habebant & ignominiam ventris sterilitatem: summè solliciti vt hæc illis tanta obueniret gloria, qua inter Dei & hominis censerentur progenitores, & matrem præbere possent genitricem. Sed obuia est responsio: cùm enim illud ad tribum regiam Iuda tantùm spectaret, cui facta fuerat promissio: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.* In reliquis vndecim tribuum poterant nonnulli seruare virginitatem. Vlteriùs, in lege naturali tantisque sæculis præcedentibus an fieri potuit, vt nec vir nec mulier voueret castitatem offerretque Deo adeò gratum de se sacrificium? quænam esset hæc causa? Dico quòd priuilegium à Deo matri suæ concedendum, post ipsam obtineant plures, sed esse primam, soli Mariæ reseruetur: sicut enim Deus tanti æstimat, primum alicuius obsequij auctorem, illumque beneficio cumulat vberiori; ita sit Maria huius obsequij Deo acceptissimi prima fundatrix & antesignana. Hoc ipse cogitauit D. Bern. *Offerantur Regi Virgines, sed post eam: nam primatum sola vendicat sibi.* Vocatur autem à D. Cyrillo Alex. *Corona virginitatis.* Et ita videbimus post eam innumeras extitisse virgines eius exempli imitatrices, eius magisterij discipulas, classem eius frequentantes, Conuentus repletos, puellis referta monasteria, Mariæ casta vestigia sectantibus. Quis fieri posse credat, ô Domine, ut priùs tam parum homines seruandæ studerent castitati, & modò tanta sit turba feminarum, quæ ad tutiorem eius custodiam, claustra penetrant, intra parietum septa toti inferno bellum dicunt atrocissimum? Quia priùs non venerat Maria, & Deus (date verbo veniam) quasi deuinctum se iudicabat, vt hanc seruaret Mariæ dignitatem, ipsa verò nascente, hæc vlteriùs gratia nō differtur.

Numquam vidit aliquis egredientem captiuum de carcere, quo plurimo detentus tempore contabuerat, qui desideratâ potitus libertate, pedesque suos gaudens compedibus absolutos, non se satiet in deambulando, præteritam restaurans motus priuationem ex præsentis deambulationis multiplicatione

Gen. 49.

D. Bern. ser. de verb. Apoc. sign. mag.

D. Cyril. Alex. Ho. Ephesi in Nestorium habita.

IX. Maria prima castitatem vouit.

tione? Quasi constrictum & retentum detinuerat Virgo pudicissima Deum, vt nequaquam donum adeò singulare purę concederet creaturæ, priusquàm Marię; venit & hoc fruitur beneficio illi tradito vexillo; ex quo conspectu Virginum satiari non potest. Conuolent apes sedulæ ad Conuentus, in quibus florentibus corporibus & animabus dulces comparant fauos mensâ cœlesti dignissimos, & antiqua compensetur sterilitas, sub qua luxit synagoga ex absentia Virginis, abundante puritate, qua Ecclesia lexque Euangelij per Mariæ natiuitatem exhilarescit. Maiestati tuæ, ô puella diuino conspectui gratissima, & Dei templum ipso templo Hierusalem quod castissimis hodie pedibus obambulas multò splendidius, omnia iure meritò debentur. Sacrarium habet nunc Deus sibi gratissimum: tabernaculum in quo pro votis suauissimè requiescit: propitiatorium in quo præbet responsa, cùm sis omnium oculis gratiosa. Aue gratiosa gratiam Deo nobis tua supplex impetres intercessione, quæ nobis futuræ sit arrha beatitudinis: *Ad quam nos perducat &c.* Amen.

D. Bern. ser. de ver. Apoc. sign. mag.
D. Cyril. Alex. Ho. Ephesi in Nestorium habita.
IX. Maria prima castitatem vouit.

Discursus V. *Cùm optimum esset Deo dedicandum, in quo sibi maximè complacet: hodie terra nostra diuinæ Maiestati donũ offert inter puras creaturas eminentissimum, quo templum Hierosolymitanum gloriosissimum redditur Deoque decentissimum.*

Additus.

Diuina abundantia nullam habere potest ab humana exiguitate dependentiam nec vllius nostri eius indiget magnitudo: nihilominus complacent illi in templo suo dona: nam grata sunt illi in suis altaribus dona, & in aris victimæ. Saltem ita nobis consulit Propheta Regius: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino.* Plenitudinem optat, & in domo sua videre desiderat abundantiam, vacua fastidium illi pariunt, & auaras non aspicit manus, quocirca sic ego: Occurrite Domino, afferte illi munera, humilia deferte obsequia, quibus eum vestrum esse Patrem profiteamini: dona etenim filialis amoris sunt argumenta. Testimonium habeo à D. Petro Chrysol. *Videtis quia cælestis Pater sentit amorem donis datis effectum, probat muneribus charitatem.* Et designans Propheta quænam ab hominibus munera postulet, ea esse asserit

Psal. 28. 1.
Deus munera nostra optat.

gloriam & honorem: hunc enim ille magnifacit qui optimum quod habet illi generosus offert.

Apparet iuxta altare sanctuarij Gabriel Archangelus Zachariæ sacerdoti: Angelus alterum illi promittit Angelum Baptistã & Domini Præcursorem. Prædicit illi conditiones & preclariora pignora quibus hic ab incunabulis decoraretur: vires præferret hominis quibus cælum impugnaret. *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur.* Quid plura? Concipit sterilis Elisabeth, quæ fecunda iam & prægnans *Occultabat se mensibus quinque.* Primis quinque mensibus conatur filij occultare conceptionem secessu & solitudine, humanos vitans oculos, & omnes latere cupiens. Rationem indagemus: quid mulierem ad talem mouit actionem: quæ quibusdam censeretur recepti beneficij parua recognitio, si non contemptus? cùm enim tantum esset, non exiguam postulabat hoc gratitudinẽ: & modicam eius redarguit si non passim omnibus euulget, quod in se ex diuina liberalitate factum experitur. Exclamet, & affectu plena cælum, terram, homines & Angelos conuocet ad laudes Deo celebrandas. Eius lingua toti notificet mundo se visceribus suis Verbi vocem complecti: silentio fauor

Matth. 11.

Luc. 1.

II. Cur Elisabeth prægnans se occultauerit.

hic lucidissimus eclipsim non patiatur, qui cùm sit vniuersalis ad omnes pertinet, & ab omnibus iustum est cognoscatur.

D. Ambros. respondet. *Quæ causa occultationis nisi pudor?* verè namque nonnulla reperiuntur, quæ decent hoc tempore, alio verò dedecent. Sterilis si mulier, & maritus, vterque diebus grauis & annis; teste Euangelista: *Ambo processerant in diebus suis:* vigorosa natura iam senio cõfecta, sepulchro sit proximior, & humanæ essentiæ fini, quàm recreationibus aptior, quamvis iusti, quid miramur quòd Elisabeth cedens obloquijs se celet & abscondat? *Sunt enim quædam tempore præscripta coniugij, quando dare operam procreandis liberis sit decorum, dum anni vigent &c.* Concludit ergo: *Pudebat igitur propter ætatem.* Idem notamus in Sara vxore Abraham, dum illi Deus addixit nasciturum ex ipsa filium: dubitans respondit vel verecunda iudicans indecorũ ætati suæ conceptum. *Postquam cõsenui & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Idem affirmat Caietanus. *Erubescebat enim in senili ætate dedisse operam amplexibus, vt vterus eleuetur.* Hæc communis est sententia.

III. Ex pudore.

D. AMBR. *in Luc.*

Gen. 18.

Verumtamen D. Albert. singularem adfert interpretationem: præfatâ quippe allegatâ sententiâ, suam adiungit. Audia-

dia-

Nota. ALBERT. Luc. 1.

IV. Vt Ioannem Deo consecraret.

diamus illam. *Et fortè verior ratio est occultationis, quod noluit se & infantem, quem gestabat in vtero, exhibere vulgo, nisi prius exhiberet in vtero suo eundem Christo.* Sublimem veneror Sancti conceptum. Contendit omni studio occultare se Elisabeth, non tam ex verecundia, quâ mulier decrepita mutato vultus colore suffundi poterat, quàm ne mortales oculi pignus quod vtero gerebat intuerêtur, & illis spectādū prius offerretur, quàm illud diuinis videndum oculis obtulisset. Rationem intelligamus. Quis dubitat, quin constaret matri (licèt non tam expressè quàm patri) qualis futurus erat vteri sui partus, subiectum nimirum admirationis ipsis Angelis, qui splendoribus licèt gloriosis præfulgidi ipso tamen Ioanne non erant puriores. Cùm autem Mariæ concessum beneficium multò esset eminentius, & omni æstimatione dignius, occultare se conabatur: vt pignus adeò pretiosum ante omnia Deo in templo suo consecraretur: sicut enim Deo primum & optimum offerri decet: quatenus illo anticipatiuè gaudens nostram cernat gratitudinem: ita prudenter mulier argumentabatur, puerum ab oculis subducens hominum, ne viderent illum, nisi postquam illum Deus præsentatum vidisset, hoc est quod ait D. Albertus: Noluit exhibere vulgo, nisi prius exhiberet Christo.

Dauid quondam gregis paterni opilio inermis & imberbis, baculo & fundâ (pastoris sunt hæc insignia) celeberrimam consecutus est victoriam in SS. litteris adeò decantatam, & Hierosolymis tanto applausu exceptam contra Goliath gigantem incircumcisum, & Dei populi terrorem, cuius intuitus ipsis legionibus Israel etiam fortissimis fugam incutiebat: proprio illi caput gladio dissecuit, manubias, cassidem, togam, armaque illi abstulit, quibus vastū illud corpus operiebatur. Arma in domum suam retulit. *Arma verò eius posuit in tabernaculo suo:* macheram verò suspendit in tabernaculo Dei, cuius robustissima manus infirmam Davidis manum direxerat. Et hoc patet: postmodum enim eam Sacerdos Achimelech de Sanctuario sustulit Dauidi redditurus. Quæro cum Abulense Hispaniæ gloria; cur ô Dauid gigantis arma tecum in domum tuam defers? qualiter ea tibi seruire possunt: viro quippe mediocris staturæ arma non conueniunt gigantis: etenim paulò antè quia nimis magna, exuisti Saulis arma *Non possum sic incedere.* Iudicarem ego, ut oppositum faceres, vt gladio illius latus tuum cingeres, prodesset vtique non pa-

1. Reg. 17.

1. Reg. 21.

ABVL. ibid.

V. Dauid gladium non arma Goliath Deo consecrat.

rum, arma verò quæ nullo tibi esse possunt emolumento, in tabernaculo Dei suspendantur & consecrentur: contrarium enim indecens planè videtur, inconsultum, & duci generoso actio prudentiæ opposita. Quantum sapio audita obiectione hac respondet Dauid vt vir prudentiâ & sanctitate clarus, & rationem profert quâ soluitur omne dubium. Fateor arma mihi nullum adferre possunt commodum, gladius autem prodesse plurimum: verumtamen cùm aliquid mihi sit Deo consecrandum, non illud sit quod velut inutile abjicio, sed quod optimum est mihique maximè necessarium: cùm autem gladius mihi pluris referat quàm arma, hæc mihi reservabo, illum verò Dei pedibus appendam & Arcæ fœderis proximum collocabo: si quis autem oppositum fecerit, iniquâ staterâ res appendit.

Nota.

Argumentum hoc assumpto alio ex D. Chrysost. adornemus. Ardentissima illa Christi amans, cuius classem frequentare possent ardentissimi Seraphini (Magdalenam loquor) cùm humani generis Redemptor conuiua domum fratris sui Lazari esset ingressus, *Sumpsit alabastrum vnguenti, & effudit super caput Iesu in mensa recumbentis.* Ita gratum habuit Christus hoc mulieris obsequium, vt vsq; modo videatur animum hunc pium non satis laudasse: vnde sic conuiuas alloquitur. *Vbicumque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, dicetur & quòd hæc fecit in memoriam eius.* Non parum admiratur D. Chrysost. à Christo iam morti proximo tale quid admissum, quod oculis non rectè iudicantibus censeretur superfluum, quandoquidem velut præuentio quædam fuerit vngendi illum, vt ipse testatur: *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam*: cui D. Chrysost. hanc notatu dignam adiungit sententiam. *Nam si hominem assumere & vtero mulieris portari & educare lacte non recusauit, cur miraris si hoc quoque non repulit?*

Matt. 26.
VI.
Christus cur Magdalenæ vnctionem admiserit.

D. Chrys. Hom. 81. in Matth. Tom. 2.

Si passus sit se femineis gestari visceribus, atque suauissimo vberum virginalium liquore sustentari, si naturam assumere humanam dignatus est, quid obstupescis gratam sibi hanc Magdalenæ vnctionem, eamque admittere? quia (Domine, responderem ego) supposito illo decreto æterno reparationis humani generis, certo quodam modo quamuis voluntario, per hanc vnctionem vis illi inferebatur. Deinde in hoc casu quæ premebat necessitas, vel cur tibi sic placet, vt tantus Ecclesiæ Doctor illud comparet actibus tuis insignioribus? Iam liquet responsio D. Chrysost. & quid ex

ex eius concludere queam interrogatione. Erat pretiosum hoc vnguentum, imò ex voluntate dantis multò melius multoque pretiosius: offeratur ergo Christo: qui æstimat, vel docet taliter illi dedicanda obsequia, hac enim conditione sibi oblata, ad nubes vsque extollet, rarísque prædicabit hyperbolis. Sed vno verbo solutionem eius petamus ex Alberto Magno: hic enim opus hoc expendens notat verbum Euangelistæ *Effudit*: *Effudit*, inquit, *vt totum manaret in obsequium Dei fracto alabastro*: vt vasis confractio & vnguenti effusio testarentur animi mulieris generositatem, quæ sibi cognoscit incumbere vt maximè pretiosum, optimum & omnia Dei cultui consecret, cùm illius sint omnia: *Vt totum manaret in obsequium Dei*: homines etenim viam sectantur contrariam.

ALBERT. in Luc. c. 14.

Eleganter & breviter expressit D. Gregor. Nyssen. oblationem proditoris Cain attendens, assumptâ sententiâ ex Canticis: *Ordinavit in me charitatem*: vel vt ipse legit: *Ordinate in me charitatem*. Docet igitur debitum hunc esse ordinem, offerre Deo maximè pretiosum: Cain superflua, tam ex eo quod obtulit, quàm quod domi illius remanserat Deo voluit sacrificare, sibi meliora ex fructibus reseruans: & ut malus diuisor iudicavit se per hoc satisfacere, & ita aberrauit; loquatur modo D. Gregor. *Neque enim condemnatus esset Cain propterea quòd male diuideret, si cum eo quod rectè obtulisset, etiam id quod decet in ordine seruasset: tam eorum quæ restabant ad vsum, quàm eorum quæ seruabantur: cùm enim oporteret ex his quæ primo nata erant Deo diuinas offerre primitias, ipse repletus his quæ erãt pretiosiora, reliquijs Deum excipiens est prosecutus.* Vetus & residuũ: quod quia inutile eius oculis nihil censebatur, hoc diuinis præsentauit. Non ita gloriosi Mariæ progenitores, eam etenim ita tempestiuè adducunt, vel Deus vt suam adducit velut Matrem in templum ad locum ceteris sacratiorem; quod ex hoc virginis ingressu non exiguum accepit gloriæ incrementum: vt Aggæus prædixerat. *Magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quàm primæ.*

Cant. 2.

VII. Cain reiectus quia meliora Deo non obtulit.

D. GREG. Nyss. Ho. 5. in Cant.

Agg. 2.

Modò lucescit mihi dictũ D. Georgij Nicomedien. (quod discursu tertio latius explicandum) Intrante templum Virgine obmutuerunt oracula, & Dei responsa siluerunt, quæ ex propitiatorio populo suo dabat, notaruntque hoc Sacerdotes. *Statim viderunt Antistites gloriã suam ad eam sponte currere, se autem ea in dies priuari animaduertebant.* Optima quæque templi, Arcam & Altare superat Ma-

VIII. Intrante Maria templum, silent oracula.

GEORG. Orat. de oblat. Mariæ.

Damasc. de dormitio. B. Mariæ. Maria sicut viuum excedit mortuum. Arcam animatam appellat eam D. Damascen. & dum Deus altare hoc & Arcam introducit, se ab alia subducit.

Animaduerte proposito nostro conuenienter quid hîc Maria prima omnium egerit: primum scilicet votũ virginitatis: quocirca per Virginem Mariam erigitur in sacrum Altare. Fiduciam mihi præbebit maximus Ecclesiæ Doctor D. Hieron. qui vomere calami plus ceteris agrum S. Scripturæ penetrauit. Notemus eius conceptum. Virgini Demetriadi litteras dat, quæ se Deo deuouerat, Romanorum Principum exosa coniugiũ cùm esset ipsa genere nobilissima. Eodem tempore D. Hieron. commentaria meditatur in Ezechielem vatem intellectu difficillimum, potissimùm circa visionem Templi & Altaris eius. Virgini responsum pollicetur, & commentaria prætermittens hæc verba consideratione digna loquitur. *Quantum sit apud me meritum, imò miraculum Virginis nostræ hinc potest æstimari, quod occupatus in explanatione templi Ezechielis, quod opus in omnibus Scripturis sanctis vel difficillimum est, & in ea parte delubri, in qua Sancta Sanctorum & thymiamatis altare describitur: malui parumper uti hoc diuerticulo, vt de altari transirem ad altare & hostiam vivam.*

IX. Virginitas est altare Dei.

D. Hier. Ep. ad Demetriad. Inter omnes materias. Tom. 1.

X. Merita recolo seu miracula veneror Virginis nostræ, quibus obstringor extensa complicare vela in explicatione Sancti Sanctorum, & altaris Thymiamatis. Porrò non mihi dissimile videtur: transeo enim de uno altari ad aliud, & de illo Hierusalem ad Virginem potiore iure Aram Dei, & longè suauiora expirantem aromata. Quòd si in altari sacrificiorum sanguis effundatur animalium, quæ culter occidit Sacerdotalis: hic hostia offertur pura, accepta tantæque eminentiæ, vt omnes expedire iudicent, vt altare intermittam materiale, & virginem collaudem & extollam Demetriadem.

Ita D. Hieronymus.

Quòd B. Virgo Maria Ara sit non est hujus temporis tam insignem probare titulum: ipse Octavianus Imperator spectans in nubibus singulare quoddam prodigium, virginem infantulum complexam, quæ matrem & filium denotabat ex declaratione Sybillarum, iussit altare erigi, vnde vsque in hodiernum diem locus hic vocatur *Ara cæli*. Altare Thymiamatis & incensi dicitur Maria semper Deo odorem exhalans gratissimum: hoc testantur eius vestimenta, Dauidque hoc præsagijt. *Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis.* Et spiritus Angelici contemplati hodie, quod patris sui Ioachim brachiis se dissoluens & vbe- Psal. 44.

&vbe-

& vberibus matris Annæ ablactata valedicens propriis innixa viribus templum aſcendat, obſtupefacti percunctantur : Cant. 1. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto?* Cant. 3. Et alibi: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Cùm igitur Deus templum modò habeat multò nobilius, Palatium, Aram & Altare, antiquam deſerat aram, & ad illam accedat quæ noua conſtruitur. Hic copioſæ ſcatent fauorum aquæ & impetuoſi fluunt torrentes deliciarum. Ps. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem* Dei: Hic omnem gloriam ſuam recolligat, & vetus templum hac exareſcat, vt mortuum non nominetur ampliùs, nec ſit præteritorum memoria ex præſenti nouitate quam conſpexit D. Ioannes : Apoc. 21. *Ecce noua facio omnia.* Quocirca non miremur ſi dixerit D. Greg. Nyſ. *Viderunt Antiſtites gloriam ſuam ſponte ad Mariam currere.*

Princeps prudentiſſima Maria quàm paruula lectionem docta retinuiſti, quam à tot ſæculis tibi pater tuus Dauid exarauerat, cuius filia, & familiæ eius Psalm. 44. gloria præfulſiſti : *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui.* Ætate trimula, licèt non in anima, nam in hac te gigantem cælum mirabatur, & Reginam cæleſtes eius agnoſcebant & reuerebantur legiones, ſed corpore adoleſcentula: ſaltem vt Deum infantilis ætas honoraret, cũ Deus per te tranſierit. Sed velut partus anticipatus, qui nec decimum nec nonum præſtolatur menſem impatiens, perrumpit carcerem, & ex materno carcere glorioſus prodit in quo vinctus detinebatur. Eleganter pro more ſuo D. Petrus Chryſolog. hoc explanat: *Homo ſæpe menſis decimi deſpiciens terminum, ſeptimo menſe anguſtas primæ domus & arctas vteri abiicit & deſerit manſiones.* D. Pet. Chrysol. Serm. 56. Quod ſi in natura contingat, quid futurum in gloria, cuius partus eſt Maria? Et ſicut addit prefatus Auctor. *Et ſi hoc humanæ licet naturæ, cæleſti quid obſiſtere poterit & diuinæ.* Proficiſcere ô ter maxima Domina, & quo detur intelligi deſiderium quo flagras ad Deum tendendi, & quo Deus ardet te videndi in domo ſua, ipſe tibi manum exporrigit in quindecim graduum aſcenſione.

IN ANNVNTIATIONE B. VIRGINIS, ET FILII DEI IN CASTISSIMIS EIVS VISCERIBVS INCARNATIONE.

THEMA.

Missus est Angelus Gabriel. Luc. 1.

SALVTATIO.



VMANÆ hodie naturæ Deus desponsatur, in nuptiali thalamo sinuque cælesti Mariæ, cui paranymphus Grabriel legatus à Deo mittitur. Ipsa quoque terra mortalium celebrans felicitatem, qui illam incolunt, & cuius mater est communis, iucundatur: hoc etenim mense nouis campi floribus adornantur, viridi amicitur aulæo terra, pulcherrimis præfulget linteis, se mutuo tangunt; & sicut amasij student sibi mutuo apparere venustiores; iam terra cælum ambiens cultiori se comit ornatu, vt illud in sui amorem grata pelliciat. Phrasis hæc est eloquentissimi Africani Tertulliania. *Sic & terram, si recenseas, temporatim vestiri amantem.* Rupertus illud interpretatus ex Canticis. *Iam hiems transiit.* sic ait: Ex qualitate temporis, secluso omnis erroris periculo, colligere licet faustissima nostræ salutis oracula. *Ex ipsa qualitate temporis, auspicium cape magnæ felicitatis.* Maximum coluimus nostræ fidei mysterium: in quo omnipotentia & amor extremum ostenderunt potentiæ: illa vires, hic inuentiones: quid miramur si vnum elingues reddat & aliud linguas excitet ad gratitudinem. Audire lubet deuotionis exemplar Arnoldum. *Sensus humanus timet attingere, & hæret ancipiti affectu: quia & stupori est maiestas operis, & ingratitudinis foret, præterire silentio laudes auctoris. Res mira & inaudita; Mater Virgo, verbum caro: Deus homo. Quis in tam celebri*

TERTVLL. l de pallio. c. 2.

Cant. 2.

RVPERT. ibid.

ARNOLD. CARNOT. de laud. Virg. Tom. 1. Biblioth. Patrum.

celebri miraculo sileat? Item quis hæc prædicare sufficiat? Scimus quidem supra nos esse hoc aggredi, sed illa in cuius sacratissimo vtero Verbum caro factum est, locuturis de verbo conciliet verbum. Quis linguæ suæ seras iniiciat taciturnitatis, quem ardor ignis exurens cogit in voces exclamare? Et quis aliquid dicere sufficiat, absque tantæ eius dignitatis iniuria? Illi tantum confido, quòd suprema Domina, in cuius purissimis visceribus Verbum caro factum est, mihi cum gratia verba ministrabit; quam speremus, & eius meritis expostulemus dicentes: *Aue Maria.*

Cant. 2.

RVPERT. bid.

Discursus I. *Deus hunc diem vt summum bonum expetebat, quo se summè communicaret, & cùm per humanam detineretur superbiam, profundissimæ Mariæ se submisit humilitati.*

QVi Dei naturam cognoscit ad dona elargienda propensissimam: æterna illa pariter & feruentissima desideria (neque enim in illo quidquam est, quod tale non sit) seipsum communicandi, non mirabitur. Summa attonitus exordior admiratione, illi inhærens, cur vltra quinque millia annorum, nullam inuenerit opportunam occasionem, nec maturum sæculum, nec temporis plenitudinem, in qua hominem indueret, hominem redempturus. Nemo dubitat quin murus aliquis interpositus steterit obex, hanc causans diuisionem, teste Propheta: *Peccata vestra diuiserunt inter vos & Deum.* Sed nominatim non ferenda humana superbia: nihil enim maiori conatu torrentem cohibet, pedemque stringit, vt peccatum Deo refractarium quodque pari cum Deo vult gradu concurrere. Itaque donec in mundo talem vidit cognitionem quæ ad humillimum & profundissimum Virginis Mariæ centrum inclinaretur, nullis se humanis obstrictum sentiebat obsequiis, nec gemitus vocesque iustorum exaudiebat ipse regio suo residens sublimis throno; homo verò remedio omni, & omni salute languebat destitutus. Post illud vniuersale diluuium quo Deus mundum renouauit, licet annis infantem, sceleribus tamē canum & senescentem: *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* Lauacrum illi concedendo aquarum, & submersis omnibus viuentibus, seruatis tamen in arca Noë octo hominibus: quamprimum de arcæ huius prodierunt illi ergastulo, consilium ineunt & opere inceperunt ædificare turrim in terra Sennaar; turris hæc est quam S. pagina cognominat Babel, cuius altitudinem ipsis inferrent

Hiere. 59.

I. Superbia detinuit Deum ne homo fieret.

Gen. 6.

ARNOLD. CARNOT. de laud. Virg. Tom. 1. Biblioth. Patrum.

rent ſideribus, eo moti animo, vt *Celebremus nomen noſtrum*, & ædificium hoc erigeretur in columnam & pyramidem gloriæ ipſorum, ſicut fuit ignominiæ: Vel, vt aliorum eſt opinio, vt haberent, quò altiùs aſcenderent inundante iterum diluuio terramque totam cum montibus ſubmergente. Introducit igitur Moyſes faſtorum anni conſcriptor quaſi tres diuinas perſonas SS. Trinitatis inter ſe concludentes. *Venite igitur & deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Admirantur omnes verbum hoc, *Deſcendamus.* Quid hoc Domine, vt parietem quatuor laterum demoliaris à formicis filiis Adam erectũ, an non plus ſatis eſt ſi vel ſemel tuũ ſuſpendas concurſum, vt omnia in puluerem arenæ ſimilem redigantur? *Deſcendamus.* Deſcendat vnicus Angelus qui ſub vnius noctis ſpatio centum octoginta quinque millia interfecit exercitus Aſſyriorum: quod ſi plures huic velint ſeruire muneri, vtpote omnis ſuperbiæ inimici, cæleſtes deſcendant legiones, & per hæc aëris vacua penetrent fortiſſimi. Sed quid opus eſt vt tota tua SS. deſcendat Trinitas? quis non iudicabit diuinę per hoc derogari auctoritati, & eius diminui dignitatẽ?

Gen. 11.

II. Deus ipſe deſcendit ad euertendam turrim Babel: quare?

4. *Reg.* 19.

Rupertus ingenioſè hoc perpendens aſſerit hæc ita ſe non habere: ſed ſicut ſuperbus ſe tribus opponit arrogãter perſonis: omnipotentiæ Patris, cũ omnia velit ad exitum perducere: ſapientiæ Filij ſtultis vaniſque cogitationibus: Spiritui S. qui totus amor eſt, ſuauitas, & benignitas, cuius contrariũ eſt arrogãtia, in arenam tota deſcendat SS. Trinitas cauſam ſuam defenſura: ad euertendum namque ſuperbum non ſufficit Angelorum potentia; hanc Deus expeditionem nulli confidit inferiori quàm ſibi Trino & vno. Ipſe loquatur Rupert. *Non Angelorum multitudines ad auxilium cohortatur, ſed ad feriendam ſuperbiam ſe adeſſe teſtatur tota Trinitas vnus Deus.* Si bellum alterius peccati ſpeciei indictum foret, quælibet ſufficeret potentiæ demonſtratio: ſed vt temerarius & præſumptuoſus ſupplantetur, qui nimia ſuperbiens arrogantia Deum ipſum conatur impetere, totus Deus quantus eſt prodeat ad defenſionem. Addit autem præfatus Abbas aliud argumentum quo ſupradicta diligentius enucleat. Perpendit admonitionem Chriſti ad diſcipulos cum de ſepulchro rediuiuus eos mundi prædicatores inſtituit. *Euntes in mundum vniuerſum &c. baptizantes eos In nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Quæro, an nõ ſuffeciſſet dicere, In nomine Dei, qua de cauſa exprimi neceſſe eſt omnes tres perſonas? idque

III. Tres perſonæ SS. Trinitatis exprimendæ in baptiſmo.

RVPERT. l. 4. in Gen. c. 42.

Rom. 6.

RVPERT. *vbi ſuprà.*

Matth. 28.

idque præcepto ita stricto, vt vnâ non nominatâ, Sacramenmentum irritum esse censeretur? Siquidem verum sit, quod in principio Ecclesiæ, vt Christum populo redderent amabilem, cuius nomen Iudæi toto nisi fuerāt conamine diffamare, dispēsatū fuerit vt in eius solius nomine baptismus cōferretur. *In nomine Christi.* Sed hoc breuissimo tēpore, & numquā amplius: quia forma hæc & materia ab ipso Christo fuit instituta & præcepta, cui nihil detrahendum est, nihilque addendum. Respondet valde concinnè. Sicut enim omnes tres personæ vni sese opponunt superbo (vt prædictum est) ita similiter humili patrocinantur, & sicut qui baptizatur, ab humilitate commendatur in illo actu in tantum vt Apostolus eum dicat sepultum: *Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem*: cùm illum particulari omnes foueant beneuolentià, ita omnes etiam in singulari opus est vt exprimantur. *Quod ex opposito remedio magis liquet: vbi enim in ore Apostolorum, omnia renouantur genera linguarum, eadem Trinitas sese aperit hominibus, & ea die primum in nomine Patris & filij & Spiritus S. humiles homines baptizantur, quæ vera destructio est altissimæ turris, qua in cælum surgat homo Deo conregnaturus.* Baptizatus, quia humilis, cælum lucratur, quia se submittit, illi se Deus manifestat, suam illi declarat Trinitatem, sui illi infundit cognitionem, regnique reddit æterni participem, *Deo conregnaturus.*

III. Tres personæ SS. Trinitatis exprimendæ in baptismo.

Rom. 6.

Rvpert. vbi suprà.

D. Ambros. illa de psalterio verba interpretatus. *Superbi iniquè agebant vsquequaque*, alia producit ex D. Iacobo. *Deus superbis resistit.* Inflatis & arrogantibus Deus resistit: diu multumque inhæret huic formulæ loquendi: cur enim aliis non resistit peccatis? An illa non impugnat? An ipsum non offendunt? Vtique, sed videtur quod nō in cōparatione vnius ex istis: & vnde tantæ ratio commotionis? Respondet Archiepiscopus Mediolanens. *Quid igitur hoc peccato potest esse deterius, quod à Dei cœpit iniuria?* Quid miraris quod ista culpa Gigas censeatur esse, aliæ verò vt pygmæi reputentur & pumiliones: cùm *A Dei cœperit iniuria?* Enodemus illud. Peccat homicida fratris sui effundens sanguinem, vitam illi adimens, cui semel tantùm data est, nec ei secundò potest restitui. Dignitatem exoptat honoris ardelio quam prætendens non meretur: impugnat luxuriosus pulchritudinis alienæ castrum: grauia sunt hæc delicta, quis dubitat? Porrò neminem ex illis dicentem audio, nec quidem cogitantem: Deo in bonitate non cedo. Et licet, do-

Ps. 118.

Iaco. 4.

IV. Superbia propriè Deo est iniuriosa.

docente nos Theologiâ, in quolibet peccato culpetur auersio à creatore & conuersio ad creaturam: non tamen explicitè & primâ instantiâ hanc peccator intendit: imò potiùs vtraque mallet manu ludere, Deo vitiisque suis placere, & si hoc illi concederetur, de cetero non illi vlteriùs occurreret obiectum quo se Deo refractarius opponeret. Superbia verò primò se cõtendit Deo reddere æqualem; Nemo non legit primi superbi Luciferi, Angeli Apostatæ, & cælorum exulis à Deo non

Isa. 14.

tolerandam arrogantiam. *Sedebo in monte testamenti, &c. Similis ero Altissimo.* Sedem meam diuino statuam throno collateralem: beatus ero, nec vllam à Deo cognoscam dependentiam. An quis hoc non dixerit supremi numinis contemptum esse maximè iniuriosum? Optimè igitur dixit D. Ambros. *A Dei cœpit iniuria*; & sedulò perpendamus quod addit præfatus auctor velut præcedentium assertiuũ. *Ideoq; scriptura dicit: Dominus superbis resistit, tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit aduersus superbiam speciale certamen, tanquam dicat: meus iste aduersarius est, qui me lacessit: mihi debetur ista congressio:* Quamuis enim omnes peccatores (quantum in ipsis est) intendant, velut inimici mei bello me lacessere: superbus tamen ceteris multò grauius, & per antonomasiam facie ad faciem, suam non humilians elationem se mihi opponit antagonistam: nullus igitur gladium mei defensor educat, nec hanc sibi causam Angeli tuendam suscipiant: *Mihi debetur ista congressio.*

Summo lepore dixit D. Bern. grauem perpendens monomachiam inter Goliath, & Dauidem, cui soli huius certaminis gloriosa seruabatur obtinenda victoria: si namque Dauid dicatur *Manu fortis*: & Deus excellenter sit manu fortis: Goliath autem turris illa carnea, Philistæus incircumcisus superbum referat: illi soli qui brachio pollet omnipotenti, huius triumphi gloria seruatur obtinenda. *Precedat Dauid manu fortis: quoniam non est vincere tantum hostem, nisi in manu forti.* Laudabiliter & appositè explicat D. Augustin. Africę aquila quòd Redemptor noster agens de fidei virtute & efficacia, dixit discipulis suis: *Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis: dicetis monti huic: transi hinc illuc, & transibit.* Et iterùm: *Si monti huic dixeritis, tolle & iacta te in mare, fiet.* Quinam sunt illi montes? Mundi huius incolæ superbiæ spiritu inflati, atque in imaginatione sua se ceteris iudicantes altiores: *Quod Dominus dixit discipulis suis: dicetis monti huic*

1. Reg. 17.

D. Bern. serm. Dom. 4 post Pent. de Dauid & Goliath.

Matth. 17. & 21.

huic, tolle, & iacta te in mare, de superbia dixit : q. d. tanta fides, tanta potentia, supremum adeò dominium requiritur ad vnius superbi subuersionem, sicut ad montis depressionem vel elatioris collis humiliationem.

O peccatum, quod te tantum effers in Deum, vt ipse descendat in arenam tecum conflicturus, ipse tormenta dirigat ænea, quibus te confodiat, quis de te non toto fugiat conamine? Quis, ne Deus ab anima fugiat, superbiam in illam intromittat? Audite quantum illam abominetur; vt satis hoc euidenter indicauit Psalmista Dauid: *Pretende misericordiam tuam scientibus te :* Domine, fac mecum misericordiam, & clementiam tuam inuoco : vt autem hoc mihi felici succedat omine : *Non veniat mihi pes superbiæ.* Quæro vt quid pedes superbiæ magis assignet quàm aliis sceleribus? An forsitan ea sit ratio, quia nullum est peccatum, quod tantillo tempore coram Deo sistit ac superbia? Dixisti. A mille namque leucis si Deus superbum aduertat, fugit ab illo, & nec momento temporis adstare eum sibi permittit. Ex Augustino prodit elegans ista interpretatio. *Ergo ille exiit, cui venit pes superbiæ, ostendit, quia ideò exiit.* Optabat toto animo Dauid, vniri se Deo: *Mihi autem adhærere Deo bonum est:* Vt autē hoc assequeretur obsecrat: *Non veniat mihi pes superbiæ.* Ne patiaris me arrogantiâ inflari : quid enim hoc esset aliud, quàm me à te repelli? Hinc elicio dubij cuiusdam grauioris enodationem. Quare Dauid vocat superbiam in singulari dum agit de sceleribus damnatorum? *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper:* cùm ita sit, quòd hic damnetur, quia dignitatum est ambitiosus, ille quia humano pollutus est homicida sanguine: alter quia Veneris proles impudica, alius vt latrociniis infamis: cur ergo loquitur ita vniuersaliter: *Superbia eorum, qui te oderunt &c.*

Conceptum hunc illustret D. Chrysost. pensat enim à Christo prædestinatas beatasque animas ouibus comparari, reprobas autem & damnatas hœdis. *Statuet oues à dextris, hœdos autem à sinistris:* hæc enim animalia petulca sunt, inquieta, semperque conflictantia, quia sola sunt in gregibus. *Hœdi percutientes vel humero vel cornu.* Licet autem leones, vrsi, tigrides aliaque animalia sint aptum reproborum symbolum, nullum tamen assumit, nisi superba animalia : *hœdos autem:* aliquem quippe damnatum nemo meliùs quàm superbus expresserit. Horum igitur vult Dauid indicare infelicitatem ; Dei sunt immemores, ab illis fugit Deus, & ipsi ab eo: nec aptiùs potuit illos describere,

[Marginalia: 1. Reg. 17. — D. BERN. serm. Dom. 4 post Pent. de Dauid & Goliath. — Matth. 17. & 21. — Ps. 35. — V. Superbos Deus longè à se repellit. — D. AVG. Tract. 25. in Ioann. ad finem. — Ps. 72. — Ps. 73. — Matth. 25. — D. CHR. Ho. 54 in Imperf. — VI. Superbi hœdis comparantur.]

re, quàm ſub nomine ſuperborum: id eſt, quaſi damnati, & à Deo eliminati.

Hoc D. Auguſt. proſecutus eſt in illa parabola à Chriſto propoſita de Patrefamilias conuocante populum ad genialem opiparamque cœnam, in quâ ſuæ voluit dare liberalitatis indicium. Notat autem primum qui ſe, ne veniret excuſauit, eum fuiſſe qui villam emerat, *Villam emi.* Dominus ſum ſubditorum, mihi integrum non eſt acceptare conuiuium illudque frequentare. Hoc ergo tibi ſit exploratum, inquit D. Auguſt. quod mundano huic alligatus honori, quia ſubditis poteſt imperare, ita corde ſuperbus intumeſcat, vt diuinas reſpuat epulas; nec enim vnâ conſidere queunt menſâ vnoque veſci ferculo Deus & ſuperbus. Ingenium illud Eccleſiæ prodigioſum audite: *Habere enim villam, tenere, poſſidere, homines ſibi in illa ſubdere & dominari delectat, vt vitium malum, vitium primum. Primus enim homo dominari voluit, qui Dominum habere noluit.* Tandem concludit: *Inuenta ſuperbia venire noluit.* Ad lapſum alludit Adæ, notatque qualiter temerarius à Deo diſcedens, reiecto obedientiæ iugo, & animi, quâ tenebatur, ſubmiſſione, ad altiora ſe extollens, ſe inter denſiſſimas arborum vmbras paradiſi fugitiuus abſcondat, illarumque vmbris ſibi quærat vmbraculum. Quare? *Cuius faciem quaſi inimici timuit poſt peccatum?* Benigniſſimum Dei vultum videre exhorruit, quaſi ſibi verſus eſſet in inimicum; & vetus amicitia in iuſtiſſimam indignationem: fugit etenim videre præſumptuoſum, & hic ſimiliter Deo terga vertit abſcondendus. *Cuius faciem* &c. Æquanimiter tulit Chriſtus diabolum, duo de gula & vana gloria prœlia ſuſtinuit imperturbatus; porrò in tertia tentatione eò vſque temeraria, vt propriæ immemor vilitatis à Deo poſtularet adorari, de ſe procul eum abiecit hoc vnico: *Vade Satana.* q. d. Quamuis in malo pertinax obdureſcas, vt tenebræ luci contrarius, *Quæ conuentio luci ad tenebras?* non idcircò te profugum abiicio, & adſtare mihi contradico lateronem: verùm linguâ hac cordis huius prodente ſuperbiam, vlteriùs te non patiar, pedes tibi ſint quibus in malas aues à me Apoſtata diffugias: *Vade Satana.* Humana igitur arrogantia (ſic more noſtro loquamur) Deum remorata eſt ne tempus occaſioni tantopere votis omnibus exoptatæ deſignaret, donec humillimam audiret Mariæ Virginis vocem: *Ecce Ancilla Domini:* tunc autem loco purpuræ ſuæ regali ſuperinduit vniuitque amictum naturæ noſtræ viliſſimum. Modò

VII. Superbus repellit Dei cœnam.

D. Avg. *De verbis Domini ſer. 33.*

2. Cor. 6.

Matth. 4.

Luc. 1.

dò non fugit ab homine Deus: quinimò in vna persona duas vnit naturas adeò diuersas, vt sunt diuina illius, nostraque humana.

Discursus II. *Humilitas Virginis, vires ostentare suas potuit: talesque fuerunt, vt manibus eius arma sua consignauerit Deus, dum in mysterio Incarnationis se illi captiuum tradidit, hominumque factus est Redemptor.*

AB orbe condito nullum reperire est humilioris actum submissionis quàm fuerit hic purissimæ Virginis: hæc etenim plena gratiâ, Spiritu S. repleta, dignissima SS. Trinitatis sedes, stellis cæloque sublimior, se prona demittit, inclinat, & in terram vsque cernua prosternit: efficax sanè motiuum, quo Deus naturam induat humanam: vacuos namque cernens in terra, replet illos, non inferiori alio quàm seipso. Hunc ego conceptum ex mellifluo suxi Bernardo: hic etenim ductâ metaphorâ à canalibus, per quos deducta defluit, & dirigitur aqua; & si quid in illis medium occurrat, fluxum eius impedit, suspendit, perturbat, alioque deflectit; vel tubi nimio distringũtur impetu: sic loquitur: Progenitores Christi canales fuerunt per quos venturus expectabatur: sed interiectâ terræ massâ fluxus hic fontis verbi suspenditur: *Fons sapientiæ Verbum Dei de excelsis.* Donec Mariâ ab omnibus expeditâ, tantumque euacuatâ humano generi Deus transitum inuenerit liberum & imperturbatum, vnde & toto aqua defluxit impetu saluberrima. *Ideò fluenta gratiæ* (verba sunt D. Bern.) *tanto tempore defuerunt: quia nondum interuenerat aquæ ductus; aquæ ductum istum intelligo humilitatem Mariæ.* Dicentem non audio: eius fides, obedientia, spes; sed humilitas, demissio; hæc quam in Maria notauit, iuxta propriam suam æstimationem, eò vsque illum deuinxit & attraxit. Muræunlas aureas addamus verbis D. Bern. ex doctrina Doctoris Angelici. Humilitas præcipua est virtutum; *Per modum remouentis prohibitum: & sic humilitas primum locum tenet, in quantum scilicet, expellit superbiam, cui Deus resistit, & præbet hominem subditum & patulum ad suscipiendum influxum diuinæ gratiæ.*

Tale dedit in Exodo præceptum Deus de altari sacrificiorum quæ in diuinæ eius magnitudinis protestationem libabantur, *Vt non solidum esset, sed inane, & cauum intrinsecus.* Altare inane: Domine? siccine diligis facilia & leuia, vt etiam in ipsis altaribus pondus omne reiicias?

D. Bern. In Natiuit. Virg. Ser. de aqua ductu.

D. Thom. 2.2.q.161. a.5. ad 2.

Exod. 27. I. Altare holocausti signat Mariam.

Non altare spectabat hæc cura materiale, ex rudioribus compositum lapidibus; sed symbolum erat hoc & figurariuum Mariæ, quæ luculentissimis præfulget erecta virtutibus: vt autem teneretur acceptare oblationes & desideria quæ in cælesti illo altari videret dedicata; profundissimâ illam cumulat humilitate, & inane tantùm collocat, vt nullum in pura creatura maius possit inueniri.

Ex præmissis infero secundam SS. Trinitatis personam fore incarnandam. In Prouerbiis lego
Prou. 11. Salomonis: *Vbi autem est humilitas, ibi est & sapientia.* Si sapientiam oporteat venire de cælis in terram (attributum hoc est filio Dei proprium) non est cur diutiùs inquiramus, vbi locum sibi sit electura: cor etenim omnium humillimum, gratissimum illi est habitaculum. *Ibi & sapientia.*

II. Allegoria. Mirabilem nobis huius figuram exhibet Ionas: furiosis impugnatur turbinibus nauis quâ profugus à facie Domini vehebatur: iam ad ima deprimebatur, iã ad sidera vsque sursum attollebatur: sed quamprimum Ionas in turbulentum hoc mersus cecidit elementum: statim à feruore suo cessat, & mitescit: iuxta illius vaticinium:
Iona 1. *Tollite me & mittite in mare: & cessabit mare à vobis.* Nomen Maria, vt prælusimus, mare significat: nec enim tantus est in illo guttarum numerus, quantus in Maria virtutum, & gratiarum. Diuinum hoc turbatur mare: *Turbata est*, ex eo quòd ab Archangelo Gabriele matris Dei vocabulo cognominetur, illa quæ sibi fore quid magnum persuadebat si digna assumeretur ancilla Domini. Sic ingeniosè notat Eusebius Emissen. turbati Mariam non ex conspectu Angeli in suo cubiculo, nec cælestium spirituum proxima præsentia: cùm quibus vt eorum Regina, familiaris erat illi conuersatio, & communicatio: sed ex laudum suarum auditione: verè namque humilis non tantùm terretur ex fulgidissimis & immortalibus substantiis, licèt natura sua terrestri adeò dignioribus, quantùm in vultu rubore confunditur, ex verbis, titulisque quibus extollitur.

III. Maria ex humilitate turbatur. *Turbata est in sermone eius* (inquit ille) *non in vultu eius, sed in sermone eius: non enim Angelum, sed verbum Angeli attendebat.* Turbatur aqua, turbationem aduerto in eo quòd tanto honore cumuletur, vt mater sit & mater Dei. Demittit se Maria ad suiipsius cognitionis profundum.

IV. Cui mysterium aperitur. Vt igitur Pater cælestis tempestatem vidit in virgineo illo pectore commotam, cogitationes eius humillimas, ex se dimittit, licèt cum illo remaneret, charissimum sibi filium, eumque in castissimis eius reponit visceribus incarnandum: itaque tota Ma-

tiæ ſublimitas, in hac ſuiipſius latebat depreſſione: nec enim alius ſupereſt gradus, quo Deus mirabilia operetur, quàm ſe nihil reputare. Nemo dixerit hoc elegantiùs ipſo D. Bern. Acutè ſatis perpendit, quòd Virgo pudiciſſima audita Archangeli legatione turbata ſit; & duas offendit hîc difficultates. Vnam illicò declarat: *Quomodo fiet iſtud?* Mater & virgo: ſecunda verbis his includitur: *Ecce ancilla Domini.* Quòd cùm in oculis ſuis cenſeret ſe creaturam omnium abiectiſsimam, ad tantam tamen inuitaretur extollenda dignitatem. Primæ ſatisfacit Angelus, dum ait: *Spiritus S. ſuperueniet in te.* Manus Spiritus S. omnipotens tam ſingulari te dotabit priuilegio, vt cæleſti fecunditate grauida, digniori quàm ante, ſis virgo puritate: dum vna alteri perfectio maritata ſplendeſcit, matris dignitate virginitatem in nullo obfuſcante, quin potiùs nouo ſuperaddito ſplendore adornante.

III. Maria ex humilitate turbatur.

IV. Cui myſterium aperitur.

Quoad ſecundam difficultatem, reſpondit: *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Notat igitur D. Bern. quòd quotieſcumque Deus hominibus ſecreta quædã reuelauit ſingularia, vel ipſis inſolita raraque contulit beneficia, illos cæleſti quodam fauore quaſi extra ſe rapuerit ecſtaticos; vt liquidò patet in orbis totius Magiſtro D. Paulo: qui raptus in tertium cælum, ignorabat ipſe, vtrum anima corpus ſibi ſocium deſeruiſſet vel non, pro illo ſaltem tempore: *Siue in corpore, ſiue extra corpus, neſcio.* Sic igitur vrget argumentum: cùm igitur tanta ſit tamque ſingularis illa lux, quâ Deus illuſtrat animam, corpus, potentias & ſenſus Mariæ, tantumque gloriæ pondus; quomodo voluntatem relinquit ita liberam, intellectum adeò clarum, memoriam adeò præſentem, quietos adeò ſenſus, adeò ſedatos, vt ſibi ſit ita præſens vt reſponſum dare poſsit & conſenſum? His omnibus ſatisfacit illo: *Obumbrabit tibi.* Non me ſed ipſum audite: *Virtus non mea, non tua ſed Altiſſimi: nihil itaque mirum, ſi ſub tali vmbraculo, talis etiam à muliere ſuſtineatur amictus.* Virtus Altiſsimi obumbrabit illam, vt mulier totum poſſit ſuſtinere ſolem incombuſta. Vlteriùs, quænam eſt hæc vmbra? rara profectò humilitatis SS. Virginis exaggeratio: in eo ſcilicet, quòd Spiritus S. Virginem inſtruxerit, quòd in ſui abiectione, paruaque æſtimatione (hæc illa eſt vmbra, ab ipſo Virgini communicata) tanta caperetur altitudo, illique ſuprema matris Dei dignitas inniteretur.

D. Bern. Ser. ſup. ſignum mag. de verbis Apoc.

Hoc verbis exponamus præclariſſimis D. Gregorij Magni. Dum arca fœderis de domo transferretur Obededom ad Re-

gis Dauid palatium & arcem Sion, Dauid reiecta regali maiestate & auctoritate coram illa toto corpore, totoque animo lætus subsiliit. Illum miratur D. Gregor. & alloquitur: quænam hæc ô Dauid tua sunt studia? Principem esse & choreas ducere? Omnium Dominum & omnibus humiliorem? quæ conuentio grauitati Regiæ cum gressuum numeratione more histrionum? Reassume purpuram, tempora cinge diademate, & magnates conuoca tibi stipatores. Attende, quòd tota curia oculos suos ad arcam non reflectat, vt illos ad te deflectat tripudiantem talique distentum exercitio tuæ quàm maximè personæ repugnante. Illo tuo in pectore non nisi magnanimæ nutriuntur cogitationes, & facinora egregia brachio isto obtenta robustissimo. Ne nos verba D. Gregorij prætereant: *Quem enim non extolleret ora leonum frangere, vrsorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi: reprobato rege ad regni gubernacula vngi: timendum cunctis vno lapide Goliam sternere: à Rege proposita, extinctis Allophylis numerosa præputia reprobare: promissum tandem regnum percipere: cunctum Israëliticum populum sine vlla contradictione possidere?* Quid igitur mysterij actio illa humilitatis in se comprehendit? insigne. Aures arrige. *Coram Deo egit vilia, vel extrema: vt illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia. Quid de eius factis ab aliis sentiatur, ignoro. Ego Dauid plus saltantem stupeo quàm pugnantem. Pugnando quippe hostes subdidit: saltando autem coram Domino, semetipsum vicit.*

V. Dauid per humilitatem sua solidauit facinora.

D. Greg. L. 27. in Iob c. 26.

Præclara gesserat Dauid stratagemata, spectante toto populo Israëlitico: voluit illis coram Deo robur addere & extollere: quid egit? non ignorabat humilitatem magni fieri apud Deum, & à tota cælesti Curia; hac igitur via, seipsum scilicet humiliando, perfectionem gestis suis dare voluit insignioribus. *Quid de eius factis &c.* Lanceâ prostrauit exercitus, gladio regni sui statum confirmauit, & volubilem constanti clauo fortunam asseruit. *Vt illa ex humilitate solidaret, quæ coram hominibus gesserat fortia.*

Hæc illa virtus dignitates Virginis solidauit altissimas, illamque diuinæ coniunxit Maiestati. In his mihi fauet singulari conceptu Rupertus, aitque idem esse hodiernum ex Euangelio: *Ecce ancilla Domini*, quod olim dixerat in Canticis. *Osculetur me osculo oris sui.* Idem fuit esse ancillam, & Deum habere filium: & huic aliud adiungatur: *Osculetur me osculo; & Ecce Ancilla: nónne sunt eiusdem ponderis?* Siste gradum, Doctor egregie,

VI. Maria nobilis eligitur vt se humiliaret.

Luc. 1. Cant. 1.

RVPERT. L. 1. in Cant.

gie, nec enim vlla mihi inter hæc duo videtur conuenientia: *Osculetur me: & Ecce Ancilla:* Illud nodum inuoluit satis difficilem, & strictam admodum vnionem: hoc autem subiectionem, demissionem & seruilem dicit reuerentiam. Nullus hoc reprehendat; tanto namque Deus humilem amore prosequitur: vt profundissimam aduertens humilitatem, qualis in Maria commendabatur, statim se illi filium tradiderit: ad vnum etenim: *Ecce Ancilla,* quid sequeretur nisi vnum: *Osculetur me?* Idem comprehendunt, continent, appendunt, vnoque prædicamento concluduntur.

VI. Maria nobilis eligitur vt se humiliaret.

Singularem omnino rationem assignat eius cliens deuotissimus ac proinde magnus, magnus, inquam, Albertus, cur Deus Virginem secundùm carnem regali prosapia, & stemmate procreauerit perillustri: vt haberet nempe quo descenderet seque humiliaret: si namque mons corruat & decidat, profundiùs se demittit quàm vallis, quæ semper in humilioribus versatur, & vel parum mons potest exaltari. Nobilis sit Maria & sublimior, vt habeat vnde se demittat, & seipsam Deo submittat. Habes eum loquentem. *Beatissima Virgo fuit profundissimæ humilitatis: ergo debuit esse summæ nobilitatis, & dignitatis.* Insignis planè dignaque tantò ingenio consequentia. Et inter sexdecim rationes cur desponsata fuerit Ioseph hæc vltima producitur: quia tam strictè dignitati sociatur humilitas: si namque Virginem Deus elegit quia humilis, in matrem; primò illam despondet viro humili, operario, fabro Iosepho, licèt nobilissimo, vt sibi conueniant altum & humile, cælum & solum, domina & ancilla, mater Dei & sponsa viri abiectissimi, sortisque infimæ. *Vt matris* (sic prosequitur) *dignitas humilitati societur, vt quantò maior sit in omnibus, tantò fiat humilior, vt sit mater Dei, & vxor fabri.* Coronidem argumento præfatus imponat Doctor, tenerrimus Mariæ studiosus. Inquirit quibus occuparetur exercitiis Virgo cælestibus, quando Gabriel adfuit diuinæ nuntius gratiæ, quibus eodem momento diuinus amor ex vi efficaci per Mariam illata mouebatur? Et supposito duas esse vitas, seu alas, quibus anima volat: actiuam vnam, contemplatiuam alteram: cui ex illis se studiosa impendebat? Concludit, quod ab actiua inceperit seipsam humilians, & eodem tempore ad Deum vsque sursum ascendit. Refert autem quod dum Deus veteres Patriarchas & Prophetas cælestibus honoraret reuelationibus, illi cõtinuò se ad terram vsque prosternerent, quasi hac

VII. Idcirco etiam fabro lignario despõsatur.

ALBERTVS MARIAL. de domo Dauid.

ALB. MAG. circa: Despons. viro.

hac ceremonia se ad ampliora disponerent. Phrasis quoque est S.Scripturæ frequentior. *Cadebant in terram*; de Abraham hoc enuntiatur, quando Deus illi seminis promisit multiplicationem. *Cecidit Abraham pronus in terram.* Ezechiel spectator factus similitudinis cælestis gloriæ. *Hæc visio similitudinis gloria Domini: & vidi & cecidi in faciem meam.* Vt enim eos Deus conspexit in terram prostratos, ad digniora censuit illos assumpsitque capaciores. Hæc eius depromo verba. *Quantò magis anima eleuatur in cognitione Dei, tantò magis descendit in humiliationem sui; & sic patet quòd descensus per humilitatem non impedit ascensum per contemplationem.* Eminentissima Aquila Maria: etenim volando in cognitione diuinæ magnitudinis, & alas demittendo in humanæ cognitione infirmitatis ad cælum vsque pertingit, & ineffabili prorsus modo, ea cooperante, in vnam personam conuenit verbi, Deus cum homine, & homo cum Deo.

Gen. 17.

Ezech. 2.

Alb. *in* Maria. *circa: In quo actu erat Virgo.*

Discursus III. *Deus factus est homo, vt homines per amorem ad se traheret, quos timor inuaserat: in B. autem Virgine timor hic tollitur: idcirco legatum illi mittit Nazareth ad eius patriam.*

Archiepiscopus Rauennas & subtilitate ingenij spectatissimus Petrus Chrysologus, eloquentissimis ac solidissimis rationibus præsens assumit ore suo aurio'mo celebrandum argumentum: notatque Dei timorem sic totum occupasse priùs vniuersum, vt tota mundi machina ad rudera & integram tenderet rea destructionem. *In cælo diuinus splendor prostrauerat Angelos, in terra tonitrua & flumina corda mortaliũ quassabant.* Superbos Angelos è cælo deturbauit: & in terra, daturus populo suo legem, quem ex reliquis hominibus sibi ex amore selegerat, signa præmisit terrifica, fulgura, tonitrua, tubarum reboatum, nubiumque caliginem. *Cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura* (sic S. eloquium) *& nubes densissima operire montem*, tantoque cuncti timore percelluntur attoniti, vt gregatim Moysen ducem accesserint supplicando: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus,*

I. Timor peior morte.

D. Petr. Chrysol. *ser. 147. de Incarnatio. Sacramento.*

3. Reg. 19.

Exod. 19.

Exod. 20.

minus, ne fortè moriamur. Terret nos Dei vox, nobis per interpretem loquatur: vnde tepidus illos amor habebat, timor autem multus. *Amare non potest, qui satis timet* (prosequitur ille.) *Hinc est quòd mundus perire maluit quàm timere, pauore mors ipsa lenior:* Non ita terribilis apparet oculis nostris ipsa mors, quantumuis terribilis, vt pauor quando modum excedit, & inter alia confirmationis argumenta hanc profert historiam. Profugus & oberrans per auia & deuia timens sibi à Regina Iezabel Elias fugiebat: hæc enim in necem eius coniurauerat: vt vecors fugam iniit vnius potentioris & offensæ mulieris reformidans furorem: erat etenim vt suburra inter tot delicias & beneficia à diuina manu sibi collata ne vanæ gloriæ agitatus turbine ad ima demergeretur. Syluam ingreditur condensam, cuius arborum expansi implexique rami vmbram illi præbebant securam: hic ad vmbram se prosternit iuniperi, & animo deficiẽs supplices ad sidera palmas extollit, mortemque sibi adsciscit. *Petiuit anima sua vt moreretur.* Quis hoc non miretur, vt mortem fugiens, ipsam eodem tempore sibi mortem aduocet: non quòd mori desideret, sed quòd timeat? ex quo terminos loquendi inuertit, indicans minus inconueniens & tolerabilius mori absque formidine (etenim ex conscientia sua securus erat) quàm cum timore vitam ducere lamentabilem. *Elias ille, vbi sensit toto se timore aspergi, repetebat quam satagebat mortem, meliùs existimans morti succumbere, quàm timori.* Nec silentio prætereamus elegantiam alterius oris aurei D. Chrysostomi, qua dubium hoc obiicit & soluit. *Quid sibi vult ista quæstio? si mortem meliorem mœrore credebat, quare & patriã & populum, ne mortem incurreret, reliquit & fugit? quomodo autem mortem quam tunc fugerat, nunc requirit?* Respondet. *Vt videas hinc etiam maximè, quomodo morte peior est mœror.*

I. Timor peior morte.

D. PETR. CHRYSOL. ser. 147. de Incarnatio. Sacramento.

3. Reg. 19.

D. CHR. Ep. ad Olymp. qua incipit: Et corpora: parum post initium

Suâ igitur Deus motus bonitate & clementiâ, nolens mundum interire, humanam reiicit naturam ex tanto timore fragilem, mores immutat, antiquum inuertit ordinem, & in nouum conuertit, intenditque hominem pellicere amoris illicio. Audite D. Pet. Chrysolo. *Videns ergo Deus mundum labefactari timore, continuò agit, vt eum amore reuocet, inuitet gratiâ, charitate teneat, & constringat affectu.* Nec manu mittamus singularem hunc patrem conceptuum, & in medium proferamus eum, qui ceteris caput altiùs attollit in hac materia. Primum Christus miraculum operatus est in nuptiis in Cana Galilææ. Consideremus

D. PETR. CHRYSOL. vbi suprà.

II. Aqua mutatur in vinum & timor in amorem.

deremus (monet D. Petr. Chrysolog.) Christum pacificè & quietè mensis accumbentem hominum, & perpendamus mirabilem agendi modum quo sua patrat mirabilia, quatenus ex hoc eius primicerio quis sit agnoscatur. Et quale illud obsecro? Mutatio aquæ, quæ in nuptiis abundabat, in vinum, cuius inopiâ laborabant. Quis ignorat aquam frigidam, timorem indicare & frigiditatem? Timore mundus totus friguerat: porrò ex aduentu Dei in mundum aqua in vinum transmutata est, timor in alacritatem & amorem, ita Laurent. interpretatur in sylua: *Aqua in vinum mutata est, timor conuersus in charitatem.* Quocirca vt homines in eum credere incipiant, sicut tunc temporis discipuli: *Et crediderunt in eum discipuli eius:* quatenus eius gloria clariùs innotescat: *Et manifestauit ibi gloriam suam:* & securi sint quòd eos omni suscipiat benignitate, & sequantur illum qui priùs ab illo territi fugiebant; congruenter exordium sumit à conuersione aquæ in vinum: etenim timorem præteritum in amorem conuertit præsentem. Vnico verbo dicat hoc D. Petr. Chrysolog. *Denique vbi aqua mutauit naturam, mox patefecit auctorem.* Mutat aqua naturam suam & qualitatem imperante Christo: mutat ergo conditionem, & deliciis ac blanditiis trahit paternis eos, qui in eo tantùm Domini maiestatem attendentes timore perculsi recedebant, suique clariorem, quàm antè solebat, infundit notitiam. *Suum patefecit Auctorem.*

LAVRENT. SYLVA. *Allegor. Verbo: Aqua*

Ioan. 2.

D. PETR. CHRYSOL. *ser.* 157.

III. Deus ex humanitate honoratur.

Hinc lucem accipiunt verba illa Canticorum, quibus innuitur quòd Deus nostrâ se coronauit ac honorauit naturâ eam sibi sic vniens. *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem, in diademate quo coronauit illum mater sua.* Sic enim interpretatur illud Doctor Angelicus. *In diademate, id est, in carne, qua coronauit eum mater sua.* Et D. Gregor. Magn. *Mater Christi beata Maria esse creditur, quæ coronauit eum diademate: quia humanitatem nostram ex ea ipse assumpsit.* His addatur obsequentissimus discipulus D. Bernard. Abbas Gillebertus. *Felix caro quam sibi Christus, non quasi carcerem, sed quasi coronam assumpsit.* Caro nostra Deo fuit honoris argumentum, thiara summi Sacerdotis, & corona Regis: & concesso quòd in carnis nostræ assumptione se Verbum humiliauerit: attamen illam appellat coronam & diadema gloriæ: quia vt iam erat Deus vnum quid cum homine; honor Dei, honor erat hominis: vnde factus homo, homine se Deus coronat: & sicut ipse caput est, ex eius gloria membra participant. *Sed*

Cant. 3.

D. THOM. *opusc. 58. c. 4.*

D. GREG. *in Cant. c. 3.*

GILLEBERT. *ser. 20. in Cant.*

Isai. 53.

RVPERT. *l. 2. de operibus Spiritus S. Io. 2. c. 2.*

Sed cùm ipsa eius Incarnatio (sic D.Gregor.) *verè gloria nostra fuerit, quia membra eius sumus propter communionem corporis: diadema membrorum bene capitis scriptura prædixit.* Hoc est quod S.docet Theologia, communicationem hîc inueniri idiomatum: etenim in hoc mysterio Catholicè dicitur: Deus mortuus est, passus est, quæ proprietates sunt humanæ naturæ: & de hoc homine dicitur: immortalis est, omnipotens, æternus, infinitus: proprietates sunt hæ diuinæ conuenientes naturæ: quia sibi mutuo sua communicant prædicata, habetque Deus nouum esse quod ante non habebat, manens attamen immutabilis, nullaque facta in ipso mutatione, & naturam scilicet humanam sua priuatam hypostasi, quam diuina terminauit hypostasis; tantum autem abest, vt Deo in hac demissione & humilitate quidquam decrescat: quinimò eius amplius accrescit dominium. Vlteriùs, Christus tantùm vt Deus nouem habebat choros Angelorum in gloria sua solus residens: nunc autem singulari titulo Rex adoratur Angelorum & hominum: eo sensu explicat Rupert. illud Isaiæ? *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*, quod de Christo intelligit. *Considerauit enim vt verè sapiens quòd non paruo cum fructu deberet mori.* Quem dum Isaias infantem considerat, sic ait: *Paruulus enim natus est nobis.* Ne verò quis aliquã in Deo suspicetur iacturã, imò potiùs dignitatis eius crederet incrementum, in quantum iam quid amplius haberet & cognitionis, & amoris incentiuum: huic verbo *Paruulus* immediatè subnectit: *Multiplicabitur eius imperium.*

III. Deus ex humanitate honoratur.

Isai. 53.

RVPERT. l. 2. de operibus Spiritus S. Io. 2. c. 2.

Isai. 9.

Explicet illud nobis philosophus, quo sæcula non viderunt subtiliorem: sapientiam enim hanc illi Virgo Beatissima vtpote seruo deuotissimo infudit: nostrum intelligo Magnum Albertum: quem adducit Cardinalis Georgius, ad illa verba Psalmi 8. *Gloria & honore coronasti eum.* Agit de circulo quodam circa solem, qui dicitur *Corona solis.* Ita vt ex opinione Astrologorum planeta hic pulcherrimus coronâ cinctus esse videatur; ait ergo circulum hunc esse vaporem quendam seu exhalationem de terra exurgentem: huius circuli causa efficiens, aër est purus & clarus qui huic se vapori imprimit & inuiscerat. *Aër luminosus in ipso receptus.* Explico: sol Christus est, corona sacratissima eius humanitas, vapor diuinus, exhalatio terrestris ex purissimo Virginis illibatæ sanguine: causa efficiens, lux est & aër Spiritus S. luminosus: hanc igitur coro-

IV. D. Virgo corona est solis.

nam magnifacere potest Deus & congruè de illo cantare Psalmista: *Gloriâ & honore coronasti eum.* Et Salomon Dauidis filius: *In diademate, quo coronauit illum mater sua.* Hanc Maria inclyta coronam hodie Deo imposuit: elegantem proferamus phrasim, qua gloria & corona quoque Mediolanensium D. Ambros. illud explicat. *Hoc ipso, quòd ad omnium salutem eum concepit & peperit, coronam capiti eius æternæ pietatis imposuit.* Vt autem hoc apertiùs exponat, adiungit. *Coronauit eum, quando generauit.* Deum Virgo concepit, ergo coronauit Virgo Deum, optima consequentia: vnum ex altero sequitur: quia eum parere, & coronare, conuertuntur. Conceptum hunc magis adhuc elucidans Illustrissimus noster Cardinalis Caieta. sciscitatur: Cur Deus factus non est homo in cælo, descendens inde nostra vestitus mortalitate atque ex illa gloria venit nostra coronatus carne? An potuit hoc agere? Nemo dubitat. Cur igitur non fecit? Quia in terris degebat Maria, quæ illum erat in cælestibus suis visceribus coronatura vt ex illis egredienti fidem vt Regi legitimo homines adiurarent: idcirco vsus est Christus illo termino (sic indicante præfato Auctore) *Descendit. Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cælo.* Dicatur ergo: descendit coronandus carne nostra: quia in cælis non est illa mater cuius dignitati meritoque seruatum est tale priuilegium. Et descendat in terram: *Quod quia in terra vbi erat Mater, factum est: vtitur meritò hoc verbo, descendit,* q. d. Maria an modò non est in terra? ergo non vult Deus in gloria coronari; verior etenim est gloria, seu cælum ipso cælo empyrio, venter eius purissimus & virginalis.

Psalm. 8.

D. AMBR. *de Institut. Virg. ad Euseb. c.* 16.

CAIET *in c.* 3. *Ioan.*

Modò capio verba D. Bernardi, quæ vsque modò non leuem mihi attulerunt difficultatem. Pia mentis suæ consideratione gressus insequitur paranymphi Gabrielis cælesti fungentis legatione. Aduertit quod illos dirigat, virtutemque suam applicet (hæc etenim est Angelorum profectio) ad exiguam admodum vrbem Galilææ, famâ modicâ celebrem, nempe Nazareth: nam idcirco dixit Nathanael: *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Indicans autem D. Bernard. paruam nos de parua concipere opinionem, & in hominum oculis nullius esse æstimationis, quæ tantæ tamen coram Deo habebatur, hanc superaddit honoris auxesim. *Si nouit cælum, nouit & Nazareth.* Si Deus cognoscit magnique faciat cælum, etiam cognoscet, magnique faciet Nazareth: quia hæc in eodem video comprehendi

V. Nazareth laudatur.

Ioan. 1.

D. BERN. *serm.* 3 *de Annunt.*

hendi prædicamento. Quænam igitur (ô Doctor dulcissime) inter vtrumque conuenientia? Cælum est Angelorum habitaculum, in quo Deus aulam suam celebrat, & in cuius conspectu sunt illi qui facie ad faciem illum beati contemplantur: cælum locus est, quem suæ magnificentiæ ostendendę elegit theatrum: in quo suam electis spectandam præbet pulchritudinem, de quibus dicitur: *Regem in decore suo videbunt:* quid plura? gloria est, & *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Isai. 33.

V. Nazareth laudatur.

Nazareth, si quidem ciuitas: quia eam incolunt mortales, pagus est rusticorum; quomodo pari pede progrediuntur, vt dicas & verum dicas: quod si *Nouit cælum, nouit & Nazareth.* Iam manifesta redditur solutio. In Nazareth an non moratur Maria? an non patria est huius eminentissimæ Reginæ? Hoc igitur sufficit, vt melior sit cælo Nazareth, capacitate maior & aptior, vt in illa patefaciat Deus quis sit: vnde non in cælo se coronat: locus etenim est nimis angustus, spatium nimis breue: bene quidem in visceribus Mariæ: quod spatium locusque est sufficiens, satisque amplus: dicatur ergo si: *Nouit cælum, nouit & Nazareth.* Per hoc titulo respondeo nostri discursus: Sicut enim in Maria & per Mariam se Deus homini adeò contemperauit, idcirco adest Angelus turbatam Virginem à timore recreans: *Ne timeas Maria.* O Domina, in te metus aufertur, per te mortales discunt non pauere, iam Deum non audiens tonantem, sed gementem, non spicula vibrantem furoris sed amoris sagittas ardentissimi.

Ioan. 1.

D. Bern. serm. 3 de Annunt.

O ter maxima Regina, tibi plurima debet humanum genus, hodie debito constringitur quod nullam patitur solutionẽ: seruus tibi sit homo obstrictissimus, vtpote de manu tua factus excelsus & de humanæ suæ naturæ vilitate ad diuinam sublimatus celsitudinem: etenim ad verba tua feruentissima, linguam dulcissimam, efficacem consensum, tuum *Fiat* omnipotens, homo ad esse diuinum extollitur, & Deus ipse licèt à sua non decrescens magnitudine, ad humanam tamen humiliatur per carnem suam abiectionem: de qua quia decus & ornamentum est Mariæ, sibi vestem consuit, & hæc inferiora gloriæ Rex ingreditur.

Discursus IV. *Tantum Angelus venit ad Virginem: Virgines enim Angeli sunt, & cum illis ipsarum sit conuersatio. Tractamus de solitudine mulierum, quæ columna est virtutis earum coram Deo, & auctoritatis coram hominibus: in quibus, sicut in omnibus purissima Virgo magistra præcelluit.*

VIrgines & castè viuentes hoc nomine & titulo hominum nemo recenseat; ab hac eas regula excipio: superiores etenim tota humana natura illas censeo: non illas seruos considero vt filios Adam, sed dominos, in Angelos transformantur, atque vt tales possunt & debent cum gaudio terrena omnia, & cum creaturis conuersationem, quibus à Deo diuertuntur, aspernari. Excellentissimæ Ducissæ Toscaniæ Beatrici piissimæ Dominæ; cuius maritus Dux illustrissimus, & ipsa quoque, pari consensu continentiam obseruabant, in carne sine carnis inclinatione viuentes; litteras dedit S. Petrus Damianus Cardinalis & Episcopus Ostiensis: aitque: Hoc mihi est exploratum, quod antea, quamuis Ducissa, famula fueris & seruitutis iugo pressa, nunc autem cultrix castitatis, domina sis, & ita familiæ tuæ caput, ac Dux ipse tuus maritus. Hanc Sanctus adducit historiam, quàm egregiè expendit. Differebat Abraham quamuis sæpe à Sara vxore rogatus, de domo sua Ismaelem exturbare: tam enim erat illi proprius filius ac Isaac: Deus autem vt hanc notauit dilationem ait Abrahæ: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Quærit Damianus: Quid hoc Domine? an in hac familia fortasse duo præsunt capita? duo sunt qui præcipiunt? hoc enim non paruam pariet confusionem. Ordinarium est & decens vt maritus imperet. *Caput mulieris vir*: vt mulier obediat: hic ordo communis inuertatur, & Abrahæ Deus præcipit, vt Saræ mandatum exequatur. Respondet, Sara iam castitatem colebat, vt euidenter colligitur ex verbis eius, quibus Angelo filium illi semenque promittenti respondebat. *Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Mulieri igitur (inquit Deus) quę se à licito quidem concubitu continet, seruatque continentiam, ipse maritus, qui ex iure vt caput imperat, de facto in cunctis obediat: propter hanc etenim virtutem à communibus strictisque regulis excipitur. Do eius verba. *Ecce cui prius Abraham imperauerat, & Domi-*

I. Sara quia castè viuebat, imperat Abrahæ.

Gen. 21.

Pet. Damian. l. 7. Epist. 14.

Dominus dicebatur : iam illi per castitatis meritum obedire præcipitur, vt eius verbis iam in cunctis obediat, qui sibi prius tanquam Dominus imperauerat.

II. Similiter Ioseph castitatem seruans, Dominus est.

D. Ambros. clarissimum Ecclesiæ lumen agens de continuo fortique impetu quo robustos castitatis Iosephi parietes quatiebat suis persuasionibus indefessa pellex vxor Domini illius scortum impudicissimum, in responsione quâ pellicem à se repulit, ait S. Eloquium. *Et dixit ad eam.* Vel vt ipse legit: *Et dixit vxori Domini sui*; graue reperit in hac loquendi forma mysterium: satius fuisset, & compendiosius dicere : respondit Dominæ suæ, quandoquidem talis ipsa erat, quàm non *Vxori Domini sui.* Nequaquam (ait D. Ambros.) quamuis enim ex fortuna superiorem ipsa teneret locum & Ioseph inferiorem : impudicitia tamen illam ita depresserat, & Iosephum castitas exaltauerat : vt hic existens seruus, Dominus esset quia pudicus: ipsa verò famula, quia impudica. Nefas est nostra proferre verba, cùm D. Ambros. habeamus loquentem : *Rectè vxor Domini, non ipsa Domina dicitur, quæ non potuit extorquere, quod voluit imperare : nam quomodo Domina, quæ dominandi non habebat affectum, quæ disciplinam Dominæ non tenebat, quæ seruulis libidinis incentiua præstabat? ille Dominus, qui amantis non accepit faces, qui lenocinantis vincula non sensit, quem nulla mortis formido perterruit, qui maluit liber criminis mori, quàm potentiæ criminosæ eligere consortium.*

D. Ambr. L. de S. Ioseph c. 5.

Virgo ita Domina est totaque nostra humana natura superior, vt notanter & eleganter dixerit D. Hieron. Illud explicans quod Dominus præcepit Oseæ, vt non tantùm verbis ambiret amasiùs, sed reipsa (modus hic est quo solitus erat suam Israëli declarare voluntatem) mulierem nonariam, lupam, matrem fornicationis assumeret in vxorem: notatur hîc perampla Dei misericordia, & noxia sollicitudo, quâ animas inquirit peccatrices : & ait : *Homo cùm vxorem acceperit, de virgine mulierem facit, id est non virginem. Deus meretricibus copulatus eas mutat in virgines.* Hoc vltimum apprimè capio : adeò namque potens & efficax diuina creditur potentia, medicinæ eius adeò fortes, manus illius adeò sapientes ; vt infirmus illis traditus de recuperanda citiùs sua valetudine fit securus ; in ictu oculi Magdalenam omnis luxuriæ receptaculum, ipsis cælis reddidit sua virtute puriorem.

D. Hier. In c. 2. Ose.

III. Virginum gloria.

In primo mihi mouetur dubium, quod dicat D. Hieron. *Homo cùm vxorem acceperit de virgine mulierem facit.* Quid hoc ô Doctor maxime : an ergo puella

puella non est mulier? Asserit non esse: castitas enim eam loco statuit eminentiori: huius patitur iacturam per matrimonium: & ea quæ priùs persona censebatur Angelica, conuertitur in humanam. Illa cuius erat cum spiritibus purpura, & polymitis indutis conuersatio, suam demittit dignitatem, inter homines amictu vilescens rudiori. Angelus erat, qui gradus est immediatus homineque superior. Exemplum habemus ex Philosophia. Incalescere ita potest aqua, & ferrum ad gradum ignis inflammescere, qualiter illud conspicimus eductum de fornace, vt qualitatibus informetur ignis, & vt ille adurat, incendat, manibus resistat quæ temerariæ illud præsumunt attingere, quamuis in essentia sua & substantia ignis non sit. Vir siue mulier est quoad naturam Virgo: sed sicut per hanc virtutem fornacem ignis ingreditur Angelici: *Ministros tuos ignem vrentem*, ita proprietates induit Angelicas, & similis fit puris illis substantiis. Quòd si hoc verum non sit: quid aliud obsecro, nobis indicat quod D. Ambros. refert, de quadam Virgine, quam cùm parentes inuitam vellent dare viro in vxorem, festinà cucurrit ad Ecclesiam, & accedens ad altare manibus Aram sanctam apprehendit. Quâ temeritate præsumis illud attingere, vbi Seraphini contremiscunt, quodque tantum intuiti de longè pauidi accedunt? Quâ auctoritate manus extendis ad sacrarium, in quo fixa cruce Christus offertur sacrificium incruentum? Ne illam (precatur D. Ambros.) in proposito turbaueris: nec enim est temeraria præsumptio, non cæca audacia, non iniusta arrogantia, nec inflata superbia, quam reprehendas: hic etenim locus illi proprius est debitusque Virginibus.

Ps. 103.

Ad cuius vlteriorem confirmationem, attende quod D. Clemens Romanus virgines inscribat: *Altare Dei*. Et Optatus Mileuitanus describens altare, sic ait: *Quid est altare, nisi sedes corporis & sanguinis Christi?* Et Isidorus Hispaniæ Doctor: *Altare, id est, alta ara.* Hoc concesso, proferamus modò D. Ambros. *Quò enim meliùs virgo recurreret, quàm vbi sacrarium virginitatis offertur? Nec is quidem finis audaciæ. Stabat ad aram Dei, pudoris hostia, victima castitatis: nunc capiti dexteram Sacerdotis imponens, precem poscens, nunc iustæ impatiens moræ ac summum altari subiectans verticem.* Veni ô Virgo, veni ô beata te oblatura: si namque tu ipsa sis sacrificium, victima & holocaustum, hostia diuinis oculis accepta, si corpus tuum templum est, cor tuum ara, intra in templum, acce-

CLEMENS ROMAN. L. 6. Constit. Apostol.
OPTAT. MILEVIT.
ISIDOR. Etymol.
D. AMBR. L. 1. de Virgine in fine.

accede ad altare, aram contingenec sistas donec ad sacrarium perueneris in quo Deus requiescit.

IV. *Vnde nouerint Angeli nomen Saræ.* Si igitur Angeli sint, suadet æquitas vt illi soli cognoscant & sciant, vbi viuant Virgines: quandoquidem ex eorum tantùm conuersatione, & secessu à creaturis, thesaurus hic pretiosus conseruetur illibatus. Conuenit ingenio D. Chrysost. subtilis hæc annotatio. Dum è mensa assurgunt iam pasti tres illi Angeli quos Abraham vt peregrinos lautiùs exceperat, vt se Patriarchæ manifestarent eosque ipse agnosceret: ab eo percunctantur: *Vbi est Sara vxor tua?* (Gen. 18.) Proprio eam nomine vocarunt, vt inde pateret eos esse gloriæ cælestis incolas. An ergo audiendo tantùm, quod mulierem proprio nomine vocarent, sufficiens habebat argumentum ex quo cognoscerentur vt cælicolæ? Vtique: quia Sara tantopere solitudinem affectabat, & à tam paucis cognoscebatur; ex quo sapientissimam formauit illationem. Peregrinus qui domum meam ingreditur, & vxoris meæ nomen perspectum habet, quis credat eum esse hominem? Angelus est, non dubito: *Statim per interrogationem indicauit ei, quòd non esset ex vulgaribus aliquis: quandoquidem & mulieris illius nomen sciuit.* (D. Chr. Ho. 41. in Gen.) Euidens est hoc argumentum, quòd ille qui Saræ nouit titulum, cælestis sit oportet Angelus: etenim ipsa solo suo secessu cum illis continuò conuersatur.

Accurrit Magdalena vocata à Christo Bethaniæ, vbi Lazarum à mortuis excitauit, dicente illi sorore sua Martha: *Magister adest & vocat te.* (Ioan. 11.) Accedit igitur ad Redemptorem nostrum eiusque pedibus amore flagrans ardentissimo prouoluitur, quasi iam in centro suo requiesceret. *Maria ergo cùm venisset vbi erat Jesus, cecidit ad pedes eius.* Illustrissimus Caietan. decus Ordinis nostri, curiosè satis animaduertit: Quomodo (inquit) ô Magdalena Christo affectuosissima, Seraphina flagrantissima: tu quæ eius videndi moreris desiderio, non illum à longè conspicis pronaque adoras? Quid moraris vsque dum propinqua eius conspectui oblata accedas? (V. *Marthæ in oculis modestia cõmendatur.*) A longè decebat humilem exhibere reuerentiam supremæ suauissimi illius magistri celsitudini, cùm te tam feruentem iactes eius discipulam: nam & ipse Iacob quàm primùm à longè conspexit venientem fratrem suum Esau, septies in terram vsque pronus fratrem adorauit. *Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius.* (Gen. 33.) Quænam est hæc, arguenda tarditas? Respondet Caietan. (Caietan. in c. 11. Ioan.) Tam demissis oculis Maria venit vsque ad locum,

cum, vbi erat Iesus, vt non nisi proxima illi viderit eum. Rara profectio eius solitudinis commendatio; vt oculos non haberet quibus Deum ipsum intueretur, vbi illam possent homines intueri, sed tantùm illos in terram defigebat. Quænam mala non orta sunt ex prætensis mulierum egressibus, animæ earum nociua & auctoritati? Quænam lapsa est solitaria? quæ se lucrata gyrouaga? *In lateribus domus tuæ*, describit Psalmista castissimam mulierem, conspectæ etenim occasionem frequenter prębent ruinarum obtutibus leuioribus, & appetitibus parum refrænatis.

Ps.12.

Iam eminentissimam nostram repeto Reginam Mariam: etenim ad eius habitaculum soli conueniunt Angeli, & non sit quin mihi dicat quòd ipsam recognoscerent vt superiorem & Dominam suam, etiam antequam mater esset Dei, ob solam virginalem pudicitiam, quæ in ipsa illos Mariæ subiiciebat: quin imò Bern. hoc asserit, de incorruptione corporis Redemptoris nostri in sepulchro per Dauidem prænuntiata. *Non dabis sanctum tuum vide corruptionem*; quamuis fide Catholica teneamur confiteri principalem fuisse eius rationem, quia illi erat vnita diuinitas; hæc etenim nec corpus deseruit, nec animam; quamuis anima & corpus in morte diuisa sint: porrò D. Bern. solita sibi pietate adiungit, quòd formato hoc sacratissimo corpore in castissimis Virginis Mariæ visceribus ex carne adeò sanctificata consequenter sequeretur incorruptibilitas. Ipsum audio loquentem: *Perdat sanè fœnum viriditatem, si Maria virginitatem amiserit.* q.d. An Christus filius non est purissimæ Virginis? Ergo pœnam euadet *Incinerationis*, quod Theologus explicat, non conuertetur in cinerem: lilium illud non videbimus in sepulchro emarcidum, nec communem subire hominum sortem, quandoquidem mater ceterarum mulierum sortem virginitate sua superauerit.

Ps.15.
VI.
Caro Christi non cōputruit quia de Virgine nata erat.

D.BERN. Ser.35. in Cant.

Iam ô Christiane, non habet Deus ampliùs quod agat: extremum exeruit potentiæ, sapientiam suam exposuit, cataractæ cæli apertæ sunt, & descendens vt imber sese in Maria conclusit, gratia & quidem tanta cumulata vt ex sua posit abundantia totam irrigare creaturam. Hoc mihi dixit Chrysol. *Gratia plenam, & verè plenam, quæ largo imbre totam funderet & infunderet creaturam.* Illi accinamus illud quod Rex Abimelech & eius optimates dixerunt Isaac: *Vidimus tecum esse Dominum, & idcircò nos diximus, sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus.* Amicitiæ fœdera iungamus:

D.P.CHR. Ser.142.

Gen.6.

mus: quandoquidem illis sancitis cum homine illo, cum quo perspicuum nobis est esse Dominum, tantum regno meo bonum salusque proueniat. Hodie ô Domina, fatemur omnes & videmus, tecum esse Dominum. *Dominus tecum, ineamus fœdus.* Inter cælestes illas manus capitulationes statutaque pacis perpetuæ conscribamus: quandoquidem in illis pax nostra comprehendatur. *Ipse est pax nostra:* quo gratiam eius anima sibi conciliat & gloriam: *Quam mihi & vobis* &c.

Additus. Discursus V. *Ex eo quòd Deus hominem ex infimo creare cœperit elemento, non tantùm se velut bonum communicauit, sed etiam oppignorauit futurum se hominem: etenim incipiens conferre beneficia, ex vno se obligat ad aliud, nec sistit donec tradat seipsum.*

MAris ingredimur abyssum: tam eius quod Deus in gratiam hominis præstitit, quàm eius quod Maria hodie recipit, dum Deum castissimis suis excipit visceribus. Vela contrahamus, quando & ipse Deus immensus se contrahit in cælestis mulieris purissimis visceribus: resistere modò non valens eius humilitati, obedientiæ & fidei: (hæc enim omnia relucent in Euangelio) mari portas apposuit, mysterium quod admiratus est Iob: *Quis conclusit ostiis mare?* Iob 38. Mysterium hoc consilium est sæculorum quod in hunc effectum SS. decreuit Trinitas, prorsus incomprehensibile, cõmercium est valde familiare & pacificum inter Deum & hominem, cùm vnus tantum distet ab altero, quantum Deus à creatura, & esse per essentiam ab ipso nihil. *Quis penetrabit mysterium sæculorum, gratiarum abyssum, partum Virginis, consilium Trinitatis, incomprehensibile Dei & hominis commercium.* Ita Ioann. Carthus. ad illud Canticorum: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi:* contemplatus gaudium quo perfusus paranymphus Gabriel reuertitur audito *Fiat* & habito consensu à suprema omnium Regina, in cuius conspectu aderat expectans responsum, eamque humiliter reuerebatur, reuertitur, inquam, ad cælestes illos spiritus summo illos replens stupore. *Optato Virginis responso lætabundus Angelus Domini sedes subierat æthereas, vt totus festinus tantæ nouitatis gaudia cælestibus superiorum choris inueheret.* Addit doctissimus pariter & piissimus Auctor: Si attendas angustias vteri locumq; à Deo electum, angustus nimis eius celsitudini reperitur: verum si magnitudinem quam illi tribuit, inspexeris, conuenientem

I. Incarnatio maximum mysterium.

IOAN. Pie. Carthus. in Cant. 1.

tem suæ celsitudini illum creauit, vt eleganter asseruit Abbas Gaugericus. *Si attendas angustias vteri: locus angustus est; si latitudinem cordis: thronus grandis est.* Exponens insignem & mirandum Salomonis thronum de Maria semper Virgine.

GAVGER Ser. 3. Annunt.

II. Deus hominé creans pignus dedit nostræ felicitatis.

Dicam vlteriùs nedum voluit Deus summum vtique bonum, cui proprium est diffundere se & communicare, hominem in lucem producere creaturam adeò illustrem, sed vlteriùs progredi, & in eius creatione pignus nobis tribuere felicitatis nostræ, & maximi omnium operis Dei, quo brachium suum extendit, & dexteram suam glorificauit. Exordiar cum insigni Tertulliani sententia: quâ probabimus quòd Deus incipiens bona sua beneficus elargiri, numquam desistat, illaque non cohibeat ne fluant: imò perpetuo illa fluxu prosequatur. Expendit igitur Doctor Africanus Deum tenentem manu sua lutum, & corpus primi hominis delineantem, beatum ex tam frequenti contactu Dei, & contemplatus quòd qui terram inter manus voluat bene pinsam, necesse sit illa ei conglutinetur, ex illo tam claro antecedenti certam infert consequentiam. Numquid Deus lutum voluit pinsitque manibus? ne dubites, tempus erit, quo materiale lutum illud in ipso, sic nostro adhęrebit, vt nũquam ab eo sit separandum, sicut in vinculo Incarnationis fides nostra confitetur. *Quod semel assumpsit, nũquam dimisit.* Audiamus Tertullianum: *Iam tunc limus ille imaginem induens Christi futuri in carnem, non tantùm Dei opus erat, sed pignus.* Opus & pignus eleganter nominat massam illam limi. Opus, quia Deus in illo operabatur: pignus, quia in illo opus aliud longè præstantius pollicebatur. Quòd si à Tertulliano quæras: vnde hæc colligitur consequentia? Respondebit, ex liberali adeò & effusa Dei natura: ex vno quippe beneficio sperandum est aliud & aliud, vsque ad eorum complementum, & quod tunc sistet, dum hoc modo se communicauerit absque vllo voluntatis nostræ termino.

TERTVLL. de Resur. rect. carn. c. 6.

Præterea Deus contulerat beneficia beatissimo illi Patriarchę Abraham, quem sibi elegerat in protoparentem suum secundum carnem. Citat illum ad se, & quem hactenùs vocauerat *Abram*, vult vt amodo vocetur *Abraham*, id est, Pater multarum gentium (sicut reipsa fuit omnium fidelium, nam ex fide dicuntur fideles) additque litteram vnam, quam si velint non esse, saltem nota erit aspirationis: *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te.* Nec hoc illi sufficit viri mu-

III. Deus Abrahæ multa confert beneficia.

Gen. 17.

mutasse nomen, quin & vxoris nomen commutet, Sarai in Sara: *Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.* Adest D. Chrysost. & quasi Dei nomine locutus sic Patriarcham alloquitur: *Quemadmodum* (inquit) *nomine imposito significaui, quod pater sis futurus multarum gentium: ita & vxori tuæ similiter appono litteram: quia nunc tempus adest vt olim à me promissa compleantur.* Quia nomen tuum mutaui, muto pariter & vxoris tuæ. Hæreamus hîc & Deum sic alloquamur: Domine, quod sancto illi, amico tuo & ad tantam gloriam electo inter reliquos homines, titulos adscribas nouos, veteribus non contentus, mihi perplacet: quòd autem vxoris nomen immutetur, non capio mysterium. Quid refert quod Sarai vocetur vel Sara? Attendamus: nam in eo quòd proposito dubio respondet D. Chrysost. nodum soluit quæstionis, si sententiæ illius profunda perscrutemur: sicut marito nomen mutatum est, ita quoque vxoris. Sed vnde hoc colligis D. Chrysostome? Ex eo quòd Deus numquam simplicia conferat beneficia, sed duplicia sunt eius beneficia, atque ex vno speratur alterum, & in honore quo virum afficit, se oppignorat, vt eundem vxori tribuat. Cui aliam subnectit sententiam, quâ subtiliter conceptum hunc expendit: *Idcircò priùs litteram adieci: vt scias quod omnino fient, quæ à me dicta sunt.* Ideò multiplico litteras, quatenùs tibi constet, quòd verbo meo tibi dato stabo fidelis, tuisque oculis ipse conspicies gloriam bonamq; sortem quam tibi polliceor: quasi clariùs diceret: hoc vnicè desiderat Abraham, nempe certò scire quòd Deus illi loquatur, tantumque illi donum promittat: & in nullo alio hoc euidentiùs patebit, quàm in multiplicatione beneficiorum: quocirca litteras addit, vnum & alterum adauget, quo constabit hanc eius esse consuetudinem & naturam, præcedentibus donis futura & posteriora oppignorare.

D. CHRYS. Ho. 40. in Gen.

IV. De nominis vtriusque mutatione.

Hoc optimè capiet illustrissimus illius nepos Iacob in illa celebri lucta, quâ cum Deo decertauit, qui erumpente luce sua clarissima aurora nocturnis impedita tenebris, sic eum deprecatur: *Dimitte me: iam enim ascendit aurora:* vt liberum abire permitteret, brachiisque suis absolueret: cui sic Iacob fortis robore, & fiduciâ plenus: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Domine, nihil de hoc agamus, donec ipse mihi benedixeris: q. d. nisi teipsum tradideris. A lucidissimo Græciæ sole D. Chrysostomo non deflectamus, habebimus quod ex illo discamus. Animum perpendit Patriarchæ, qui se manu ad manum

Gen. 32.

V. Iacob cur dixerit: Non dimittam te.

num viriliter creatori suo opponit, & petitioni illi: *Dimitte me*, respondet: *Non dimittam te.* Quærit autem vnde tam nobile cor animusque Iacob? quæ tanta mouit illum ratio, vt vires suas extollere præsumeret, quæ nihil sunt in conspectu æternæ essentiæ? Respondet: *Sentiens igitur iustus magnitudinem virtutis eius, qui hæc sibi dixerat, dixit: Non dimittam te nisi benedixeris mihi.* Mysterium explico. Callebat clarissimè Iacob omnipotentiam ac dignitatem Domini illius sui in lucta antagonistæ: quocirca huic confidens, animum erigit vt hæc illi viriliter respondeat. Huius rationis vires non capio. Quinimò coram diuina potestate ipsa humana fragilitas animum deiicere, & deprimere debuisset iactantiam homo coram Deo: & considerata tanta maiestate quòd se victum non tradat, quis non obstupescit? Dum Angeli Prophetę mysteria reuelant vt patet in Ezechiele & Daniele & aliis: necesse fuit illis vires addere: quia in conspectu tantæ lucis quasi mortui corruebant: quinimò vates Euãgelicus in casu quodam sibi ostenso, sic ait: *Corrui cùm audirem, conturbatus sum cùm viderem* &c. Fierine potest vt ex eo perturbetur ex quo Iacob capit fiduciam? ille mortem, hic vitam? ille corruat exanimis, hic fortiùs roboretur? Responsum D. Chrysostom. repetamus, qui in hac materia tantum duxit, quantum dici potuit: *Magna consecutus sum, & quæ suprà meam sunt dignitatem, & non priùs relinquam te donec benedictionem à te accipiam.* Domine, inquit Deo Patriarcha, non vulgaribus me præuenisti misericordiis, intellectum meum & gratitudinem longè superant: sed cùm eò vsque fauor non ascenderit, vt teipsum in munus mihi largireris; hoc enim exopto: ex præterito spes accrescit, tantumque abest vt in petitione mea deferueam, quinimò ex receptis donis animum ad alia confirmo, donec vltimum accipiam: tua quippe me non latet natura, cui hoc proprium est ex muneribus quibus nos cumulas, te ad ampliora danda constringere: *Magna consecutus sum.*

D. CHRYS. Hom. 58. in Gen.

Isai. 21.

VI. Ex vno beneficio sequitur aliud.

Ps 36.

Nota.

Duo Christus instituit conuiuia sequacibus suis: prius describit D. Ioannes, posterius D. Marcus: in illo quinque millia virorum quinque panibus saturauit: *Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia:* in hoc quatuor quasi millia. Miraculum hoc attentè perpendit Albertus Magnus, & grauiter sic ait: *Iterũ notat Euangelista quòd antè fecerat miraculum de refectione quinque panum in quinque millia hominum: & ideò addit hîc iterum.* Supponit iam nos scire & aliud conuiuium à Saluatore præparatum,

Ioan. 6. Marc. 8.

ALBERT. MAGN. in Marc. c. 8.

VII. Et ex vno conuiuio aliud.

ratum, narrante historiam alio Euangelistâ: ergo & aliud instruere tenebatur. Expendamus causalem hanc vocem: *Et ideo addidit.* Dicerem ego: quòd Christus liberali manu conuiuium opiparum instruxerit: hinc ego magnificentiam eius colligo omnipotentem, quâ pariter nos erudit, se nec in temporalibus sibi seruientibus deesse; iuxta Dauidis oraculum: *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem:* Sed causam assignare liberalitatis, quod alibi talis fuerit, nescio quâ consequentia hoc inferatur. Notemus ergo profundam & claram eius responsionem qui lector Angelico Doctori D. Thomæ prælegit: *Deus enim diues in misericordia non deficit, nec finem ponit in beneficiis, sed semper influit, & effluit.* Valde bene vnum ex altero colligitur: quia Deus diues est in misericordiis, & expansus largusque in beneficiis: in benefaciendo non se cohibet, numquam deficit, non statuit eis terminos: quocirca cùm semel tribuerit, & iterum tribuere oportet: hanc eius naturam agnosco. *Nec finem ponit in beneficiis.*

Ps. 36.

Nota.

Occurrit nobis elegantissimus nostri Cardinal. Caietani conceptus circa institutionem SS. Sacramenti. Consecrauit Christus separatim corpus suum & sanguinem: illud statuens sub specie panis, hunc verò sub specie vini. Hæret igitur in verbo illo D. Lucæ: *Hic est sanguis meus, qui pro vobis fundetur:* & ait: *Sicut enim inceperat dare corpus, ita etiam inceperat fundi sanguis.* Sicut dederat corpus suum: *Accipite & comedite: Hoc est corpus meum:* ita dare voluit sanguinem suum. Difficultas hæc est: quare, si in corpore quod transsubstantiauit quia viuum, sanguis erat, voluit, sanguinem dare separatim? Et si in sanguine viuo huius corpus erat, vel satis illi esset illud tribuere, cui seruit hæc diuisio, vel distincta consecratio? Iam mihi responsio liquet ex illis verbis Caietani: *Sicut inceperat &c.* Inceperat tradere corpus suum SS. in illo non patebat sanguis exteriùs: æquum igitur est vt hic separatim tribuatur: si namque hoc non fiat, cùm Apostolorum oculi, & postmodum nostri non nisi vnam viderent consecrationem, simplex & vnicum tantùm caperent esse beneficium: & cùm Deus numquam simplicia det beneficia, sed duplicata, duplicetur beneficium: nam in vno sese obstringit, vt alterum accipiatur.

Luc. 22.

Caietan.

VIII. Christus cur separatim corpus & sanguinem suum dederit.

Conceptum hunc illustrant elegantissima D. Hilarij verba: qui ex eo quòd Deus Israëlitis præstitit, concludit id quod nobiscum est acturus. Longum recenset Dauid catalogum dono- Ps. 67.

rum, quibus Deus cumulauit populum Israëliticum: modò maris rubri cohibens aquas; modò demergens fluctibus Ægyptios: quo præfiguratur Baptismus, in quo cuncta absorbentur peccata: nunc de cælo depluens Manna, panem Angelorum, SS. Altaris Sacramentum: iam legem promulgans post quinquagesimum diem egressionis de Ægypto; aduentum hîc noto Spiritus S. totidem elapsis diebus cùm iam à mortuis Christus resurrexisset &c. Tandem sic ait: *Hoc ideo, vt cùm illa quæ legis sunt, gessit, in his quoque quæ Euangeliorum sunt præformasse videatur, estq; idem largitor eius qui de cælis est panis qui in Sina Manna fuerat indultor.* Hunc agendi modum Deus vsque in hodiernum diem obseruauit: in hoc enim maximo opere sua omnia coronauit, seque ita coronauit: cùm enim sit cõplementum, Dauid opus hoc studia appellauit, vt bene notat Card. noster Thomas Georgius: ad illa verba Psalmi: *Annuntiate inter gentes studia eius.* Et asserit per studia nostram intelligi redemptionem, quæ hodie incipit. *Per studia intelliguntur operationes humanæ reparationis:* ratio verò tituli huius triplex est: studere namque Angelis non conuenit: quia simplici intuitu omnia cognoscunt; sed homini quem Deus redemit:

IX. Beneficia veteris legis pignora sunt nouæ.

D. HILAR in Ps. 67.

Ps. 9.

THOM. GEORG. ibid.

X. Studia Dei nostra fuit redemptio.

Studere est propria operatio hominis, non Angeli: & ideo quia operationes pertinentes ad reparationem nostram Deus in natura humana exercuit, meritò dicuntur studia eius. Vel quia quæ studio sciuntur, paulatim addiscuntur: & Deus plenitudinem temporis expectauit, alia tempora prætergrediens. *Quia quæ studio fiunt, non subitò, sed cum mora temporis.* Vel *quia subtilius est quod studetur:* nam licet in Deo hoc locum non habeat, loquimur tamen modo humano. Et ita subtiliter addit præfatus Cardinalis: quòd hîc Deus se coronauerit: aduertens quod in Psal. 5. *Verba mea auribus percipe Domine:* in quo Dauid Incarnationem postulat filij Dei, in secundo versu illum appellet: *Deus meus & Rex meus.* Cùm autem Deus ab æterno Rex sit, dubitabit aliquis cur hîc magis quàm alibi hunc illi titulum adscribat? Et vnico verbo respondet. Primum: sicut enim ab eo reposcit vt humanam assumat naturam, & Regem ex eadem specie esse conueniat cum illis quibus imperat, illum inscribit Regem. *Rex debet esse de genere illorum quibus principatur.* Secundum: casui proposito respondet. *Per Regem intelligitur filius secundum naturam assumptam.* Si Deus hac naturâ suâ coronet prærogatiuas, & hoc modo se hominibus exhibendo opera illius

Ps. 5.

XI. Cur Rex dicatur & Deus meus.

lius in plenitudine donorum perfecta sint: dicatur, dum carnem nostram induit, quòd Princeps sit & Rex.

Dicamus pariter quòd in suprema omnium Regina Maria diuinæ coronentur misericordiæ: atque inter has cæteris præclarior eminet hodierna: hic dies eius est, & gloriæ nostræ. Virginem audiamus qualiter in Canticis hoc exponat, cuius verba piissimus eius cliens S. Amedeus interpretatur. *Quis mihi det te fratrem meum, vt inueniam te foris & deosculer te, & iam me nemo despiciat.* Quis hoc mihi concedat, Deus meus, vt te contempler factum iam fratrem meum, & quem culpa hamana abstraxerat, te brachiis meis amplectar. Præstat eius proferre verba: *Inueniam te foris in luce, qui es secretum Patris: inueniam te apparentem in carne qui lates in inuisibili maiestate: inueniam te sponsum procedentem de thalamo, qui in ventre virginali conceptus es de Spiritu S. & deosculer te vnita tibi in perceptione carnis tuæ & sanguinis: & iam me nemo despiciat: non Deus Pater videns proprium filium incarnatum: non Angelus sanctus adorans Deum hominem factum; non superbus dæmon dolens se à Christo superatum,* suamque euersam tyrannidem. Attamen inter omnia humana gaudia, maior tibi pars cedit ô serenissima Imperatrix Maria, dum Maiestas tua diuina tribuit nostræ principium felicitati & gloriæ securitatem.

D. AMED. Hom. 1. de laud. B. Virg. Cant. 8. 1.

XII. Desiderium B. Virginis pro Incarnatione.



IN VISITATIONE
B. VIRGINIS,
MATRIS DEI AC DOMIMÆ NOSTRÆ; EXPOSITO VENERABILI SACRAMENTO.

THEMA.

Exurgens Maria, Luc. 1.

THEMA.

Caro mea verè est cibus Ioan. 6.

SALVTATIO.



Bsqve superba præsumptione, sed cum humili potiùs submissione quamuis fiduciali, mihi persuadeo, hodie discursus mei me confirmaturum rationem: quandoquidem accedam duplici corroboratus fisusque gratia prædicaturus. Nec mirum est hoc aut multum: vt multiplicatâ gratiâ, multiplicetur deturque animæ meæ pusillanimi confortatio: tantaque lux (veriùs dixero) sphęra ignea, per totam circumferentiam, à centro vbi splendet, radios euibrans, ab obscuro meo tenebras detergat intellectu. Festum celebramus diem primæ Christi visitationi: quâ priusquam descenderet de ferculo virgineo primo succurrit Sanctorum, cognato suo Ioanni: quo inter natos de muliere maior nemo surrexit. Omnes consentiunt nomen eius significare gratiam: & cùm Venerabilis Eucharistia idem sit quod *Bona gratia*, congruenter dixi, cum duplici me exordiri gratia. Optimè quadrat illi quod Moysi Dominus præcepit, vt in templo statueretur mensa panum propositionis, & illi vicinùm adesset candelabrum aureum septem instru-

ſtructum lucernis, quaſi illis panes manifeſtans, & intrantibus, ſuæ lucis radiis viam colluſtrãs. Hodie in ſacra video menſa, in altari huius Eccleſiæ in illa hoſtia vitæ panem propoſitionis, qui prodit in publicum, omniũ oculis expoſitus; qui venit in patena aurea ſicut antiqui panes ſinguli ſuis imponebantur patenis aureis; In caſtiſſimis viſceribus, quæ Arnoldus Carnoten. vocat Arcam, quæ manna referat expoſitum, quo cuncti illo gaudeant: *Manna & ſine vmbra propitiatorium palam expoſitum*: etiam eſt candelabrum, lucetque ſplendidiſſima illa fax D. Ioannes Baptiſta. *Ille erat lucerna ardens & lucens*: qui nunc agnum illum diuinum ſaltibus indicat exultabundus, & poſtmodum indice digito demonſtrabit: *Ecce Agnus Dei*: nobis indicans magis dicendam Dei ſui Sacramentati, quàm ſuam eſſe ſolemnitatem. Subſidium imploro mediatrice nobiliſſima cælorum Regina Maria, quæ velut gratiæ œconoma illam hodie infantulo communicauit, quem viſitauit, & nobis eam omnibus obtinebit. *Aue Maria.*

ARNOLD. CARNOT. de laud. Virg.

Diſcurſus I. *Vt ſe Deus hominem conſiderat factum, impulit illum hominum calamitas, vt ei quantocyus ſuccurreret, in conſpectu amoris ſui; ſpectante matre ſua ſibi chariſſima.*

Omnipotens, immenſe, & adorande Domine.

DVabus hodie perpẽdo Maieſtatem tuã arcis concluſã: In viſceribus Mariæ arca prima, & pretioſiſſima virginali ſinu pecuariæ humiliſque montium incolæ, cuius te rapuit pulchritudo, mouitque vt purpuræ regali ſaccum noſtræ ſuperinduceres mortalitatis: & idcirco prodit illam viſurus in ſecunda arca, ſub candidis illis laruatus accidentibus: pignoris amoris eſt hæc ſolutio; quo ſemper in eius optabat morari viſceribus: deſideria ſunt hæc quæ in hoſtiæ demonſtrat viſceribus, iam homo factus hominum amore inardeſcens, homo per Mariam, ille qui prius tantummodo Deus erat, & matrem non agnoſcebat, lentè procedebat, nunc autem pedibus adiutus alienis, volat celerrimè. Poſtquam Dominus in brachio forti & excelſo populum ſuum de ſeruitute vindicauerat Ægyptiaca, præ-

cepit Moysi vt censum iniret generalem populi sui, atque vnum ex omnibus catalogum conscriberet. *Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel, per cognationes & domos suas & nomina singulorum.* Nouum quid & insolitum hoc nostro videtur Oleastro, aitque Domine, nondum elapsus est annus, à quo illum denuo numerari iussisti, cui seruit hæc nominum supputatio? *Non est Domine impletus annus, quo eos numerare præcepisti, & iam iterum eos supputari vis? quid est quòd eos tam crebrò numeras?* Blanditias & affectum erga populum suum hæc indicabat supputatio: eo modo quo Pastor bis per diem sub virga oues suas enumerat: per hoc etenim significat, quàm sollicitam gerat earum curam: si namque hac non anxiaretur, non hoc se labore fatigaret. An ergo Deus adeò sollicitus (si fari liceat) vt populi Israel numerus supputetur, & summa omnium conscribatur, aliarum verò nequaquam nationum? Nónne tu ille Dominus de quo Psalmista: *Domini est terra & plenitudo eius?* Vt quid non omnia regna, omnésque iubet numerari Prouincias, cur se ad tantillum constringit angulum Iudææ, *Notus in Iudæa Deus*: & quasi in alijs nullam haberet iurisdictionem, sic nullam ostendit sollicitudinem?

Num. 1. OLEASTER *ibi ad mores.*

I. Populi supputatio signum est amoris.

Psalm. 23.

Psalm. 75.

Deus erat tantùm Deus; terram ingreditur, fit homo, & statuit vt Augustus Cæsar Romanorum Imperator totum conscribat orbem, cui & seipsum adscribendum subiicit, vt narrat D. Lucas: *Exijt edictum à Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis.* Quænam est huius causa descriptionis? eadem quæ prior: Deus vnicum tantùm populum priùs curabat: sed modò veniens omnium Saluator, omnes amat, omnes vult recenseri. Sic audio loquentem Oleastrum. *At vbi venit plenitudo temporis, quo omnium misereri disposuerat: non iam tantùm Iudaicum populum, sed vniuersum orbem Cæsaris ministerio præcipit supputari.* Anxia sollicitudo me communicandi, & desideria cunctis vniuersaliter benefaciendi excitantur cum plenitudine temporis, illa verò veniente crescant eorum indicia, omnésque ad numerum reuocentur, intraui quippe mundum omnium agens curam, omnésque saluaturus.

Luc. 2.

OLEAST.

Notandæ nobis veniunt circumstantiæ, quibus Redemptor noster vsus est in resuscitatione Lazari: eius tantùm lachrymas expendamus: *Lachrymatus est Iesus.* Cum D. Petr. Chrysolog. hoc vobis sit exploratum; ait sanctus, quòd si tempus aduenisset quo cunctos ad vitam reuocaret: illum lachrymantem non

Ioan. 11.

non vidissemus : sed contracta beneficia, & misericordiæ suspensio respectu Christi hominis potentia infiniti, gemmas excitabunt lachrymarum ex oculis ipsius Dei. Nec eius verba transeamus. *Lachrymatus est Christus, tota se viscerum commotione perturbat: quia adhuc solum Lazarum, & non iam omnes mortuos suscitabat.* Causalem illam particulam enucleemus. *Quia solum Lazarum* &c. Si namque rem penitiùs inspiciamus, lachrymas fundit Saluator, quia ad vitam Lazarus redit tot miseriis confertam, & ad maris periculum, ille qui iam securo gaudebat portu: plorat, quia plorantes vidit Martham & Magdalenam: suis etenim lachrymis & singultibus, lachrymas & singultus honorat amicorum. Lachrymatur, vt omnibus innotescat, corpus se habere non phantasticum nec hominem esse tantùm apparentem, sed verum. Quid plura? tota viscerum commotione turbatur propter alias rationes à SS. Patribus relatas. Quare ergo ad hanc solùm hoc constringis. *Quia Lazarum solum, & adhuc non omnes mortuos suscitabat?* Prædictæ particulæ inhæreo: *Quia solum.* Sibi iniuriam irrogari censeret ignis elementum vorax & actiuum, si ligno applicatus licèt viridi, diceretur hoc ab illo in cineres non redigendum: sunt enim cineres suarum trophæa flammarum; fluuius est rapidissimus & accrescens secum trahit pontes, molas, domos, ædificia. Christus ignis est & fluuius impetu ruẽs. Vnum testatur Moyses: *Deus noster ignis consumens est*; Alterum Isaias: *Cùm venerit quasi fluuius violentus, quem spiritus Domini cogit.* Terminum illi præfigunt, potentiam eius coërcent, vt resuscitet vnum tantùm & solus Lazarus de sepulchro prodeat rediuiuus, cùm omnes posset animare mortuos. Optimè igitur ait D. Pet. Chrysolog. quòd hoc grauiter tulerit, atque eam ob rationem infremuerit spiritu, turbatusque lachrymas fuderit: *Quia solum* &c. O tenerrime infantule, gloriæ princeps, te paucorum dierum puerulum attendo: & iam homo factus, te ita hominem manifestas, vt summo studio contendas prodire in publicum, suas hac arbore diuina radices per terram extendente: & cùm propriis nequeas prodire pedibus, cælestem tuam eligis Matrem, vt eodem temporis momento, quo te concepit in vtero, exurgat. *Exurgens Maria*, & te ducat: quandoquidem in ipsa velut in nube leuissima progrediaris.

Marginalia: Chrysol. ser. 63. — II. Causa lachrymarum Iesu in morte Lazari. — Deuter. 4. — Isa. 59. — D. P. Chr.

Discursus II. *Communicauit Deus Matri suæ hanc proprietatem, vt sit vniuersale bonum: vnde in visceribus eius pusio latens, alas illi ministrat, quibus volet Ioanni patrocinatura.*

CEperunt arcam Allophyli, quam vt sacrum quoddam reliquiarium de Silo Israelitæ adduxerant ad aciem Israel, in conflictu illo periculoso, in quo
1. Reg. 5. profligati cæsique fuerunt Israelitæ, ex cuius præsentia grauius illos oppressit nocumentum: quia sub vmbra sanctitatis huius arcæ fœderis increuerant eorum non toleranda crimina, quibus irritatus Deus illos per manus puniuit Idololatrarum. Adducunt igitur illam victores Philisthæi quasi triumphum ducentes de sacrario populi Iudaici, atque in templo collocant Dagon idolo lateralem. Cùm autem lux & tenebræ se mutuo non compatiantur.
2. Cor. 9. *Quæ conuentio luci ad tenebras?* nec iisdem possint ædibus commorari: mane surgentes inueniunt in limine portarum templi caput simulacri ab humeris rescissum, manusque amputatas: corpus autem reliquum truncum ad pedes arcæ proiectum. *Inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram arca Dñi, caput autẽ Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissa erant super limen.* Quis in hoc casu tacitus tantas talesque prætereat circumstantias? Cùm enim magna esset templi capacitas, & altare longè distans, quis caput, quis manus ad tantam proiecit intercapedinem, & quare in limine? cadant ad pedes arcæ, cuius immediata propriaque sunt spolia quæ tantæ gloriæ radios nequeunt sufferre, porrò quale latet hîc arcanum, vt extendantur vsque ad ingressum, & ad primum passum accedant?

I. Allegoria. De arca & Dagon.

Adest nobis acutissimus Rupert. *Pandamus gloriosi vela nauigij & causam percurramus intelligentiæ spiritualis.* Adorabant Allophyli Dagon idolum sub forma monstri seu piscis marini (si Lirano credimus) & ita nomen Dagon interpretatur Rupert. *Interpretatus enim piscis tristitiæ, illum, vt suprà dictum est, significans, qui in mari est, cete magnum Leuiathan, serpentem vectem tortuosum. Piscis tristitiæ.* Titulus hic optimè quadrat culpæ: ea namque sola est quæ mœrorem animæ adferre debeat. *Noli lætari Israel, nòli exultare sicut populi, quia fornicatus es à Deo tuo;* sic Osee: Quî fieri potest ô Israel vt siccis te videam oculis exultantem, cum à gratia Dei tui fornicator excideris?

Rvp. l. 1. in Reg. c. 14.

Liran. hic.

Rvpert.

Ose. 6.

cideris? Perditi cæcitas hæc est peccatoris, qui tunc maiori tripudiat voluptate, quando diuinam grauiùs iram in se concitauit. Per caput peccatum intelligo originale, quod ex Adamo cum ipsa natura hereditamus. *Et traducitur ad omnes qui fuerũt in Adam*, vt fusiùs tractat D. Thom. Doctor Angelicus: Est autem priuatio iustitiæ in qua fuit creatus, & sumus omnes filij patris proditionis rei, & extẽdit se hoc venenum per corpus & animam: intellectum tenebris inuoluit, voluntatem ardentem frigore tepefecit, memoriam obliuione obfuscauit, sensibus fraudes induxit, appetitum mala inclinatione peruertit: quid plura? Deo priùs animam possidet, estque voracissimus horti illius Aquilo, & caput balænæ. *Cetum magnum*: (ait Rupert.) naues detinet maximas, mare perturbat, ex aquis suis scintillas euomit. Manus peccata designant actualia. *Manus vestræ plenæ sunt sanguine.* Quod remedium quo corruat idoli vana præsumptio, & monstrum illud marinum manibus pedibusque truncetur? Introducatur arca testamenti: nam communi SS. Patrum calculo Mariam significat sacratissimam existentem in domo Elisabeth Ioannem ferentis in vtero originali culpa maculatum: à qua purgatur dum vocem eius audit vt dulcem ita

D. Tho. 1. p. q. 81. ar. 3. & 4.

Isai. 1.

& efficacem: manusque illi amputantur: Ioannes etenim numquam peccato mortali animam suam inquinauit: quinimò plures opinantur, quòd nec venialiter quidem deliquerit: & si sic, rarò & leuiter: etenim ad deserta eremicola secessit, suffragante Ecclesia; *Ne leui saltem maculare vitam famine posset.* Plenus Spiritu S. vt autem patentiùs omnibus mirabilis nota sit conuenientia, patratum est hoc prodigium *Super limen.* Ad ingressum portæ ad primum Deiferæ arcæ introitum, Audite D. Ambros. *Ad vocem Mariæ exultauit infantulus obsequutus antequam natus.* Cæleste planè Mariæ verbum, quod gratia consequitur, & salutis effectus spiritualis victoriam refert de Dagon, si namque *Piscis sit tristitia*: tantum abest à mœrore puer vtero adhuc materno conclusus vt sanctificatus omnem procul abigens tristitiam *Exultet in vtero*, gaudio plenus, idque tanta festiuus celeritate: vt licèt nondum perfectè sua explicet labia, sub cuius lingua velut in terra promissionis *Mel & lac sub lingua eius* exuberent, tamen seipsum Ioannes pusio promoueat, velitque loqui nondum natus.

Eccles. in hymno: Antra deserti.

D. Ambr. *de institut. Virg. c. 7.*

Cant. 4.

II. Angelus nõ homo mittitur Incarnationis nuntius.

Prosequitur illud D. Petr. Chrysolo. statuit Deus nostram assumere naturam eique se desponsare; ad huius effectum cum con-

consensu alterius partis legatū destinat Primatem Curiæ suæ, vt à Virgine suum poscat consensum, cuius verbi, Verbum æternum priùs quàm eius viscerum elegit esse filius: hinc orta difficultas. Cur ô Domine, Angelum mittis? an homo non sufficit? Maior est inter homines conuenientia, quia similes sibi sunt, & hominibus magni momenti legationes commendasti. Vt populum tuum de Ægypto saluum educeres non cælestes misisti spiritus, sed homines Moysen & Aaron; si verò sic omnem spem humanam meritumque excedat conferendum à te beneficium, vt ratio postulet digniores, veniant ex alio mundo legati, mittatur Isaias: qui ita clarè mysterium hoc descripsit. *Ecce virgo concipiet* Aduolet Hieremias: *Creabit Dominus nouum super terram: femina circumdabit virum.* Accedat Ezechiel in porta clausa. *Porta hæc clausa erit* &c. Vt sapio considerat illum D. Pet. Chrysolog. & pro more paucis multa comprehendens non interrogatus respondet. *Ad Virginem Deus aligerum portitorem mittit: nam dat arrham, dotem suscipit, qui fert gratiam.* Collaturus est Deus gratiam adeò gratiosam vt est Incarnationis beneficiū: sic illud Apostolus appellat, *Apparuit gratia Dei.* Quia verò Deus hoc pro more habet vt dona sua velociter conferat, sit nuntij adeò læti baiulus, aliger Angelus: & quia in effectum produci debet mediante Virgine, ad benefaciendum celerrima, non vadat Patriarcha, non Propheta, qui in quantum homines, erunt ad gradiendum tardiores. Aduolet aliger, spiritus velocissimus ad Reginam & alatam & velocem. *Ad Virginem Deus aligerum* &c. D. Ioan. in suis visionibus vnam nobis proponit argumento conformem *Et accepit Angelus thuribulum & impleuit illud de igne Altaris, & misit in terram, & facta sunt tonitrua, & voces & fulgura, & terræ motus magnus.* Angelum dicimus Christum: thuribulum aureum cape D. Ioannem Bapt. cuius tanta est fragrantia, vt ad vsque cælum ascendat, & curiam illam rapiat in admirationem: & pertransennam dicamus ad huius veritatis assertionem id quod inter præclariora dixit Episcopus Euseb. Emissen. ad illud: *Ego vox.* quod testimonium postea de seipso confirmauit D. Ioannes. Supponit vocis huius in lege veteri multas præcucurrisse figuras & vmbras. *Hāc autem vocem* (sic ipse loquitur) *illa tintinnabula aurea significabant, quæ pendebant in veste Aaron. Hanc significabant omnia illa musicorum genera, quibus Dauid cantare consueuerat; hanc psalterium iucun-*

Isai. 7.
Hierem. 31.
Ezech. 44.
D. PET. CHRYSOL. Ser. 140.
Apoc. 8.
III. Ioannes vox multis vocibus præsignatur.
EMISSE. Dom. 4. Aduen.

iucundum cum cithara; hanc tympana & organa, & cymbala bene tinnientia significabant; hanc denique vocem significabant illa tubæ quarum sonitu Iubileus annus annuntiabatur, quarum clangore totus exercitus & omnia castra mouebantur, & figebantur: his namq; cantantibus capta est Iericho & post septem dierũ circuitum muri corruerunt, & habitatores interierunt, iis Gedeon vicit Madianitas. Tandem concludit: *Lege in Apocalypsi, & septem Angelos inuenies tubis canentes, per quos omnes Ecclesiæ prædicatores, ab ipsis Apostolis vsque in finem sæculi significantur. Omnes igitur istæ tubæ, omnes istæ voces illam vnam vocem significabant, quando in hoc Euangelio loquitur dicens: Ego vox clamantis in deserto.*

Nouum hîc oritur dubium: quamuis enim ante Ioannis in mundo natiuitatem illum potuerint voces tubæque præfigurare, sed iam natum numquid Angeli canoris Baptistam signare debent instrumentis? Vtique. Etenim meo iudicio quia Ioannes, Sanctus est ita generalis, confundi poterant spiritus Angelici, ex eo quòd homines sibi persuaderêt quòd ipsi soli in eius natalitiis exultarent: & si omnes gaudio tripudient: *Et in natiuitate eius multi gaudebunt*: (Luc. 1.) etiam nos ipsi (quasi dicant) hoc debemus demonstrare, manibus assumendo instrumenta & apparatus Ioannis Baptistæ præfiguratiuos: nam tantum quantum istud, eius obtinet mereturque gloria Natiuitatis. Illos igitur Virgo carbones attulit ignemque spargit Spiritus S. quò plenam eò festinantem vidit, D. Ambros. dum ait: *Quò enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet?* (D. Ambr. l. 2. in Luc.) Eumque per linguam in terram vteri Elisabeth illâ spargente fructiferam: anima illa vt mons Æthna tota amore succenditur, & exiliendo voces percipiuntur: hoc etenim fungitur natus officio: & accrescens maiorque effectus, vt tonitru ad ripam Iordanis resonabit, vt peccatores mundumque perterreat vniuersum. *Vox tonitrui tui in rota.* Tuæ ô Virgo aligera cuncta hæc deferimus debita Maiestati.

Discur-

Discursus III. *Virgo suam deserens solitudinem nos instruit, ne diuinis ditati beneficiis efferamur, sed in aliorum illa deriuemus vtilitatem: tunc etenim magis propriè Maria Mater est Dei, quando illum concipiens, ex hominum miseriis, nostra etiam Mater efficitur.*

QVis fortè iudicauerit, debitum solumque eius esse studium, quæ sic intra portas domus suæ, vt Virgo, Deum haberet absconditum, illas omnibus occludere creaturis, vt quieti tantùm & diuinæ intendat contemplationi. Verumtamen nullum anima ex Deo capit detrimentum, quinimò illam impellit, vt eo relicto, non relicto, alienis sedulà succurrat necessitatibus. Ex quadraginta duabus mansionibus, vt mecum loquuntur SS. Doctores, filiorum Israel ex Ægypto vsque ad terram promissionis D. Petr. Damian, earum interpretatus nomina præclaras elicit allegorias. Perpendit quod mansio vigesima quarta fuerit in Thare, quod significat: *Extasis seu contemplatio*: spiritus hæc virtus est, quæ graue corpus alleuiat: & vigesima sexta nempe in Hesmona, id est, *Festinatio* diligentia, sollicitudo. Quænam sunt hæc mysteria? Magna profectò. Cùm enim aliquis in Dei cognitione multum profecerit, illique proximus fuerit: quod fit per contemplationem, quæ dicitur: *Ascensus mentis in Deum*. fieri nequit, vt illud quo fruitur, aliis non communicet. *Nam postquam pertingimus ad dulcedinem contemplationis, moram non ferimus tarditatis*. Quàm sollicitus, gnauus & festinus D. Paulus factus iam diuinæ gloriæ contemplator? *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*.

Num. 33.

I. Contemplatio impellit ad vitam actiuam.

D. Petr. Damian. l. 2. Ep. 1.

Rom. 9. 3.

D. Gregor. Magnus ad mores explicans illa verba Iob: *Quadam autem die cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino*. Conuocauit Deus curiam suam, optimates suos congregauit, adfuerunt & Angeli: ait. Quid hoc sacratissime Historiographe? qua veritate dicis quòd venerint Angeli? vnde debebant illi venire qui semper diuinam contemplantur faciem? *Semper vident faciem Patris mei*. Quomodo abesse possunt, qui numquam ex eius præsentia discedunt aliò? An forsitan venerunt de custodiendis hominibus? An illo tempore quo nobis incumbunt custodiendis, etiam diuino perfruuntur vultu, Deumve vident? Vtique. Et si dicere liceret, vberiùs illo lætantur, & clariùs contemplantur. Proferamus

Iob 1.

Matth. 18.

D. Greg. l. 2. mor. c. 3.

II. Seraphini cur reliquis Angelis plures habeant alas.

Isai. 6.

Ezech. 1.

D.Greg. l.2.mor. c.3. ramus eius testimonium. *Mittuntur igitur & assistunt: quia per hoc quod circumscripti sunt, exeunt: & per hoc quod intus quoque semper præsentes sunt, numquam recedunt. Et faciem ergo Patris semper vident, & tamen ad nos veniunt: quia etiam ad nos spirituali præsentia foras exeunt, & tamen* (Nota: latet hîc solutio dubij) *ibi se vnde recesserant, per internam contemplationem seruant.* Ibi videtur quòd maiori cumulentur gloriâ quando nostris consulunt negotiis: etenim non repugnat Deum contemplari, & hominum custodiæ inuigilare: & quantò nobis seruandis cura prospiciunt diligentiori; tantò (si fieri posset) beatitudine Deique conspectu fruerentur eminentiori.

II. Seraphini cur reliquis Angelis plures habeant alas.

Vt autem hoc constet euidentiùs, quandam statuamus contrapositionem Seraphinorum quos vidit Isaias & Cherubinorum Ezechielis. Isaiæ Seraphini sex alis instructi videban- Isai.6. tur: *Sex alæ vni, & sex alæ alteri.* Ezechielis autem Cherubinis Ezech.1. quatuor tantùm erant alæ. *Quatuor pennæ vni*: & communis Angelorum imago nobis duas repræsentat. Quænam igitur subest ratio, cur Seraphini pluribus gaudeant alis, quàm alij cælestes spiritus: cùm omnes, si velocitatem spectes & promptitudinem quâ creatori suo obtemperant, eiusque seruiunt ministeriis, aër sint & ignis: illo quippe nomine à Dauide describuntur. *Qui facit Angelos suos* Ps.103. *spiritus, & ministros suos, ignem vrentem.* Porrò vobis hoc nequaquam molestum sit ô Principes excellentissimi, pluribus enim alis opus est Seraphinis: cùm enim maiora pluraque à Deo receperint, eiusque immediatè diuinæ assistant præsentiæ, pluribus indigent alis, quas impendant hominum, subueniendo maiori sedulitate, necessitatibus. Vnde perspicies quòd dum Deus Prophetam quæreret quem mitteret populo suo legatum, & vates Isaias existens ibi præsens necdum se tanto muneri præsumeret ministrum offerre: quia se immundum censebat; imò vix dixerat: *Vir pollutus labiis ego sum.* Et ecce vnus de Seraphinis ardenti carbone eum ad legationem obeundam capacem dignumque adussit, labia illius purificans, & hoc volando. *Et volauit ad me vnus de Seraphim.* Angeli reliquarum hierarchiarum audierunt quidem illum loquentem, sed dissimularunt, Seraphini autem tantis à Deo præuenti fauoribus maius habeant alarum remigium, quibus aliis benefaciant.

Magdalena pellucidum pœ- Luc.7. nitentiæ speculum humilia sua & amantissima Redemptori nostro exhibita obsequia à pedibus

III. Magdalena à pedibus incipiens ad caput peruenit: quid hoc? inchoauit, & deinde caput ascēdit vnctura. Diuinum planè agnosco, ô anima sanctissima, in hac tua actione oraculum: dum enim à plantis incipis Saluatoris, indubiè ad faciem eius accedes: quinam sunt Christi pedes, nisi animæ fideles per quas agnoscitur? & quod est in illo caput nisi diuinitas? *Caput Christi Deus.* Cùm enim Magdalenam statuere proposuisset in magistram acquirēdi merita, quaque nos instrueret de amore & famulatu Dei, hanc in illa voluit nobis adeò necessariam præmittere doctrinam: q.d. si fideles meos vnxeris, proximos tuos, eorumque sedulam gesseris curam, abundantiori me luce contemplaberis, & vitæ actiuæ exercitia, pedes tibi ministrabunt, viam ad contemplationem præparando, quod omnium perfectissimum est, præcipuum & caput. Non hunc ego conceptum peperi: sed D. Petr. Damianum auctorem agnosco.
D. PETR DAMIAN. l. 2. Ep. 12. *Caput Christi Deus, pedes Christi serui Dei. Sicut enim illa dum humanitati Christi dependit obsequium, ad diuinitatis meruit attingere intellectum: sic nimirum, sic Doctor Ecclesiæ, dum Christi membra custodit contemplandæ Diuinitatis gratiam percepit.* Suam sapiens non cohibeat sapiētiam, nec in se concludat donum, quod alteri potēst communicare, nec diuitias parcus apud se retineat, quibus alienis fas est occurrere calamitatibus: namque aliis omnia, nec toti & soli sibi proficiant, his sua dilatant, extendunt augéntque merita, & per actiuæ vitæ exercitium velocissimè ad contemplationis apicem ascendunt, atque per pedes fratris sui ad supremi Numinis brachia admittuntur.

In Principe Apostolorum D. Petro & D. Ioan. considerat Euseb. Emissen. vitam actiuam in priori, & contemplatiuam in posteriori. *Quid per Petrum nisi vita actiua, quid per Ioannem nisi vita contemplatiua designatur?* EVSEB. EMISS. ser. 5. Ioan. Euang. vlt. Magnum etiam discrimen inuenimus inter hos duos sanctitatis antesignanos. Ioannes ille erat discipulus quem tenerrimè diligebat Iesus. *Discipulus quem diligebat Iesus.* Ioan. 19. Hoc armis illius dictum inscribitur. D. Petrus is esse commendatur qui amore feruentiori prosequebatur Christum, quod ipsi Christus apertiùs indicauit. *Diligis me plus his?* Ioan. vlt. IV. Petrus & Ioannes vtramque vitam significant. Si namque non ita esset, non ab illo hoc quæreret, illumque exponeret periculo confusionis, si non posset ore pleno respondere: *Domine tu scis quia amo te,* plus his. Nunc igitur fauores attendamus, quibus eos singillatim dignatus est, eminentiores. Quis optimam Ioannis sortem non æmuletur? Quis non eam D. Petri admiretur quantumque

tumque illi fidat, magis absque vlla comparatione, quam Diuo Ioanni, cùm illi tradat sponsam suam, id est Ecclesiam, eumque suum in terra constituat vicarium? Quam ergo ob causam? Nisi fallar, hoc indicat: Nullus sibi persuadeat Petrum aliquod damnũ incurrere, quia Pontifex est, & curam animarum habet alienarum: & D. Ioannes pluribus gaudeat: vtpote altissimæ suæ quietæque deditus contemplationi: nam in ordine ad potestatis amplitudinem Petrus longiùs omnes antecedit.

Mulier illa feruenti viuaque fide spectabilis tetigit fimbriam vestimenti Christi, animę potiùs quàm corporis manibus: ex quo sistitur fluxus sanguinis perditamque recipit læta valetudinem. Secedit, reditque tota gaudio delibuta, nemine factum aduertente. Christus caput conuertit vocemque interrogans attollit: *Quis me tetigit*? Respondet, Petrus nomine omnium: Quomodo *Quis*? tantus est vndique concursus populi, vt vitam tuam euidenti exponant discrimini, omnes certatim non te permittunt pedem solo figere; omnes te tangunt. *Turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis quis me tetigit*? Quantò magis si hoc dixerit, vt adstantibus miraculi veritas innotesceret, obstupesco: cùm in aliis à se factis miraculis cunctis silentium indixerit. Leprosum à pollutione sua emundat: cui hoc iniungit: *Vide nemini dixeris.* Quænam hîc eum vrget ratio signum hoc euulgandi, qui ad singulos passus facta miracula iubet occultari? Non ego sufficiens hunc enodare nodum, nisi D. Petr. Chrysolog. subtile concurrat ingenium. Casus hic est: cùm enim hæc mulier sola suam adepta fuerat sanitatem, tantæ tamen esset socia multitudini, quę lucrum inde in Christum credens referre poterat, si miraculi notitia ad omnes perueniret, quod illa silentio tegebat, voluit vt signum hoc factæ sanitatis euulgaretur: etenim misericordiæ Dei, quæ prodesse possunt & aliis, vult vt omnibus fiant manifestæ. Habemus eius verba. *Interpellatricem tacitam & suggerentem cogitationibus solis ac post tergum virtutis suæ consiliis adhærentem, non vt discursor nescius, sed vt præscius inquisitor producit in medium, suisq; stare facit conspectibus, vt quæ sibi portarat salutem, omnibus reportaret.* q. d. Beneficia postulas à Deo furtiuè, & coram multis à tergo veniens quid nisi honorem meum vsurpas, donis meis facis iniuriam, meam coërces liberalitaté, conata ne hoc aliis innotescat? prodi igitur in medium, quatenus ex illa tua publicatione proueniat non exiguum

Margin notes: V. Christus vult miraculum in muliere factum euulgari. — Matth. 9. — Matth. 8. — D. PETR. CHRYSOL. Serm. 36.

guum optatumque aliis emolumentum.

Ita vera est hęc doctrina, vt Episcopus Lugdunensis in Gallia, & Martyr inuictissimus D. Irenæus fortissima producens contra hæreticos argumenta, hoc vnum proferat irrefragabile. Ita Deus desiderat, estque illi proprium aliis se communicare, donaque conferre: vt si vos aliquem mihi dederitis, qui hominibus plura quàm Christus largitus fuerit beneficia, eum Deo ipso iudicauero meliorem: cùm autem implicet inueniri aliquem qui tanta se tradiderit effusione liberalem, ita & alium esse Deum dicimus impossibile: designes, inquit, mihi qui abundantiori promus affluentia seipsum quaquauersum extenderit. Placet illum audire. *Et ex abundanti per comparationem diceremus: hic illo melior est: melior enim ex operibus apparet, quemadmodum & prædiximus; & cùm illi nullum patris sui opus habeant ostendere, hinc solus cognoscitur Deus.* In quibus, vt video, confirmat Doctor hic eximius proprium esse summo amori, qui Deus est, operibus seipsum manifestare: hæc etenim ei splendorem quantum ad nos, conciliant egregium, quibus ex collatis nobis beneficiis eius crescit auctoritas: vt autem breuiter Doctoris exponamus sententiam: tantum abest vt Deo aliquid ex munerum gratiarumque largitione depereat, vt (hyperbolicè loquar) tantò magis de diuinitate participet, quantò nobis misericordiæ dona largitur copiosiora. Quàm acri digni sunt reprehensione, qui receptis à Deo gratiis, donis, talentis & prærogatiuis illa nemini desides inertesque communicant? *Sine inuidia communico.* Hæc Sanctorum est epigraphe: similes illi seruo pigro & malo quoad culpam, & quoad pœnam eodem plectentur supplicio: talentum etenim Domini sui quasi mortuum in terra sepeliuit. *Abiens fodit in terram & abscondit pecuniam Domini sui.*

D. IREN. *aduers. hæres. l. 3. c. 12.*

Sap. 7.

Matth. 25.

O virtutis omnis & perfectionis exemplar Maria, magistra ardentium Seraphinorum tantis alis instructa perfectionum, toto diuinitatis mari in visceribus suis animaque recepto supereffluens, vnione coniuncta adeò sublimi: vitâ contemplatiuâ si quis vllus ad altissima subleuata! hodie siquidem alas videatur dimittere, sistit tamen aliquantulum vt tantò euolet altiùs, alas suas recolligit quibus cælestes penetret mansiones charitate feruentissima. Patulas arrigamus aures, & Ruperti miremur elegantiam, dum à Maria consensum suum iam dante discedit Angelus, ipsaque Deo fera: *Exurgens abiit:* dicit igitur: *Habent Sancti hoc proprium, omnes*

RVPERT. *L. 1. in Cant.*

Trahe me post te.

Cant. 1.

nes qui in veritate sanctum habent spiritum: vt ita gratulentur de beneficiis quæ aliis impensa perceperunt, quemadmodum & de illis quæ à Deo sibi collata sunt. Erat autem spiritus hic (vt Ruperto credimus) adeò feruens in Maria, vt ipsa Deum rogaret hodie, vt esset cum ipsa, in ipsa multis benefacturus. *Trahe me, post te curremus.* Tibi sufficiat ô Domina infinitum quod accipis, acquiesce, ad solitudinem secede sola cum solo Deo: nequaquam: quamuis enim mihi soli singularis sit illa gratia, illam tamen oportet me & aliis communicare. *Curremus.* Curret Deus vtero meo gestatus virginali. Sed ô cælorum Regina, qua veritate dicis, quòd Deus curret? Non incongruè. Etenim aliena celebrare beneficia ita propriè conuenit Mariæ, vt Deus omnem sit neglecturus auctoritatem, atque vt hoc compleat desiderium & anxiam in Maria sollicitudinem, venturus sit cum ipsa velocissimè currendo. *Curremus.*

Cant. 1.

Epilogus huius argumenti sit subtilis Doctoris Angelici consideratio. Desponsata erat Maria mater Iesu Ioseph, & hoc dictum erat. Quomodo dictum ô summæ Theologiæ parens? cum necesse fuerit vt Deo ex propitiatorio loquente summo Sacerdoti, ordinarentur hæc inter vtrumque sponsalia. Reuelatio fuit hæc particularis de cælo: & hanc dicis tibi nullam mouere quæstionem, nullumque tibi hinc oriri dubium? Non; eratque negotium hoc assertum; ratio mea sumitur ex interpretatione Nominis Mariæ, interpretatur enim *Illuminata*; Arca lucis & gratiarum, & priuilegiorum: Ioseph dicitur *Augmentum.* Anima igitur tot cælestibus ditata gratiis, ratisque affluens prærogatiuis, cum quo nuptura erat, nisi cum Augmento. Sancti quippe illa quæ de manu Domini recipiunt, eo ipso quo illa cõmunicant aliis, sibi accumulant. Scripta legamus eius qui cæleste super hæc meruit audire suffragium: Thomam intelligo: *Maria interpretatur illuminata, & significat contemplatiuos, qui in contemplatione suscipiunt diuinas illuminationes. Ioseph interpretatur augmentum, & significat actiuos, qui debent habere augmentum operum misericordiæ.* Reuoluamus illud: *Debent habere.* Ne sibi persuadeant actiui, quòd ex quo aliis seduli deseruiant, aliquid inde perdant, imò potiùs lucrantur. Hæc via est augendis eorum meritis rectissima. Desponsetur igitur Maria Ioseph: sitque adeò felix Ioseph, vt ad eum ascendat gloriæ gradum, quàm maximum; operum etenim illius actiones ita illum extollunt, vt ad altissimam pertingat aquilã, sitq; dignus Mariæ & socius & spõsus.

D. THOM. Serm Dom. infra Oct. Epiph ex Euangelio.

RVPERT. L. 1. in Cant. Trahe me post te.

Discursus IV. *Celeriter virgo, licèt prægnans, progreditur: effectus etenim hic est eorum qui Deo feti sunt; vt animam reddat aligeram quam ingreditur.*

ETiam tempus in mulieribus notatur, quo prægnantes sunt & graues: hanc autem eius dant rationem physici & philosophi: quia embrio pars non est eiusdem corporis: vnde grauat: quod non facit brachium, aut manus propria, quia pars est subiectum perficiens & integrans. Quâ igitur de causa Christus nullam matri suæ attulit grauitatem? Hac similitudine difficultas expedietur: quosdam videas lapides elaboratos opere mirifico in vasa concaua, quæ cùm ex se sint poris peruia instar spongiæ aquam in illa incidentem ita reddunt subtilem per eorum venas transeuntem, vt humido illi elemento pondus auferatur, & quidquid ex se habebat terrestre. Petram dicimus Christum: *Petra autem erat Christus.* Virgineis continebatur visceribus. *Mittam in fundamentis Sion lapidem*, quem præuiderat Isaias illumque fauore præuenerat singulari: nam cùm aqua mortales designet, vt ait mulier Thecuitis: *Omnes morimur & quasi aqua dilabimur super terram*, sicut per canales transiit diuinæ adeò petræ, & ita elaboratæ, Deum intellige, qui totus est spiritus: *Spiritus est Deus*: Dixit Christus Samaritanæ; ita illam leuem reddidit, vt illam videre sit nullo tædio nulloque pondere grauidam; quod cæteræ matres in filiis suis vtique terrenis sentire se ingemiscunt: & quia Virginis filius, Dei filius est. Quam eleganter dixit hoc D. Bern. *Iure etiam illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit: quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Vnde & in ipso suæ conceptionis initio, quando cæteræ mulieres molestius affliguntur: Maria mira alacritate montana conscendit.* Omnes grauitate præpediuntur mulieres & tædio ex pignore quod vtero gestant grauidæ; sola Maria illam non sensit, ipsa sola pondere diuinæ magnitudinis redditur agilior: & quid hanc in virgine miramur agilitatem, cùm ipsa sola à Deo absque maritali opere Dei filium Virgo conceperit? Ex iure ab hac regula excipitur: de Maria non loquitur, quæ suprà legem est: hæc lex mulieres comprehendit, & Maria si mulier est in natura, priuilegiis attamen & excellentiis omnes antecellit.

Attollit sol, quem omnium viuentium communem meritò patrem dixeris, vapores & exhala-

1. Cor. 10.
Isai. 28.
2. Reg. 14.
Ioan. 4.
D. Bern. Ser. de verb. Apocal.
I. Maria quia Virgo concepit, onus non sensit ex prole.

halationes de terra, radiorum suorum ardentium virtute & efficacia, quas cùm subtiliores reddiderit, in aërem ignemque conuertuntur. Quis in re adeò vili transmutationem in loco ita sublimi tantam operatur? Sol. O diuinæ sol iustitiæ! exhalationes Mariæ, cùm pura sit creatura, ad eandem transeunt ignis diuini sphæram; vnde ne mireris si illam ita subtilē efficiat, vt in spiritum conuertatur aligerum, illa quæ priùs diuino plena spiritu notabatur. Proferamus

D.Bern. Ep.72. & Ep.341.

D. Bern. *Libet admirari quàm leue sit onus veritatis. Nam verè leue est, quod portantem non grauat, sed leuat; quid eo leuius onere, quod non solùm non onerat, sed & portat onera, cui dum portandum imponitur hoc onus, potuit vterum grauidare virgineum, grauare non potuit.*

I. Maria quia Virgo concepit, onus non sensit ex prole.

Quàm leue pondus quod in se non tantùm non grauat, sed reliqua tollit pondera? Vnum hoc se Virgini inclusit, & quamuis illam reddiderit matrem, virginalem tamen non abstulit pudicitiam: vnde subtilis leuisque permansit; ipsis ventorum alis longè velocior. Malachias Vates Deum nominat solem pennigerum:

Malach.4.

Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sonitus in pennis eius. Vel sicut ex Hebræo legit Pagn. *In alis eius.* Binas rotas sibi mutuò implexas vidit Ezechiel:

Ezech.1.

Rota in medio rotæ. Hoc est Deus homo factus in Maria: tantumque abest ab omni grauedine, vt potiùs quia pennas rotasque habet, summa quicumque illum ducit, moueat agilitate.

Confirmet hoc nobis Euseb. Emissen. Quis, inquit, Simeonem vidit iustum & timoratum, quo titulo ab Euangelista decoratur, iam capularem senem mortique proximum, qui iam velut cadauer in puluerem conuersus diceretur, vt se neutiquā mouere posset; tamen Deum infantulum dum senilibus constringit brachiis, senilis fugit ætas, fatigatus antiquus dierum reiuuenescit; rugata facies alacritatem & animum induit adolescentem: quid plura? ille qui seipsum ferre non sustinebat, humeris iam pollet adeò robustis, vt pondere illo non opprimatur vt cadat quo terra grauius non agnoscit. An non placet eius audire verba? *Mox senectus fugit, & iuuenilis vigor adfuit & fortitudo, qui priùs seipsum ferre vix poterat, nunc leuiter puerum ferens exultat.* Quòd si Deus in manibus hominis in agilitatem mutet tarditatem, quam secum trahit ætas decrepita, ne mireris quod ingressus Mariæ viscera, ipsam per collium montiumq; vertices ducat velocissimam. Addit D. Bern. sententiam pietati suæ valde conformem: dicit Martyrem Ignatium D. Ioannis Euangelistæ discipulum

Evseb. Emissen. Ser. Purificat.

in

in multis à se datis litteris D. Virginem appellasse *Christiferam.* Vnde exclamat Bern. *Egregius planè titulus, & commendatio honoris immensi. Nempe cui seruire regnare est, gestare hunc, non onerari, sed ornari.* Pulcherrima Mariæ deprædicatio: ferculum, quo Deus vehitur currus quo trahitur: quòd si seruire Deo regnare sit, illum secum ducere torques erit collo ornatissima, vellus aureum honoris insigne; onus, absit vt oneret, imò in gloriam decusque conuertitur. *Gestare hunc, non onerari est, sed ornari.* Si cælites illos spiritus Mariæ in progrediendo comparaueris, testudines sunt, proficiscitur illa, dixero veriùs, volat. *Exurgens abiit.*

D.BERN. Ser. 7. sup. Psal. Qui habitat.

III. Ionæ peccatum nauim grauabat.

Ad mores discursum hunc trahere perplacet ô Christiani! Cælo Deoq; fetæ leuiores redduntur animæ, vt enim virtus agilitatem, sic culpa tribuit grauitatem. Attendit D. Chrysost. Ionam naui descendentem in Tharsis, Dei mandato refractarium, à quo præceptum acceperat Niniuitis vrbis euersionem prædicandi. Væ vobis (inquit ille) miseram vestram deploro sortem. Dum vos contemplor opulentos Tharsis & Ciliciæ mercatores, iam paratis ad vela nauibus in portu tempus præstolantes committendi vos pelago opportunum: grauem etenim vobis vates annuntio maris tempestatem. Attendite, ecce ex ora descendit vir vos rogaturus, vt eum socium vestræ admittatis nauigationis, quo pedem figente in lembi tabulis, cælum vobis tempestatem indicit tantisque vos periculis lugebitis oppressos, vt vasa quæque pretiosissima in mare sitis demersuri, redimendis vestris pretium animabus. O quale verbum! *Peccatum naufragium præparabat.* Peccator etenim ad ima demergitur, quia grauis, secumque potens est eadem ceteris ruina inuoluere. Notat autem D. Hieron. singulare mysterium: quàm primùm Ionam fluctibus immerserunt, stetit à feruore suo furiosum illud elementum, strati sunt fluctus, & ad malaciam procellæ illæ reuocatæ, quæ priùs elatæ ipsis minabantur sideribus, nunc vt agnus mitescunt, tacentque clementiores. *Stetit mare à feruore suo.* Quænam hæc tui ô pelagus indomitum, tam repentina mutatio? Ratio sit hæc: quòd sicut culpa fugitiuum ad centrum deprimebat, illum autem mare vidit in loco sedentem altiori: ita donec illum viderit loco illi debito, sustinere nequit fugientem: adeò namque graue est vnum in homine peccatum, vt & ipsæ creaturæ irrationabiles & inferiores, dedecori sibi ducant peccatorem videre se sublimiorem: Iona 1.

IV. Similitudo. nec enim meretur. Exemplum adducitur eius, quòd dum iustitię ministri fugientem insequuntur captiuum, non à persequendo deferuent, donec illi manus iniecerint, & tunc demum conquiescunt. Ministri erant diuinæ iustitiæ procellæ maris (testatur ita D. Hieronym.) feruorem suum non remittunt, non furorem donec captiuum suum ad profundissimam demerserint abyssum: *Et stetit mare, quia inuenerat quem quærebat; velut si quis persequitur fugitiuum, & concito pergat gradu: postquam fuerit consecutus desistit currere, & stat ac tenet, quem apprehenderit.* D. HIER. in c. 1. Ionæ.

V. Iustis ad humilitatẽ defectus permittitur à Deo. Hoc euidentiùs patebit ex eo quod inter præclara præclarissimè dixit Abbas Rupert. Diuina hæc est permissio & paternæ Dei adscribitur prouidentiæ, si quandoque familiares sibi antiquos, ne inaniter rapiantur suprà se ex receptis de manu sua liberali gratiis, ab illa dimittat, patiaturque ipsos in aliquas labi imperfectiones: quia ita proprium est & annexum peccatis, quamuis leuioribus, seipsum humiliare, vt quando illa in se redarguit anima, fidei iussorẽ habeat certissimum quod non fastuosè intumescet. Ad huius argumenti confirmationem concinnè moribus applicat & instructioni, quòd Iacob duodecim genuerit filios Principes & capita duodecim tribuum Israël, atque inter illos vnicam filiam nomine Dinam, quę plus ceteris grauiores illi attulit angustias, fuitque aloë voluptatum eius amarissima. Ita similiter (interprete Ruperto) inter multigenas virtutes heroicas, filios masculos fortesque electorum, videre licet filiam, id est, imperfectionem & defectum, qui à nobili patris stemmate degener, illis ob oculos suam obiiciat exilitatem, quâ in humili recognitione conseruantur integri, & sine quâ turgidi inflatique interirent. Auscultent omnes quanto dicat hoc verborum lepore in commentario ad illa verba Isaiæ: *Noli timere vermis Iacob.* locutus Cunoni Abbati Sigerbensi: *Iacob denique magnus homo fuit, & multos habens mares filios, pro causa vnius feminæ, quam solam filiam genuit, afflictus est & tristitiam habuit. Sic nimirum viri apud Deum magni: qualium omnium viuentium tu mihi notissimus es, cùm multas habeant virtutes, multosq; (vt & tu habebas) filios spirituales, aliquam habent quasi filiam, id est, infirmitatem occultam, pro quâ dum quis humiliatur coram Domino, & vermis est & Iacob.* Isai. 41. RVPERT. Lib. 12. in Matth. circa finem.

VI. Allegoria. Totam noctem duxit Redemptor noster insomnem orationi insistens electurus Apostolos, Ducesque conscripturus orbis subiectioni, & orto mane illos ex discipulis suis assectis excipit

Y ad

ad numerum illos reducẽs duodenarium: *Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit.* Illos D. Lucas enumerat incipiens à D. Petro & finiens in Iuda proditore. His immoremur: cur seruatur hic ordo: nec enim Petrus sed Andreas frater, vocatione primus fuit: nec Iudas fortasse omnium vltimus Apostolorum inscriptus collegio. Quâ ergo de causâ loca mutantur, ordoque inuertitur, & seniores postponuntur? Respondeo. Gratia & amor Dei extollit, subleuat, & promouet ad altiora: & sicut Magistrum suum Petrus amore prosecutus est ceteris feruentiore, locum occupat eminentiorem; Peccatum deprimit & humiliat, & cùm Apostata discipulus peccatum commiserit adeò graue; ad ima per illud humiliatur: deditque amor D. Petro locum in cælo digniorem, & culpa Iudæ in tartaro inferiorem.

Luc. 6.

VII. Iudas ob peccatum vltimum occupat locum.

Intolerabile itaque est pondus peccati; quod D. Paulus nominat: *Omne pondus.* An tibi virtutum sancta sapiunt exercitia (ô Anima?) numquid libenti animo xenodochia frequentas & Ecclesias? An tota mentis deuotione SS. suscipis Sacramenta? leuis es? bonum est signum. An oportet te crinibus raptum ducere, vt Christianis satisfacias obligationibus? an vna tibi Missa est fastidio, vna te affligit concio, mendicus eleemosynam postulans affert tædium? pedes habes plumbeos ad pia virtutum opera? malum eheu augurium: etenim velocitas vel tarditas & pondus in hoc, pulsus est salutis index, vel infirmitatis animæ pronosticon. Testem adduco Isaiam: *A facie tua concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum.* Ex anima Deo feta quis fructus expectandus, nisi fetus spiritus. *Peperimus spiritum.*

Hebr. 12.

Isai. 26.

O Aquila coronata, Virgo puerpera Maria, quid obstupescimus quòd montes collesque Iudææ superes Virgo tenerrima, si Deum gestes, teque Deus dirigat sic ab omni culpa liberam, atque ab omni imperfectione alienam: vt nec eius vmbram eminentissima tua produxerit altitudo: quod enim in te operari debebat humiliandi te ex tanta gloria subiectum: hoc operatur filius, qui tantorum beneficiorum in te conseruat gratitudinem. O nubes formosissima, leuissima, nullo pondere grauis, supremi stupeant Seraphini, tantam in te cernentes altitudinem, interrogent, non sit respõsio tamen quæ tantæ queat satisfacere dignitati. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum?*

I. Discrimen inter Angelos Abrahæ & Abacuc.

Gen. 18.

Cant. 3.

Discur-

Discursus V. *Effectus hic est Venerabilis Eucharistiæ Sacramenti, quod eius corpus efficiat aligerum, qui dignè illud accipit, ipsum commutans in spiritum.*

AScendit, medio hoc pane cælesti, qui nobis in Eucharistica mensa proponitur, ad illum accedens, de vilitate & grauitate hominis ad diuinam celsitudinem. Conueniamus cælestes tres aulicos, in hospitio domoque Abraham receptos, vt illi seriem omnem edicant cladis, quæ breuî luxuriosas erat oppressura ciuitates, hospitique suo filium promittant; cum altero solo Angelo qui Prophetam Abacuc per aëris vacua sustulit in lacum leonum, Danieli victum allaturum. Miranda sese hîc offert multumque expendenda differentia, cùm omnes vtrobique sint Angeli, inter illos & hunc; quàm lento passu, tardeque progrediuntur hospites Abrahæ; quàm celer agilisque portator vatis Abacuc: adeò morosè procedunt hi, vt illos Abraham de ostio domus suæ conspicatus aduenientes, facilè dixisset; non se mouent: *Apparuerunt ei tres viri, stantes propè eum. Stantes* etenim indicat quietem, nullumque motum. Et inuitati ad cœnam, moram patienter trahunt, vsque dum panis pinsatur & coquatur, vsque dum tenerrimus de armento vitulus adducatur & occidatur, & ad cibum aptetur; insuper Sodomam licèt non longo interuallo distantem ad vesperam accedunt lentiores. Progreditur alter onere viri grauatus quem capillo suspensum detinebat, cuius pondus ex natura graue erat, & Angeli brachium (si possibile foret) fatigabat: tamē adeò leuis illi fuit, velut pluma quam quis de manu in manū coniicit, quem momento temporis transposuit de Chaldæa in Babyloniam. Rem inspiciamus cui laborent, & inde dubij solutionem eliciemus. Priores supplicium inflicturi procedunt: sint igitur tardiores eorum gressus, horis integris moram trahant, tempus insumant non modicum: nam ad hoc Deus, sicut ægrè progreditur, procrastinationem affectat, & tarditatem. Proficiscitur alter auxilium, cibumque Danieli allaturus, & alueolum cum pane defert. *Intriuerat panes in alueolo, & ibat in campum, vt ferret messoribus.* Homo igitur panem deferens, non grauat, nihil defert Angelus, alius quoque Angelus est, qui ad hoc accedit conuiuium, & prærogatiuis, ac proprietatibus præfulget Angeli. Filius ille dictus erat prodigus & contemptus, & meritò, quandoquidem immeritò paternas

I. Discrimen inter Angelos Abrahæ & Abacuc.

Gen. 18.

Dan. vlt.

nas ædes despexerat & epulas: Oculos illi præterita aperuit ciborum affluentia, & præsens miseriarum cumulus panisque inopia: vnde totus exclamat anxius: *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* O prodige, ô adolescens, fortunæ tuæ meliori congratulor. Panem ore deprompsisti? Panem linguâ protulisti? Teipsum, vates prædico, ad patris brachia, te expectantis attolles. Ecce quid sequatur: *Surgam.* Conceptus hic accedit D. August. *Sedi in egestate; surrexi in desiderio panis tui.* Dum panem nominat, alas sibi comparat, pondus exonerat, quem dum Pater conspicit panis æstuantem desiderio extulit vsque ad brachia, sibique copulauit arctissimè.

Luc. 15.

D. AVG. in Ps. 138. in initio.

Redemptor noster die quodam panem comedit in domo Simonis Petri: & alibi, vbi Matthæum ad meliora conuertit. Adest D. Chrysost. Hæc ea fuit mens Saluatoris nostri hominum & Apostolorum honorare suâ præsentiâ conuiuium: vt illos ad diligentius in eius seruitio studium impelleret: *Quod faciebat, vt hoc ab eo honore affecti, diligentiores ad omnia fierent.* Oritur mihi dubium & quæro: an forsitan dum Christus ad cœnam recumbit alicuius, pennas illi suggerat, quibus ad Deo seruiendum promptior efficiatur? Ne dubites. Recipit illum proditor Iudas, & eo momento surgit à cœna, domo excurrit, Magistrum suum traditurus: Notat autem accuratè D. Euangelista tempus. *Erat autem nox:* quia sola illa anima tenebris vmbrisque immersa surgere potest de mensa Domini Dominum venditura: ceteri verò, illi seruituri: *Vt diligentiores ad omnia fierent.* Enucleare placet particularem quandam circumstantiam Ascensioni Christi præambulam. *Recumbentibus vndecim discipulis apparuit illis Iesus:* Addit D. Lucas: *Et conuescens assumptus est in cælum.* Non capio mysterium. Quid hoc (Domine) de mensa ad cælum? An forsitan gradus est mensa, viaque ad cælum? Ex mensa surrexit Adam de felicitate illa extorris: Balthassar Rex ex cœna sentire incipit ferocissima mortis spicula, quibus illum Persæ Medique trucidarunt, hinc arma sumpserunt milites, Babyloniam deprædantur, murosque eius demoliuntur altissimos. Cauete vobis mensa hæc sacrilega erat & profana: vnde secum dolendas trahit ignominias, coronas deiicit, ceruicibus miserandum imponit iugum seruitutis: verumtamen Altare, quod est illa mensa, quam interpretor, pignus est deliciarum Dei, gradusque nobilitatis animarum. Et in quantum Christus

D. CHR. Hom. 28. in Matth.

Ioan. 13.

Marc. 16.

Act. 1.

II. Christus à mensa ad cælum tendit, mysterium est.

RICHARD. de S. Victor. L. 1. de Emman. c. 16.

à filiis

à filiis suis discessurus erat præsentiâ corporali, cernens illos mœrore nimio sepultos, quatenùs intelligant vmbram solummodò huius panis in deiectis eorum animis spem posse producere viuaciorem, idcircò illis conuescitur, quando sidera petit triumphator.

Porrò conceptus huius acumen piissimus nobis explicet Doctor Richardus. Quantum sapio figuram huius S. Eucharistiæ honore Christus afficere voluit, & cùm nulla teneretur necessitate corpus suum reddendi leuius, quod vtique quatuor iam gaudebat gloriæ dotibus, tamen priusquam cælos penetret ad mensam cum discipulis cœnaturus recumbit. Illum audiamus: *Attende quod dicitur, quomodo ibi legitur: Et conuescens præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent: & paucis interiectis additur: Videntibus illis eleuatus est. Ecce quia comedit & ascendit.* Quàm bona cõsequentia: Comedit: ergo ascendit: ipsum etenim Christum cœna in altiora extollit. Et subiungit: *Adam comedendo, ab illa sublimitate quam habere poterat, ad abiectam istam & humilem scientiam recidit. Emmanuel noster, comedendo & ascendendo humilem istam deposuit, & sublimem illam apprehendit.* Primus Adam & terrenus comedendo descendit; secundus & cælestis conuescendo ascendit: etenim panis ille adeò præclarus animas reddit aligeras.

RICHARD. de S.Victor. L.1.de Emman.c.16.

III. Arguitur communicantium tepiditas.

Quam adduces, ô anima, rationem quòd te videam adeò grauem, adeò terrestrem? Quodnam est hoc quod in te animaduerto frigus, tantis circumdatâ flammis? quod illud pondus inter tot alas quibus cælestia illa penetrares velocissima? Hic etenim Deus totus esse manus videtur, quibus & se tradat, & tibi tradat. Eodem modo bene dixeris illum esse totum alas, & pennas, quibus ad altiora euoles. Si quando descendit legem daturus in monte Sinai, totus videbatur ardere mons, fumigare, tonitrua, & fulgura euibrare? *Totus mons Sinai fumabat.* Ex quâ compositus es pruina, niue, glacie, crystallo congelata, cùm ipse Deus totus ignis, non te comburat, non accendat, non calefaciat? quàm viribus debilis de hac assurgis mensa? D. Ioannes equum vidit, & qui illi insidebat, nomen illi mors. Rupert. Angelum hîc capit apostatam: qui sicut hoc vitæ pane minimè pastus est, nec ali potuit cibo adeò delicato, ita equi pallor defectum indicat alimenti. Maximoperè desiderant (inquit Abbas Rupert.) & attenti conspiciunt Angeli S. hanc pixidem, quæ cùm diabolo sit ex sua peruicacia impossibilis, nemo miretur, si perpetuâ famelicus inediâ tor-

Exod.19.

Apoc.6.

RVPERT. l.3. in Exo. c.10.

torqueatur: *Quod quia facere contempsit Angelus, cecidit, & factus est diabolus: qui & huius panis sempiternam patiens inediam, semper est pallidus.* Nam si ipse Lucifer S. hanc sumeret Eucharistiam (si fieri posset, quod finalis eius impedit obstinatio) cruciatus illi verterentur in gloriam, mors in vitam, infernales & tenebrosi lacus in splendores gloriæ lucidissimos. Vt autem nobis numquam tale de memoria excidat beneficium, eiusque semper recordemur, notauit D. August. quòd idcircò Christus hanc instituerit pridie ad vesperam Passionis suæ, vltimaque vitæ suæ nocte, vt nostro intellectui taliter hæc imprimeretur institutio, qualiter solent vltima parentum verba filiorum inhærere fixa præcordiis. In medium prodeat D. August. *Namque Saluator quò vehementiùs commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat.*

D. AVG. Epist. 118.

Hoc nobis gaudium indicat D. Ioannes, dum cælestis huius panis odorem persentiscit in visceribus arcaque Mariæ Virginis: puer etenim alitur, robur acquirit infans, volatque antequam gradi nouerit: diligentiæ sunt hæ quæ debentur aduentui huius paropsidis manibus allatæ SS. Virginis. *Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth: exultauit infans in vtero eius.* Subtilis admodum interpretatio versus secundi Cantici virginalis *Magnificat*, hoc eleganter nobis exponit S. Antonini Episcopi Florentini, Ordinis nostri Patris illustrissimi *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.*

ANTONIN. 4.p. Summa Maio. tit.15. c.29.

IV. Spiritus multa significat.

Quid ô Domina præclarissima per spiritum tuum intelligis? Plura in SS. litteris spiritus significat. Angelos indicat. Angelus enim illius custos (ex opinione præfati Doctoris) omnesque cælestes Hierarchiæ festum celebrabant creatori suo visceribus concluso virgineis, quâ cooperante muri cælorum euersi restaurarentur.

Deinde spiritus signat animam, quæ dat esse viuificatque corpus. Ita Ecclesiastes: *Quis scit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum.* Et in eodem lib. *Reuertatur puluis, id est, corpus in terram suam, & spiritus id est, anima ad Deum qui dedit illum.* Vltimò Spiritus significat reliquum generis humani: *Cœtus, seu congregatio.* Ex quibus D. Antonin. explicat vltimum Christi verbum in cruce expirantis, Patremque suum æternum alloquentis. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum:* quod non tantùm de illius capitur anima, à suæ conceptionis instanti, beata, sed de omnibus fideli-

Ecclesi. c.3. & vlt.

Luc. 23.

fidelibus in eum credentibus, ita per amorem suis ac si idem cum eo spiritus essent. *Spiritum meum, id est, omnes qui mihi per fidem, & charitatem sunt adhæsuri.*

IV. Spiritus multa significat.

Dicit igitur Maria: *Exultauit spiritus meus:* id est, omnes gentes, congregatio sancta, & tota mundi vniuersitas: sunt enim anima mea per amorem, feruentemque meam charitatem, quâ sic eorum consulo saluti, vt mea anima sit eorum anima: atque vt vnico verbo absoluam, non habuerant, nec habebant animam sine Maria. Lætor maximopere quod in hac materia pijssimus mihi occurrat testis Bernard. *In manibus eius vita & spiritus nostri.* Quocirca D. Ioannes dum quasi priuatus omni elangueret animâ, quamuis propriâ viueret, prodire gestit omnium animam quæsiturus, nempe Deiparam, vt ab illa viuificetur, nouúmque esse accipiat. Et quid aliud esse credimus quod illum hucusque mater Elisabeth non senserit talibus exilientem motibus ex illo iã semestris prægnans, quàm quòd donec Mariæ verbum, & virginalis audiretur salutatio, quâ spiritus eius reuixit, ab illa infusus, membraque infantilia roborantur: Ioannes mortuus, & velut cadauer erat: ingreditur Maria; & ecce qualiter se moueat, suis vtatur sensibus, non ampliùs sit quasi truncus: imò iam homo est rationalis, eique rationis vsus acceleratur, sic cum pia multorum Doctorum opinione consentio. Ne taciti prætereamus verba Abbatis Gaugerici præclarissima. *Vox Mariæ dum auribus Elisabeth intonat, ad cor Ioannis intrat, & cuius viribus natura vix adhuc totam infuderat animam.* (attende dictum, quòd illi deficiebat anima) *Virtus vocis Mariæ pleniorem infudit Prophetiam.* Non ita festinauit, nec natura vitam dare potuit illi temporalem, sed Mariæ vocem expectauit, quâ viuificaretur, gratiam vitamque hauriret spiritualem.

V. D. Ioannes per Mariam reuixit.

GAVGER. Ser. S. Ioan. Bapt.

Tenero igitur pulsi affectu nostram alloquamur Reginam, eique hoc Spiritus S. cum Salomone concinamus. *Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus lilijs.* Ventre tuo prægnante tota continetur mundi spes hic omnia replentur Patriarcharum desideria, voces Prophetarum, iustorumque suspiria; An non bene quis mihi dixerit quod ipse Deus præstolabatur ardebatque videre B. Virginem in qua decreta sua æterna perficeret: veteres enim huius lucis nobis vmbram præmiserunt, describentes in symbolum mulieris prægnantis, stellam in medio sole: sicut enim planeta hic lucidissimos suos stellæ communicat splendores, ita mater

Cant. 7.

infanti esse vitamque infundit: hic autem ordo inuertitur, vt omnia rara sint, nulloque prænio fiant exemplo: cùm enim Christus sol sit, Maria verò stella, stella hæc vitam tribuit Soli, & qualiter solet nubes à à sole deaurari tantaque lucis perfundi claritate, vt meritò soli sit comparanda: ita quoque hodie Virginem intuemur. Quanta diuini amoris incendia! Quātus ardor charitatis! Quàm ardenter inflammescit anima! Nullus sol tanto cælos depingit ornatu, quanto fulgentes clarique radij de corde producti virginali: cùm ex illis videam amictum illi parari splendidissimū. *Mulier amicta sole.* Nullam mihi lunam ostenderis quæ tanto pauimentum terramque decore vestit argenteo, vt illa quæ pedibus suis omnem lunæ calcat venustatem. *Et luna sub pedibus eius.* Apoc.12.

In tritico venit in tua ô Domine Maiestate: & in tritico in hoc augustissimo Sacramento: *Sicut aceruus tritici.* In vino lætificante ostenditur: faciens vt eius natiuitas in mensem incidat Iulij, & vindemia messem comitetur. *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.* Nullo terra fructu fecundatur qui tantis colligatur lætitiæ signis vt panis & vini vindemia: accurrunt tritici messores, botrorum vindemiatores noctis tenebras cantu suo lætificantes, vocibusque alacrioribus solitudinem eius & silentium perrumpentes. D. Paulus spem asserit esse anchoram: *Quam sicut anchoram habemus animæ.* Quam vt fidei iussorem mari iniiciunt, quâ nauis vndarum inconstantiæ furorique exposita, seruetur incolumis. Nauis est, applaudite, Maria, pane vinoque prægnans alimento orbi generali. *Nauis institoris de longè portans panem suum.* Affectuum nostrorum anchoram manibus affigamus Virgineis: iam enim terram deteximus, iam portum vidimus: quatenus animæ nostræ directæ, & cumulatæ gratia per Virginem impetrata, placidè, & salubriter ad æternæ gloriæ portum appellant. Amen.

Isa.9. Hebr.6. Prou.31.

Discursus VI. *Vt enim detentus radius nubem perrumpit: ita Maria Virgo nubem secessus sui perrumpit, & montana velox ascendit, prægnans licèt, alijs benefactura: animæ quippe Deum in se sentiens de lucro certa, nec de propria iactura timida alterius commodo debet se prouocare.* Additus.

AMicè & familiariter cælestis sponsus sponsam alloquitur & hanc amoto omni dubio

Cant.2.

I. Vnde Maria exurgat.

bio Mariam matrem suam seu animam expono: (etenim de vtraque verum affirmatur) cælestis exordietur Regina, in quo præclarissimi ac primi fauoris initia Dei hominis innotescant, effectus nimirum quorum gratiâ venit, qui in puero D. Ioanne manifestantur. Hanc igitur sic alloquitur: *Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea & veni.* Dignum me studiũ, licèt Deus sim: animæ quippe tuæ tantam infudi pulchritudinem, vt nullâ factâ iniuriâ cælestibus spiritibus, qui te recognoscunt in gratia ita superiorem, decenter & facie aperta possis esse ea quæ mihi cor auellas: veni: iam enim rigida pertransijt hiems, quæ niuibus suis, pruinis & asperitatibus mortalium pedes retardat. Veni: iam enim ver amœnissimum campos floribus exornauit diuersissimis. Veni: putatæ namque vineæ præ gaudio lachrymas effundunt se fructibus proximas applaudentes.

Cant. 2.

I. Vnde Maria exurgat.

Hæreamus hîc & percunctor: vnde exurgere debet Domina hæc præclarissima quæ contemplationibus ex tua in suis visceribus præsentia detinetur, ita sublimibus vt si ferre posset altiùs extolli, & ad digniorem quam habet ascendere dignitatem (etenim in Matris Dei dignitate consistit eius *Non plus vltra*) limites puræ creaturæ quasi excederet. Attendamus illud cum doctissimo Ioanne Carthusiensi: *Quæ si sanctum mentis verticem altiùs tentasset attollere, creatura limites prorsus excessisset.* Respõsum audiamus: argumentum enim introducet in gloriam Matris gratiarum & doctrinam nostram. *Non igitur ad interiora sed ad exteriora surrexit: non enim in se maternos continere debuit affectus, iam iam omnium Mater facta: communis siquidem persona effecta, communem non proprium cui vestigare debuit vtilitatem.* Non ei dicitur: ascende ad interiora: in gradu quippe heroico viuit, vel in vltimo pedes suos figit pulcherrimos, dum se Dei matrem lætatur: sed vt exurgat ad exteriora: & quandoquidem se nouerit summi boni Matrem: nouerit quoque se matrem esse debere omnium vniuersalem, prudenter indicans animam cui se Deus communicat vel ad tantam euehit dignitatem, non sibi debere propria accumulare cõmoda, sed sit sollicita vt commodis incumbat alienis. Detinẽt me verba hæc: *Non ad interiora sed ad exteriora*: nam in ipsis profundè consideratis describit Doctor hic obligationes superioris & eius qui Deum in se complectitur: qui tantum abest vt perdat aliquid, quinimò dum cogitat se non proficere vel progredi, ad tantum ascendit

IOAN. PIC. Carthus. in Cant. 2.

Notabilia verba.

II. Ex interioribus ad exteriora.

dit perfectionis gradum, vt cæli huius stellas & astra pedibus substernat.

Mouit Doctorum ingenia inuestigare causam cur Deus qui primo die lucem creauerat, vsque in quartum solis creationẽ distulerit. Lucidũ educit corpus quod eo tempore tenebras poterat exterminare, quo fruebantur ea quæ tunc producebat. Sed perfectionem pulcherrimo huic planetæ non nisi quarto die infudit. Doctor Angelicus dubium obiecit, quod omnibus patet non leue: cùm enim ita sit, vt causa præcedat effectum: si sol & luna causæ sint productiuæ plantarum: quomodo precurrit effectus, cùm nec sit nec causa videatur? ita sibi proponit argumentum: *Sol & Luna & alia luminaria sunt causa plantarum: sed naturali ordine causa pracedit effectum; ergo luminaria non debuerunt fieri quarto die sed tertio vel ante.* Respondet abyssus doctrinæ D. Thom. ex doctrina D. Basilij. Contigit hoc, vt ab hominibus cæcis, ignorantibus & rudibus auferretur omnis occasio idololatriæ: si namque cum hoc, & sine hoc nationes quædam fuerint, quæ luminaribus illis diuinum attribuerunt cultum, atque vt Deos adorauerunt: si notarent solem primo die creari præ aliis plantis, adscriberent illi velut creatori hanc sine vlla disparitate gloriam: atque ideo vt constaret independentia quam ab eo habent arua & arbores terræ, sol non priùs producatur, quàm hæc plena sit herbisque vermiculata. *Ad quartum dicendum: quod præmittitur productio plantarum luminaribus, ad excludendam idololatriam. Qui enim credunt luminaria esse* Deos, *dicunt quòd primordialem originem habent planta à luminaribus.* Hæc ratio litteralis est & genuina, quæ dubium omne tollit, tantisque Doctoribus condigna.

Gen. 1.

III. Sol cur quarto die creatus.

D. Thom. 1. p. q. 70. arg. 1.

IV. Ratio prima.

D. Thom. vbi sup. a. 1. ad 4.

D. Basil. Hom. 5. in Examerον.

Porrò nostri discursus intentioni seruiat illa D. Seueriani. Primo die quo potentissima Dei manus se cognoscendã exhibebat ex huius visibilis mũdi vestigio, lucem efformauit & corpus eius, vt vidimus: cùm autem creationis solis illa esset intentio, vt terræ fructus eiusque plantæ abundè fructificarent: cùm illæ ante diem tertium nõdum essent productæ, cui sol seruiret? Inaniter creatus fuisset, aliisque non vtilis, effectum illum non communicans, in quem creatus erat: ergo non producatur. Profero eius verba. *Quia nondum erant terra nascentia semina, qua luminarium calore fouerentur.* Quid sol produceret, cùm nihil haberet quod hoc triduo operaretur: bene quidem quarto die: in illo namque habet cui suum impendat ministeriũ: tunc & non antea de diuinis prodeat

V. Ratio secunda.

D. Seuer. Catena in Gen.

prodeat manibus. In quem finem producendus est sol, Prælatus & anima, qui fulgentissimæ globis lucis non prosunt: cùm aliis creati sint & instituti?

Extollamus illud, considerando tempus creationis Angelorum, quando torrentes illi ex immenso illo Dei pelago profluxerunt: variæ sunt de hoc opiniones: nonnulli illis multa tempora ante hominem tribuũt: alij primo die creatos asserunt: illud de ipsis interpretati: *Fiat lux:* de lucidis spiritibus. Theodoretus aliam sectatur viam intento meo congruam: non fuerunt, inquit, creati, nisi creatis hominibus: sed vnde colligit hoc? Nota: iuxta sententiam Apostoli: *Omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis.* Si igitur non essent homines, quorum dedicarentur ministerio, vt quid illis priores crearentur? Satis mihi liquet (ô Pater eximie) dicet aliquis creatos illos tanquam Dei assistentes, eiusque laudes celebraturos: sed hac ratione posset aliquis ignorans præsumere illos ab æterno conditos: cùm Deus ab æterno fuerit, cuius præconia cunctæ celebrare debebant creaturæ: & quemadmodum Deus seipsum glorificat, nullius indiget naturâ quæ sibi in illo deseruiat. *Non indiget ergo Dominus Deus laudatoribus, quippe qui naturâ nullius indiget.* Et ita tenax opinionis suæ sic concludit. *At verò quo ministerio fungebantur Angeli, qui creationem præcedebant, cùm nullus esset qui indigeret, aut adiuuaretur eorum operâ.* In vanum itaque viuit qui aliis non viuit: & Prælatus & anima cuius donis à Deo receptis alij non participant, Deum in se habere non videtur: cùm eum in alios adiuuando non imitetur.

D. Thom. vbi sup. a. 1. ad 4. D. Basil. Hom. 5. in Exameron.

Gen. 1.

V. Ratio secunda.

Hebr. 1.

Nota. VI. Angeli creati post hominem.

D. Severi. Catena in Gen.

Theodor. in Gen.

Mihi valde arridet elegantia quâ noster Card. Thomas Georgius explicat apposité verba hęc Psalmistæ. *Exurge Domine in præcepto quod mandasti, & synagoga populorum circumdabit te.* Domine mi, labori manum appone, hominem assume, & si tui amorem nobis pręcipias, pateat homini amor hic tuus erga nos operibus confirmatus: atque ex hac tua diligentia *Synagoga populorum ci c mdabit te.* Nullus sequi detrectabit ducis illius vexillum, milites suos in acie præcedentis. Non parum hæret Doctor hic in verbo *Exurge*, aitque: quomodo: itáne homo vilis temerarius Deo suo imperare pręsumet: *Exurge Domine?* Túne miserabilis creatura omnipotẽti præcipies illud quod ex misericordia est operaturus? nullius quippe hoc iustitiæ debitum est quod possit contrahere. *Nónne videtur magna præsumptio quòd homo*

Ps. 7.

VII. Bene dicitur Deo: exurge.

Thom. Georg. in Psal.

homo putredo & vermis audeat clamare super Regē cælestium dominantem? Et cùm multū hoc sit, *Videtur maior præsumptio quòd sibi velit modum præstituere exurgendi in præcepto quod mandauit.* Dubium sanè valde difficile, hominem præsumptionis temerariæ reum, quis fortasse iudicabit, sed innoxius est: & si rationem quâ se excuset, audire velit, audiat loquentem Cardinalem. *Non fuit vtilitas exurgentis, sed necessitas excitantis: excitauit enim eum vt se liberaret & ab hostibus protegeret, cum tamen præsciret hoc fieri non posse sine magno ipsius periculo.* Non Deum homo vilifecit tale quid ab eo flagitans: se constrictum & sine refugio derelictum dolebat: quinimò patebat hanc sui reparationem Diuinæ Maiestati admodum fore laboriosam: auxilium nihilominus exposcit: & cùm in eo consisteret vt se hostibus venderet vitæ suæ licèt impendio, humilis nō imperiosus, fiduciâ plenus non præsumptione temerarius orat vt exurgat.

VIII. Nemo quidquam perdit aliis subueniens.

Clariùs loquamur: ita homo sibi persuadebat: Deus vniuersalis est Monarcha, cumque tantus in se sit, arma in mei defensionem oportet vt induat, cùm Deus meus sit & Dominus. *Exurge Domine.* Illis igitur modò satisfaciamus qui ex mera pusillanimitate cogitant quòd dū aliis succurrunt, & vel parum sui non recordantur, iacturam patiantur: quinimò ex istis somniatis iacturis lucrum colligunt & incrementum: & Prælatus qui hac motus intentione quietem suam intermiserit, multiplicabitur, sibique cumulos spiritualium acquiret diuitiarum. Notandus occurrit locus expēsus ab Alcuino quondam Caroli Magni Imperatoris præceptore. Accedit Deus sub figura trium Angelorum seu iuuenum ætate & viribus vigentium ad domum Abrahæ, filium illi promittunt familiæ suę propagatorem: at modum quo Patriarcha illos excipit attentè perpendamus. *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum.* Et confestim corpore & animâ prostratus vrbanè eos alloquitur: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum;* & tugurium meum dignitati tuæ non dignum ne dedigneris; *sed afferam pauxillum aquæ & lauate pedes vestros & requiescite.* Ego mensam vobis sternam & hoc modo iter vestrum prosequemini. Quid plura? de ipsis loquitur in plurali: *Stetit iuxta eos sub arbore, qui comederunt.* Itaque nunc illos nominat in plurali, *Lauate, requiescite* nunc velut vnum compellat: *Domine.* Dicito nobis ô Abraham quam in ministris illis Angelicis trāsformationem notasti? Supponamus cum multis aliis Doctoribus

Gen. 18.

IX. Angeli nūc in singulari nunc in plurali vocantur.

bus omnes apparitiones in veteri testamēto antiquis factas fuisse ministerio Angelorum. Modò Doctoris notemus responsum: modò vocantur Angeli quando descendunt ad homines, cum illis & in illis se demittente diuina Maiestate: & ita nominat illos in plurali. Sed ne quis suspicetur hac demissione deperdi quidquam: sciat ille tantum ipsos ab hoc abesse vt detrimentum aliquod suæ subeant dignitatis: quinimò mutantur, & honorandi sunt titulo Domini & Dei dum aliis benefaciunt. Proferamus eius verba. *Modò Angeli, modò Domini vocantur: quia Angelorum vocabulo exprimuntur qui exteriùs ministrant, & appellatione Domini ostēditur qui eis praeerat.* q.d. Cælestes erant spiritus, Deus autem mouebat eos, vt solarentur Patriarcham, & per hoc tantum crescebat eorum auctoritas, vt *modò Angeli, modò Domini* &c.

D. Dionys. L.4. de cæle. Hierar. D. Hier. in c.3. ad Gal. D. Avg. L.3. de Trin. c.11. D. Thom. 1.p.q.111.a.1. & 2.2. q.172.ar.2.

Ad illa verba Iob: *Factum est cùm venissent filij Dei* &c. id est Angeli, quærit D. Grego. Si Deo semper præsentes assistunt, vnde modò veniunt? Ab hominum custodia redeunt, eisque auxiliati sunt. Vrge rationem: & hoc tempore Dei num fruuntur aspectu? Nemo dubitat: quinimò si fieri posset, multò iucūdius *Mittuntur igitur & assistūt: quia per hoc quòd circumscripti sunt, exeunt, & per hoc quòd intus quoque præsentes sunt, numquam recedunt* &c. Deserat igitur iam facta Dei mater & consequenter electa ad bonum vniuersale, solitudinem suam Maria, tendat in Hebron: dum enim hæc materialia retro mittit & caduca, in se ad gradum extollitur sublimissimum: hoc autem est quod ante diximus: *Non igitur ad interiora sed ad exteriora surrexit.* Ad exteriora proficiscitur, atque in illo quod videtur descendere, vt cælestis ascendit Aquila, quam vates vidit Ezechiel: *Aquila grandis magnarum alarum.* Alis fulta sublimibus prædam tollit de Libano pectore, inquam, paterno. *Abiit ad Libanum*: vnde Verbū tulit. *Et tulit medullam Cedri.* Et confestim ne sola ei participet, illum aliis communicat: idcirco statim adiungit Propheta, quod *Tulit in terram Chanaan, in vrbem negotiorum*, & diuitum mercatorum. Quàm aptus hic titulus loco cōuenit in quo Baptista nascitur: cuius hoc omne studium fuit animarum lucrū: *Vt conuertat corda Patrum in filios*: ibi Christi præcursorem mediante matre iustificat. Quid addam? ô perclarissima Regina: cùm omnes tui sint subditi, tuum est misericordias cunctis infundere, ad omnes accurrere, & cunctorum efficacem esse reconciliatricem.

Iob 1.

Albinvs Flac. leg. alc. q.177. in Gen. To. 3. Bibl.

D. Greg. L.2. in Iob c.2.

Ezech. 17.

X. Maria exurgendo crescit meritis.

Luc. 1.

Modò capio phrasim quā Spiritus S: capillos Virginis cælestis

ſponſæ ſuæ regali confert purpurę: nec huic, quamuis poſſem, inhæreo: reginæ, Dominæ & Imperatricis ſunt cogitationes.
Cant. 7. *Comæ capitis tui ſicut purpura Regis*: ſed in eo quod ſequitur: *Tincta* ſeu *vincta canalibus*. Vt panni quibus Principes induebantur colore hoc flammeo tingantur: receptaculum quoddam paratur vbi ſiſtit, quod dicitur concha, & aliud per quod fluit, & dicitur canalis, cum hoc tamen diſcrimine, vt in vno detineatur & colorem imbibat, & in altero ſe diffundat. Et hoc eſt capillos eſſe deſideria & affectus Matris Dei: *In canalibus*: nec enim hæc hærent, ſed velociter procurrunt & feſtinè proficiſcuntur. Optimè & acutiſſimè D. Gregor. Mag. *Super canales aqua proijcitur: quæ veſtem Regiam currens tingit*. Ne verbum hoc: *Currens tingit*, nobis effluat: Intendit Deus Baptiſtam ſanctitate vitæ intingere: atque eo animo aquam effundit igneã (nam talis etiam inuenitur: *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris*) in diuino Matris ſuæ canali: currit, lauat, immergit, & Ioanni tincturam tribuit: nimirum confirmationem in gratia: *Currens tingit*.

XI. Explicatur hic locus.

D. Greg. in Cant.

Iſai. 4.

Epilogum habeat elegantia Cardinalis noſtri Georgij ad illud pſalterij. *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.* Pſ. 8.
Quatuor adducit rationes cur B. Virgo lunæ comparetur. Tres legendæ ſunt in fluminibus Paradiſi mei: quartam hic profert. *Virgo comparatur lunæ ratione benignitatis: luna enim habet hoc ſingulare, quòd apparet tam de die quàm de nocte: vnde ſecundùm Iſidorũ dicitur luna, Diana, eò quòd de die ac nocte appareat. Sic Virgo tam iuſtis quàm peccatoribus præſto eſt.* Singularis eſt hæc lunæ inter alia aſtra, proprietas: quòd quamuis Regina ſit & noctis præſideat tenebris, quas expellit, eos exhilarans qui mediis earum horroribus obambulant: etiam aliquando noſtris oculis de die lucens appareat: vnde & Diana dicitur ab Iſidoro: quia vtroque tempore lucet: ſic B. Virgo, ex ſententia præfati Cardinalis, Diana pulcherrima, nam filiis diei & lucis (ita D. Paulus iuſtos inſcribit: *Vt filij lucis ſitis*) Epheſ. 5. & noctis ac tenebrarum, id eſt peccatoribus lucet, colluſtrat, illuminat. Proficiſcere igitur paſtoralis & montana: quippe in his paſſibus noſtri conſiſtit ſumma remedij omniſque boni: Seraphinos vt pauimentum tuis ſubſternis pedibus, cui mortales omnes obligantur, quamque cognoſcunt omnes, vt omnium benefactricem.

XII. B. Virgo Luna eſt myſtica.

CON-

CONCIO IN EXPECTATIONE PARTVS VIRGINIS ET MATRIS DEI.

THEMA.

Aue gratia plena: Dominus tecum &c. Luc. 1.

SALVTATIO.

IRCVLVS venustissimus stellis decoratus splendidissimis cælum circumcingit: qui ob candorem ab Astrologis vocatur *Circulus lacteus*, vel *orbis lacteus*, aut *via lactea*. Per quam vt Gentiles fabulabantur velut fastuoso ac pompatico curru falsi illorum Dij adueniebant, cum hominibus conuersaturi. Quis mihi fortè dixerit, quòd licet fictitius sit & fabulosus, ideò tamen inuentus sit, vt humana diuinis, & Gentiles deseruirent Christianis. Vmbra est trium lucernarum, quæ hodie lucent in tribus festiuitatibus ab Ecclesia celebratis, renouando solemniter memoriam Incarnationis, spem propinqui iam partus Mariæ, atque in hac plusquam cælesti Regina, supremam dignitatem, nec non eminentissimam celsitudinem matris fecundæ Virginisque purissimæ: circulus hic orbisque est integritatis, cum quo cælum purissima sua largitur viscera: video iam circumcinctam *via lactea*, viam per quam verus viuusque Deus in terram descendit hominemque assumpsit: *In similitudinem hominum factus, &c.* In brachiis eius mũdus calamitatibus obrutus, tenebrisque immersus expectat breuî solem orientem iustitiæ. Doctissimus Idiota Mariam inscribit *Thesaurariam gratiarum Domini*; gratiam igitur nobis obtineat, quâ condignè & vtiliter de gloriæ eius crepusculo, iã orientis, disseramus. *Aue Maria.*

IDIOTA *pro leg. in l. de contemplat. Mariæ.*

Dis-

Discursus I. *Verbum æternum spes fuit, desiderium & desideratus: Angeli & homines ardenter sperabant videre illum virgineis Mariæ gestatum brachiis, fotumq; amplexibus.*

ARdentissimis incalescit flammis Phœnix singularis Maria virginitatis exemplar, vt Verbum æternum cuius arca & tabernaculum cælestia eius erant viscera, suis videat constrictum brachiis. Auebant videre diem hunc cælites spiritus & homines, sed his & illis multò feruentiùs, illa quæ illius vrgebat aduentum, Maria fuit. Argumentum hoc assumamus, probantes; quod nedum captiui miserique filij Adam, vtpote damnum passi grauius, votis illum omnibus exoptarint, sed Angelici quoque spiritus, qui iam ex visione Dei erant beati. Messias multis in locis S. Scripturæ vocatur desiderium & desideratus: *Desiderium collium æternorum*, dixit Iacob: sponsa verò: *totus desiderabilis:* vel vt tres legunt Patres: *totus desiderium:* Prædicit Vates Aggæus: *Veniet desideratus cunctis gentibus.* Totus & solus Dei filius, desiderium amorque omnium: ita vt omnium affectus, sollicitudines, preces, lachrymæ, vota que in diuinam Maiestatem tanquam in finem centrumque dirigerentur.

Gen. 49. *Cant.* 5. *Agg.* 2.

Gratulemur in hoc Angelis, & de ipsis primùm probemus, quòd hoc numero comprehendantur, atque ipsum Christum videndi summo æstuauerint desiderio. Cùm ex matris Rebeccæ consilio Iacob filius eius foras secederet, quem vnicè diligebat, in domum auunculi sui Laban, quo interim tempore fratris sui Esau conceptum in ipsum temperaretur odium furorque tepesceret ob mysticum benedictionis paternæ furtum: benignum adfuit cælum in mirabili illo somno, beneficiis suis illum affatim cumulans: vidit etenim scalam cuius gradus & ascensus continuus Angelorum honorabat ascensus & descensus (quam ipse Christus de seipso interpretatur, ne frustrà nos in eius diu multùq; laboraremus explicatione. *Amen dico vobis, videbitis cælũ apertũ & Angelos Dei ascendentes & descendentes suprà filium hominis.*) Occurrit illis D. Chrysost. sua speculatione celebris, eosque interrogat. Quò tenditis ô cælicolæ spiritus? Peregrinus & fugitiuus, qualis hic, in hoc dormiens campo, vósne tantùm excitat, vt relictis stationibus paradisi dulcissimis, tanta illum festinatione visuri descendatis, & quasi vobis tempus defuturum sit & locus, ascendunt

I. Angeli in scala apparent Iacob gratulantes.

Ioan. 1.

cendunt illi, noua ferunt, descendunt alij, cælumque habitatoribus euacuatur? Quid in hoc notatis dormitabundo, vt illi somnum seruetis pacatissimum? Considerant in Iacob carnem quâ induendum erat Deus Verbum, & sicut homines amore prosequuntur, ita summopere optantes illos habere socios, etiam desiderant præuenire tempus suis anheli desideriis & antequam Deus Patriarchæ assumat sibi insigne vestimenti, accedunt illi congratulaturi: etenim amanti proprium est, & cui perspecta est amati fausta fortuna, citiùs aduolare, adesse primum, qui præueniat alios illi fausta acclamaturus. Nota est Angelis optima sors Iacob, & cùm iudicent volatum suum nimis morosum esse, alas nimis tardas, locumque nimis dissitum, scalam statuunt intermediam, vt se per gradus illius præcipitent, optantes videre completum id quod ipsi similiter totis optant vouentque præcordiis. Non me cõtineo, quin D. Chrysost. verba proferam: *Iste semper amantium mos est, & cupientium solita consuetudo, vt nec tempus expectare didicerint, sed festiuo amoris ardore & delectatione præueniant constitutum: ideò ascendunt, ideò descendunt, & cum omni festinatione nouum & incredibile spectaculum videre desiderant.* Numquid in Angelis feruores notastis & amoris æstus: *Festiuo amoris ardore?* Quis desideria eorum votaque non considerat. *Videre desiderant?* Angeli corpore & anima non constant, toti spiritus sunt, & intellectu diuinâ fruuntur essentiâ, & habere vellent oculos carnis, quibus obiecto corporeo, corporeis possent gaudere potentiis. Iudica num illum desiderauerint, quandoquidem modò viderent illum hominem, oculos optarent carnis, ita tamen eorum subtilitati contrarios.

I. Angeli in scala apparent Iacob gratulantes.

Ioan. I.

D. CHRYS. Ser. de Ascens. circa finem.

II. Tres species Martyrum.

Ex prædictis innotescit mihi titulus quo D. Bern. honorat D. Ioannem Euangelistam. Supponit hic tria esse genera Martyrum in Ecclesia: Martyrum voluntatis & operis; hi fidem protestantur, pro quâ sanguinem vitamque fundunt constantissimi. Exemplum statuit in Protomartyre Stephano Duce & antesignano Martyrum in lege gratiæ. Martyres alij sunt operibus, quales fuisse colimus Innocentes, quibus ob puerilem ætatem voluntas defuit pro Christo moriendi, morte sua actuali vitam Redemptoris defendentes. Porrò D. Ioannes dilectus Christo discipulus licèt ex venis suis nullum effuderit sanguinem, siquidem dici possit quòd illum in lachrymas mutauerit quas ad pedem crucis effuderit abundantissimè, non illi neganda est corona, laureaque mar-

martyrij: talis enim fuit apud Angelos, & illi soli comprehendunt, nobisque possunt martyrij eius modum explicare. *Joannes apud Angelos Martyr, quibus tanquam spiritualibus creaturis, spiritualia deuotionis eius signa certiùs innotuerunt.* Cur igitur si D. Ioannes gladio non occubuit Herodis, sicut frater eius Iacobus. *Occidit autem Jacobum, fratrem Ioannis gladio:* Nec cruce suspensus cum D. Petro, interiit, nec capite truncatus vt D. Paulus, nec alio mortis genere (quo plurimi discesserunt) vitam suam absoluit, si apud homines martyr non colitur, vbi tales sunt qui illo gaudent priuilegio: quâ ratione fieri martyr potest inter Angelos? Quid incorporeæ illæ substantiæ de corporeis intelligunt tormentis: qui namque ignorat caretque subiecto quomodo pati potest? Nihilominus eleganter dicit D. Bern. *Joannes apud Angelos Martyr.* Quia sicut tanto feruens affectu mortem oppetere pro Magistro suo desiderabat, nec hoc suum vidit impleri desiderium; ita Martyr fuit ex desiderio, tormentum passus est ex spe procrastinata. Soli Angeli possunt hoc pro rei dignitate appendere: velut illi, qui quamuis spiritus gloriosi, fuerunt etiam Martyres, ex anxio feruentique desiderio, videndi creatorem suum hominem factum & in terra conuersantem.

D. BERN. *in Natali Innocen.*

Act. 12.

III. Ioannes Martyr inter Angelos.

Fuit etiam, & fortiori ratione desideratus cunctis gentibus. Victorinus Episc. Pictauiens. applicat grauissimos partus dolores, quibus D. Ioan. in sua Apoc. mulierem illam cælestem vidit torqueri, veteri Synagogæ, eiusque Patribus, atque affectui quo flagrabant videndi Dei Verbum. *Mulier autem amicta sole &c. Parturiens in doloribus suis: antiqua Ecclesia est Patrum & Prophetarum & SS. Apostolorum, quæ gemitus & tormenta habuit desiderij sui, vsquequo fructum ex plebe sua secundum carnem olim promissum sibi, videret Christum, ex ipsa gente corpus sumpsisse.* Prophetæ & iusti ad Christi suspirantes aduentum, martyrium passi sunt atrocissimum: si namque legis gratiæ Martyres superarunt cruces, equuleos, harpagines, vncinos, gladios, ignes: desiderium tanto dilatum tempore, quis prohibet, nos vocare crucem, quæ torquet, cur non titulum illi demus ignis comburentis, gladij obtruncantis: vno eodemque prædicamento, spes non obtenta, pœnaque comprehenduntur. Tormenta desiderij ea vocat D. Gregorius, & testimonio confirmat Salomonis. *Cunctis etenim liquet, quod omne desiderium, pœna est cùm differtur, Salomone quoque attestante, qui ait: spes quæ*

Gen. 47.

VICTORIN. *in Apoc.* 12. To. 1. *Biblio. S. Pat. in fine.*

IV. Desideria pœnæ sunt.

Gen. 48.

D. GREG. L. 9. *Mor.* c. 20.

Prou. 13.

quæ differtur affligit animam.

Rogauit Patriarcha Iacob extremâ vitæ suæ horâ à filio suo Ioseph, instantiâ magnâ, imò extorquens ab illo iuramẽtum: *Non sepelias me in Ægypto* (vbi morior) *sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac.* Et considerans vt erat vir prudentia perspicax; quod Ioseph illi posset obiicere. Vt quid tot faciendæ translationi corporis eius expensæ: si moriente illi sponsa ac matre Ioseph Rachel prope ciuitatem Ephratã, id est, Bethlehem, ipse illam eodem in loco tumulo cõtexerit, nec vlteriùs detulerit ad sepulchrum Abraham, Isaac, Saræ & Rebeccæ; deinde cum non nisi sex leucis hic locus ab altero distaret, vt asserit Liran. præuenit illum Iacob tacitæque respondet obiectioni cap. sequenti: *Mihi enim quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan, in ipso itinere.* Videtur enim his verbis se apud filium de hoc excusare. Audiamus Liran. *Hic subditur ipsius Iacob excusatio. Perpenderat enim per aliqua signa, quòd Ioseph mirabatur de hoc quod Jacob cum tantis sumptibus volebat portari corpus suum ad speluncam duplicem in Hebron: & maximè quia Rachel mater sua, quæ fuerat vxor Iacob prædilecta, non erat ibi sepulta: & ideo Jacob volens super hoc pacificare Ioseph, dixit: Mihi enim quando veniebam &c. id est: necessitas me compulit.*

Gen. 47.

Gen. 48.

V. Cur Rachel sepulta prope Bethlehem.

Fuit quidem hoc, quòd Rachel illo in loco sepulturæ tradiderit, necessitate factum, ordine diuino, & cælesti dispositione; sed ostendamus hîc latuisse mysterium, vt ex eo ad argumenti nostri responsionem accedamus. Apprimè noui quòd doctissimi Hebræi citati à Lirano affirment, quòd prænoscens Iacob spiritu collustratus prophetico, qualiter decursu temporis Nabuchodonosor euersurus esset ciuitatem Hierusalem, populumque Dei abducturus in captiuitatẽ, vt rei probauit euẽtus: Cùm autẽ necessariò transeundum illi esset per sepulchrum Rachel, ipsa misericordiam postularet suis concedi posteris; atque ex ipso sepulchro diuinam imploraret clementiam; & auditi sint tristes eius gemitus, planctus, vocesque lamentabiles, ad quas vates Hieremias alludit: *Vox in excelso audita est, lamentationis, luctus & fletus Rachel plorantis filios suos.* Quòd si ita sit, diuinam expende precor pietatem, quantaq; apud Deum amici eius valeant auctoritate: cùm deferat etiam frigidis eorum cineribus, eisque tantam tribuat virtutem, vt flagellum illi de manibus eripiant intercessores.

LIRAN.

4. Reg. 25.

Hierem. 31.

Dicunt alij sepultam illam in itinere, & transitu: vt enim in-

signis fuit miraculum pulchritudinis, epitaphium: hîc iacet sepulta Rachel, peregrinos viatores admoneret mortis, cuius inexorabili falci vectigal tributumque soluit mulieris pulchritudo quâ nulla gratior: quocirca vt inordinatos refrænet appetitus optimè hîc omnium iacet exposita conspectibus. Verumtamen proposito meo conformius lucem præbet Glossa Ordinaria mihi necessariam, quâ ad mentem meam non leuem inuenio confirmationem: *Fortè prophetìcè commemorans ibi sepultam esse matrem eius, vbi erat Christus nasciturus.* Sufficiebat ad anxium Iosephi animum sedandum de matre sua honorabiliori sepulchro contegendam, quòd diceret illi Pater: sepeliui eam iuxta Bethlehem, oculis fidei prænoscens illic Deũ factum hominem in mundum proditurum: q. d. Ne animum induxeris, fili mi, ossa dilectissimæ mihi Rachelis carere debito honore sepulturæ; quinimò gaudent non vulgari, cum proxima ad muros felicissimæ illius vrbis patriæ Verbi incarnati: prima perfruetur, licèt nunc in puluerem conuersa, desiderij complemento, quo nimis æstuans martyr occubuit, magis quàm ex partu fratris tui Beniamin: quia verò occumbere proximè Bethlehem, eius videre domos, habitaculis eius adiacere,

GLOSSA ORD.

nec tamen conspectu frui Regis gloriæ, qui eodem in loco se esset visibilem manifestaturus, tormentum fuit illi pœnaque grauissima; vertatur illi in gaudium, ad Redemptoris aduentum, adsitque tantæ vicina beatitudini: nec enim inferiori potest præmio compensari affectus, qui vitam abstulit æstuantissimæ: *Vbi erat Christus nasciturus.*

GLOSSA INTERLIN.

Emitte agnum Domine, dominatorem esse de terræ deserti ad montem filiæ Sion, & erit sicut auis fugiens, & sicut pulli de nido auolantes. Hanc ore omnium Isaias orationem Deo proponebat. *Emitte*, Domine filium tuum, agnum, hoc est etenim petere hominem mansuetum, pium & benignum. In plurali legunt Hebræi, *Mittite:* cum cælis ipsis, sicut alio loco postulat: *Rorate cæli desuper.* Modò cum Deo: cuius vnitatem essentiæ significat illud *Mitte* & Trinitatem personarum hoc *Mittite.* Veniat de petra deserti: hoc quippe nomine notatur ciuitas illa, vnde orta fuit Ruth Moabitis, quæ viro nupta illustri Booz ex illo filium genuit Obed patrem Iesse vel Isai: hic Dauidem genuit ex quo secundùm carnem descendit Christus. Vel secundùm alios per desertum intelligitur cælum, quo sensu interpretantur parabolam de pastore, qui relictis ouibus nonaginta

Isai.16.

VI. Eremi & solitudinis laus.

D. BASIL. *de laudib. vitæ solitariæ.*

Isai.45.

Vide Expositores.

Luc.15.

naginta nouem in deserto, secessit ouem centesimam aberrantem, quæsiturus. Quod sic Glossa interlinealis explicat: relictis à Deo (si fieri potuisset) Angelis suis & infinitis aulæ Principibus venit in mundum causâ salutis hominum: *Angelicam naturam in summa beatitudine existentem quasi reliquit, dum seipsum exinaniuit.* His addit Caietan. *Desertum autem, cælum est, separatum omnino à nobis.* Sed non obstante distantia stare potest solitudo, quæ species quædam est & figura gloriæ. Legant qui creaturas fugientes solùm inuestigant quæruntque Deum creatorem, quod de vita solitaria præclarè scripsit D. Basil. (quâ vbicumque volueris gaudere poteris, si tua cum solo Deo sit conuersatio) *Solitaria vita schola est ac diuinarum artium disciplina: illi Deus est totum quod discitur, via quâ tenditur, totum per quod ad summæ veritatis notitiam peruenitur. Eremus nempe est paradisus deliciarum &c.* Vbi non nisi de Deo agitur, cum Deo sit colloquium, via est per quam peruenitur ad fornacem in quâ vasa coquuntur terrea, vt in eius mensa proponantur: officina virtutum: arena in quâ contra diabolum initur certamen & prosternitur: quid plura? Thalamus est nuptialis vbi Spiritus S. animæ tribuit arrham, annulum, manumque sponsi. Vt autem hoc vnico exprimat verbo D. Bern. sic ait: *Experto crede: aliquid plus inuenies in syluis quàm in libris.* Hæc deserta, solitudines, locaque humanis oculis abscondita, & inculta manibus multò maiorem attulerunt mihi vtilitatem (*experto crede*) quàm omnium lectio librorum, quorum litteræ mortuæ sunt, opera verò hæc viua sunt, quæ me Deum docent. Congruenter igitur cælum dicitur desertum.

Glossa Interlin.

VI. Eremi & solitudinis laus.

D. Basil. de laudib. vitæ solitaria.

Plura adhuc postulat Isaias: vt veniat scilicet ad montem filiæ Sion ad sacratissimam Mariam montem vmbrosum Sion: id est, *Aceruus*, ad illam cui cumulus est excellentiarum & cõgeries summa virtutum. Quem dum iam cernit virgineis latentem visceribus, hortatur vt vmbraculum cælestemque nidum deserat, quo in illis ita iucundè delectatur: *Sicut auis fugiens, & sicut pulli de nido auolantes.* Prodeat in lucem, illumque mortales intueantur: iam enim mundus tantæ spei pondere grauatus contabescit: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: quando consolaberis me?* Illi verò *Quando*, respondet Euangelium, hoc *Missus est Angelus Gabriel.* Tunc infrà nouem menses venturus erat, nunc autem elapsis paucis diebus. Ps. 118.

Discursus II. *Talis fuit Virginis sollicitudo & desiderium & merita, vt huius mysterij meruerit accelerationem, & nonnullæ adducuntur rationes mysticæ septem illarum Antiphonarum, quas hisce septem diebus cantat Ecclesia, & incipiunt ab O.*

NIhil in eminentissima illa Virgine Maria notabatur, quod non erat continuus quidam excitator, motiuumque efficax, quo Deus humanam assumeret naturam: & talis fuit eius pulsus, quo virtutum suarum impetu pulsauit, vt ipse Deus seipsum describat ad portas Mariæ pulsantem & clamantem: *Aperi mihi soror mea sponsa, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quis clamoribus perstrepit, quis postulat intromitti? venit caput meum (hoc est ipsa Diuinitas: *Caput Christi Deus*) rore conspersum, & cincinni humanitatis aquas distillant. Enodemus hoc ex paraphrasi Chaldaica, quæ hoc lachrymis & desideriis adscribit B. Virginis ardentioribus: *Quoniam capilli capitis mei pleni sunt lachrymis tuis, sicut vir cuius capilli tinguntur rore & cincinnus cæsariei meæ repletus est guttis oculorum tuorum.* Hac similitudine clariùs capiemus. Tota pluit nocte imbre vehementissimo plenisque hydriis (vt habet Prouerbium) canales profluunt abundanter, aquæ ductus aliquis in tuum depluit lectum, vel insensibilis es vel cadauer, si à somno non exciteris, locum mutes, & è strato velox prosilias: si namque talis non esses, quis canalis huius fluxum patiatur? Metaphoricè Dauid Deum vocat quasi somno sepultum: *Exurge, quare obdormis Domine,* id est, precibus nostris votisque aures occludis, & quasi humanæ non recordareris necessitatis. *Exurge Domine.* Idem alio loco repetit, quod Glossa Interlin. interpretatur: *Dormit cùm in secretis suis latet incognitus.* Abscondit se, nec nobis optatum adfert solamen, faciendo se ex inuisibili visibilem, in sinu æterni Patris sui viuit cor suum dans quieti, id est, filium suum in æterna quietudine, an illum aliquis est excitaturus, & adducturus? Omnino: Sola Maria. *Vulnerasti cor meum.* Quid mirum, si *Excitasti.* Pluuia lachrymarum ex Mariæ depluens oculis, abyssus affectuum quos emittit, feruentia viuaque desideria, canales sunt & aquæ ductus ad cælum vsque pertingentes, paternum impetunt pectus, filius aquas illas percipit, suumque accelerat aduentum, & si Maria fores pulset gloriæ, ad Mariæ portas clamat Deus, pul-

Cant. 5. — Paraphrasis Chald. — I. Maria Deū dormientem excitauit. — Similitudo. — Psal. 43. — Glossa Interlin. in Psal. 7. — Cant. 4.

pulsus sui clamorisq; assignans rationem. *Aperi mihi: quia caput meum plenum est rore.* Adest mea diuinitas, sed tuis ô Virgo deuicta affectibus, humanitatis plena feruentique desideriis, vt hac veste tuis contexta manibus induatur.

Idcircò comparauit labia Virginis vittæ quæ constringit. *Sunt vitta coccinea labia tua:* legunt Septuaginta *Funiculus coccineus.* Et ait Philo Carpasius quòd alludat ad id quod contigit Rahab: suspendit enim ad fenestram domus suę funiculum coccineum, tanquam signum ex quo domus nosceretur immunitatis gaudere priuilegio, ne quis militum Israël vrbem Hiericho, delapsis muris, gladio cædente ingressus cuncta demoliturus, domum eius intrare præsumeret: etiam consequenter dixero sic verba hæc Spiritus S. intelligenda: Sponsa mea, labiorum tuorum apertio medium fuit efficacissimum veniendi in mundum, mundum à mea redempturus indignatione, cuius Rahab figuram exprimebat.

Cant. 4. Septvag. Philo Carp.

Aliquid ampliùs dicturus nobis est Aponius: *Vitta coccinea mitra dicitur, quæ colligata pendebat in capite Aaron summi Pontificis legalem demonstrans insignem honorem:* & in noua lege Vicarij Christi. Quænam igitur erit comparatio inter linguam B. Virginis ad epigraphen Sacerdotij, & insigne summi Pontificis ex eius fronte dependens? Iam dictum est oculisque patet: verba scilicet S. Virginis ea fuisse quæ summopere Deum impulerunt: labia illius ipsum euicerunt, vnus oris consensus vnum *Fiat* illius, capiti eius Coronam imposuit, & velut Regina Regem duxit captiuum.

Apon. L. 6. in Cant.

Docet Doctorum antesignanus D. Thom. quòd spes vna ex tribus Theologicis virtutibus pro obiecto, & ratione formali quatuor habeat conditiones. Bonum arduum & difficile obtentu: non præsens sed futurum, & possibile. *Bonum arduum futurum & possibile.* Deus summum & omne bonum promiserat iureiurando quòd humanam assumpturus esset naturam. Porrò residebat in altissimis, nec erat qui illum eo de loco dimoueret. Quàm excitati erant Angeli in cælo, & iusti in limbo, vt attenti cernerent ad quam Archangelus Gabriel accederet: considerant videntque quod ad Mariam Virginem, quâ consensum præbente: *Ecce Ancillæ Domini, fiat mihi* &c. Immutabilis, nullam passus mutationem mutatur, æternus fit temporalis, & Deus homo. *Posuisti vt arcum æreum brachia mea.* Brachia adeò robusta, arcus, sagittæ: quandoquidem vnico *Fiat* diuina perficiat stratagemata.

D. Thom. 1. 2. q. 40. a. 1. in corp.

II. Spes quatuor includit rationes.

Ps. 17.

De

D. Hier. L. 1. aduers. Iouinian. III. Historia.

De Claudia Virgine Romana narrat Diuus Hieronymus quod Nauim in rapidissimo Tiberis fluuio sic immotam hærentem, vt nulla vi humana loco dimoueri posset, vittam illi alligans quam è collo suspensam deferebat, mouerit, ad talia toto stupente mundo: quo Deus facinore honorare dignatus est etiã inter Gentiles virtutem dignitatemque castitatis. Quàm fortiter diuina hærebat Maiestas immobilis, vt eam de throno suo nullæ potuerint dimouere preces, supplicationes, vota, lachrymæ, blanditiæ & multorum obsequia amicorum, quos habebat in mundo sibi deuotissimos; Maria funiculum linguæ suæ coccineum affigit illi, & ecce Deus eam sequitur quasi ligatus.

IV. Maria de congruo meruit Incarnationem.

Hinc colligo meritorum eius efficaciam, & quantum natura nostra humana Virgini debeat Mariæ, quod ex doctrina Doctoris Angelici liquidius innotescet. Concedamus & iustè quidem mysterium Incarnationis filij Dei opus fuisse gratuitæ diuinæ liberalitatis, sic vt nullæ interuenerint obligationes iustitiæ siue de condigno ex parte creaturarum; verumtamen talia fuerunt tantaque Virginis immaculatæ merita, vt ea coram Deo grata fuerint, accepta & congrua, vt carnem assumeret: adsunt diuersa loca quibus hoc confirmetur. Dum Israeliticus populus captiuus detinetur in Babylonia conspexit vates Ezechiel iuxta fluuium Chobar aperiri cælos, & thronum quo vehebatur, ostentans amorem qui amor est: animalia illa sancta huius throni currusque vectores, vt fulgura radiantia. *Et animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis, & rota in medio rotæ.* Ezech. 1.

V. Allegoria.

Qui autem curru residebat regio sublimis facie electrum referebat. Extorres hac visione solari conabatur, dolorem mitigans ex repræsentatione Messiæ mœroris illorum centri, humanarumque fini miseriarum: vt enim dicit Rupert. *Visiones istæ Dei, reuelationes sunt aduentus Christi filij Dei.* Vidit illum Ezechiel instar electri: nam secundum D. Gregor. Magn. mixtura est & compositum ex auro & argento, in quo aurum temperatur, mortificatur & absconditur, nec tamen vel atomum de sua perdit æstimatione siue dignitate: argentum autem qualitates induit auri: q. d. Deus & homo: dum Deus humanatur, & homo ad Deum extollitur. Præstat eum audiamus. *In electro aurum argentumq́; miscetur: & per argentum auri claritas temperatur, & per auri claritatem species clarescit argenti. Sic in Redemptore nostro diuinitas per humanitatem nostris oculis temperatur.*

Rupert. L. 1. in Ezech. c. 3.

D. Greg. In Ezech. in Gloss. Ordin.

peratur, & per diuinitatem natura clarescit humana. Vel ex aliorũ Doctorum censura: electrum est quod attrahit velut succinum & attollit in altum paleas aridas: quia mediante vnione Hypostatica nostræ mortalitatis fœnum sublimaret: *Omnis caro fœnum*, ad diuinam essentiam. Thronus hic Dei, Virgo est Maria quæ duabus trahitur rotis, eũ excitans vt qui fortè lento venturus esset pede, festinanter adesset; si tardè, statim: si vnicâ tractus rotâ, duabus iam ad iter traheretur.

Isai. 40.

VI. Allegoria.

Fortè quis mihi dixerit mysterium hoc exponi dum ad vesperas huius intemeratæ Virginis septem inchoantur Antiphonæ per O litteram affectus indicatiuam (vt testatur Durandus Episc. in suo Rationali) per quam desideria votaque & preces repræsentantur antiquorum Patrum; etenim per Mariam velut per immediatam mediatricem spei ipsorum optata erat ventura possessio. Præcepit olim Deus Iosue duci populi sui primario, vt ad euersionem altorum fortiumque murorum Hierico, nullis admotis machinis, nullis adhibitis instrumentis bellicis septiduo muros vrbis circuirent; clangentibus vndequaque tubis: septimo verò die nulla fieret alia diligentia, quàm vt secũ ducerent Arcam fœderis Domini; ad cuius pręsentiam muri cęmentarij prosternebantur, & nullo occurrente obice, milites libero pede ciuitatem inuadebant. Hæc sunt verba præcepti: *Septimo autem die Sacerdotes tollent septem buccinas, quarum vsus est in Iubileo, & præcedant Arcam fœderis.* Hierico interpretatur luna ex mente D. Gregorij: & etiam mensis, in expositione nominum Hebræorum in Bibliis, & omnia coniungẽdo dicetur luna quæ est in mense. Ordinaria phrasis est hæc & modus loquendi mulierũ ad partum vicinarum: quòd sint in mense suo. Virgo illustrissima Arca est fœderis Domini: hoc quippe nomine frequentiùs à Sanctis intitulatur: & luna est formosissima cæli Ecclesię: quòd autem diuina hanc intrauerit Maiestas, satis euidenter patet: quandoquidem infra octiduum nobis solem proferet iustitiæ: quod ergo remedium vt obstacula, muriquе ingressum huius ciuitatis impedientes euertantur & corruant, intret autem in mundum ortus sui spolia collecturus? Hoc quod eo tempore contigit in Hierico: nam septies cecinerunt buccinis veterani Sacerdotes: & nostri similiter has septem insonent Antiphonas (nam vt figura veritati respondeat, præcepit Iosue: *Vociferamini*) atque ad Arcæ præsentiam & Mariæ conspectum, ad transitum Virginis illibatæ, muros

Dom. 4. Adu.

Iosue 6.

D. Greg. Ho. 2. in Euang.

ros videbimus prostratos & euersos, qui nos à Deo diuidebant & separabant: Vt qui tanta aberat intercapedine, vicinus ita videatur & benignus vt ipsi rudes & hebetes pastores ianuã inueniant apertam, ingressum liberum, omnibusque per Mariam latissimum.

VII. Historia. Prophanæ testantur historiæ Regem Syriæ Antiochum legatum misisse Ptolomæo Monarchæ Ægypti pacis fœdera postulantem: cui tale dedit responsum. Ego negotium Concilio meo communicabo: Legatus hic erat dux inuictus Pompilius: fecit hic baculo castrensi ad Regis subsellium circulum rotundum & ait: Nulla hîc trahenda mora, preces vlteriùs non differendæ, nec multa tractanda consilia, in negotio ita iusto: priusquam enim hoc circulo excesseris, responsum à te scias esse dandum. *Antequam hunc circulum excedas, da responsum.* Et confestim Rex pacis annuit conditionibus. Quot effluxerunt anni, imò sæcula transierunt nec tamen promissi nobis facti est data perfectio. *Expecta, reexpecta modicum ibi, modicum ibi:* & alius Propheta. *Si moram fecerit expecta eum.* Nihil aliud audiebatur hominibus iniungendum, quàm vt expectarent: nulla proferebantur merita, nullæ virtutes, quæ Deum hoc circulo comprehenderent: donec Virgo hæc apparuit: de qua vaticinans Hieremias ita præludit: *Femina circumdabit virum.* Hierem 31. Quâ visâ, sese submittit, pacis nectit fœdera, venitque Saluator.

Hic fuit ille Angelus fortitudine præstans quem vidit D. Ioannes de cælo descendentem. Gabriel dicitur *Fortitudo Dei: Et iris in circuitu eius.* Apoc. 10. Quæ ob colorum concurrentium varietatem, significat vnionem duarum naturarum inter se valde diuersarum: diuinæ scilicet & humanæ: quando namque viderentur in vno circulo simuque purissimæ Virginis Mariæ vnitæ: signum foret diuinæ reconciliationis, quodque se Deus traderet in trophæum Mariæ, Matri & Virgini: quam etiam non incongruè circuli repræsentant, O O: formantur hi ex punctis inter se vnitis, cum in reliquis feminis luna deficiens sit, & cornuta, vel mater sit, vel virgo: porrò in Maria luna plena: nam in orbiculari rotunditate vnitur, vt pius cecinit Poëta: VIII. Virginitas Mariæ per O denotatur.

Partus & virginitas discordes tempore longo:
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Quocirca vocari festum O idem est ac trophæum omnino singulare, & priuilegium soli Mariæ Matri Virginique dedicatum.

Contra perfidos Tendium & Hæladium Hæresis Iouiniani restau-

restauratores Virginalis pudicitiæ detractores, diuinum adfero symbolum huius Catholicæ veritatis, coronam illam, seu circulum auri purissimum, quo Deus Moysi præcepit vt arcam coronaret, in qua continebatur manna, intus & foris deauratam & coronatam. *De- aurabis eam auro mundissimo intus & foris: faciesq; supra coronam auream per circuitum.* Hoc patet in Virgine purissima. Coronauerat Deus omnes partes sanctissimi eius corporis toto solari lumine. *Amicta sole:* plantas eius cælestes, lunâ, quasi scabello pedum eius. *Et luna sub pedibus eius:* caput duodecim ornauerat splendidissimis stellis: claro certè & pretioso diademate: *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Oportebat adhuc & locum sedemque coronare, in qua manna latebat, panis Angelorum, ventrem scilicet virginalem; illum igitur coronat littera O: nam in illa nobis prædicat Ecclesia castam Mariæ virginitatem, & maternam fecunditatem.

Exod. 25.

Apoc. 12.

VIII. Virginitas Mariæ per O denotatur.

Ex ebore omnium candidissimo & Sapphiris cærulei coloris interlucentibus ventrem eius describit Spiritus S. *Venter eius eburneus distinctus sapphiris.* Virginitas etenim Mariæ tota cælestis prædicatur & diuina. Sed translationem admittamus quæ declarat, respondétque nostri discursus argumento, idque eleganter concludit. *Venter eius cingulus medius, in quo sunt similitudines siderum.* Zodiacus, quē Astrologi vocant cingulum quendam formosum, stellis decoratus hos circumcingit cælos, & sol inter hanc discurrens lineam, septem habet planetas velut septē sibi domos, ex quibus quasi principiis, mittit in hęc inferiora suas influentias, ad rectam huius machinæ directionem. Zodiacum hunc quid aliud esse dixeris nisi viscera Mariæ: ex illis etenim Deum cingendo sol iste iustitiæ procedit, cursum suum perficiens vt in terram influat non inferiora bona quàm seipsum; vt autem omnes probè nouerint cuncta Mariæ cælesti huic Zodiaco adscribenda, connectit Ecclesia has septem litteras O, septem habitacula, septem circulos, quæ virginem hanc coronant, ex quibus hæc solemnitas festum vocatur O.

Cant. 5.

Discursus III. *Exponitur quomodo bene dicatur festum hoc expectationis Virginis, cùm secum haberet Deum: quandoquidem possidere & expectare eodem tempore contradicat.*

DEsiderium & spes in absens dirigitur, possessio verò præsentiam indicat. *Quod enim videt quis, quid sperat?* cùm autem Deum Virgo possideat, quomodo Deum dicitur expectare? Charitas virtutum regina adeò liberalis est, vt sociam sibi spem impellat, bono non esse contentam, quod possidet, nisi & aliis quoque idem dari exoptet: vnde illud sibi possidens, idē aliis desiderat: quibus cùm defuerit sibi deficere arbitratur: amor etenim communes reddit possessiones, vel desideria. *Charitas non quærit quæ sua sunt*: Sancti qui beatifica Dei visione perfruuntur, toto feruoris impetu desiderant, & omnes illa gaudere posse visione: ita vt & sibi Deum possideant, mihique illum sperent auidissimè. Quàm eleganter expressit hoc spiritus Richardi. *O præsens absentia, & absens præsentia eius qui simul & perditur & habetur.* Inuenitur præsens quædam Dei absentia, & absens præsentia: quando scilicet electi vident quod ceteri Deum non habeant, sicut ipsi: & hæc fuerunt desideria Virginem

I. Charitas proximo bonū quod possidet, etiā optat.

RICHARD. VICTOR. *de grad. charitatis c. 2.*

Mariam possidentia. Præclarum aliquid asserit sol Africæ D. Cyprian. Huic insistit, quòd solus mittatur Archangelus Gabriel B. Virgini Incarnationis mysterium legatus annuntiaturus: Verbum autem iam carnem factum, infantemque præsepis conclusum angustiis non vnus Angelus, sed multitudo Angelorum pastoribus nuntiauerit. *Facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis. Militia & exercitus denotat multitudinem. Vnus Gabriel nuntiat Virgini virtutis Altissimi obumbrationem: multitudo cælestis exercitus gratulabunda Saluatorem mundi prædicat aduenisse, & reconciliata terrestria superis canit, & consilium antiquum prodiit palam, nec iam secretum est, sed innotuit publicè in conspectu gentium reuelata Christi benignitas.* Ibi solus solam & solitariam Angelus salutat Virginem: hîc per nubila deuolant Angeli natum proclamantes infantulum. Quæ huius ratio? Hanc inuenio: Deus etenim nōdum natus ita soli Virgini solus erat, vt ipsa eo solo sola frueretur: omnibus autem votis exoptat videre natum: tunc etenim omnibus se communicaret: hoc autem est quod in D. Petro reprehenditur, quando nube lucida illum obumbrante dixit: *Domine bonum est nos hîc esse.* Notat hic D. Bernard. illud *Nos*, & ceteris an bonum erit quod ex trium

Luc. 2.

D. CYPR. *de Card. Christi oper. de Natiuit.*

II. Vnicus Angelus Incarnationē annuntiat, plures verò Natiuitatem.

Nota.

Matth. 17.

trium personarum vtilitate pereant? An bonum erit, quia Petrus, Iacobus & Ioannes hac gaudent consolatione, quod mundus non redimatur? An bonum erit, quòd sol qui cunctis oritur, ad paucos constringatur? An bonum erit quòd vniuersale bonum ad singulares restringatur personas? *Nesciens quid diceret* (*ait*) *quia visa Dei maiestate commune bonum intra priuatum suum visus est contulisse, & quo omnes frui debebant, ipse solus frui curabat.* Hæc ea est inflammata Mariæ charitas, quod ex illa possideat & speret. Non possidet licèt possideat: quia genus humanum non possidet: & quãuis non speret, sperat tamen, quia sperat homo suum in visione Dei remedium.

D.BERN. de vita solitaria.

Luc. 2.

D.CYPR. de Card. Christi operi: de Natiuit.

Affectibus admodum intensis Virgo Dei genitrix in li. Canticorum rem aliquam à Deo efflagitat, quæ cunctis non leuem inferet admirationem. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ?* O Domine, meis satisfactum arbitrarer desideriis, si te cernerem factum mihi fratrem. Quid hoc ô piissima cælorum Regina, si Deum habeas tibi filium; vt quid optas eum tibi fratrem? Vinculum lõgè strictius agnoscimus inter matrem & filium, quàm inter ipsam & fratrem, remotus est hic gradus in comparatione alterius. Qui filium audit nominari, maternorum sinum concipit viscerum (dimidium animæ) in quibus plantatur arbor tot profunda nixaque radicibus, vt quando puerulus egreditur, plorando egrediatur: quia de suo extrahitur vmbraculo: quinimò egressum Verbi de Virgine Matre vocat Psalmographus: Extrahere: *Tu extraxisti me de ventre:* quod vim quandam indicat. Extraxisti me ô Pater æterne de purissimo Matris meæ Mariæ sinu, in quo summa requiescebam animi voluptate, vt nisi redimendus fuisset homo, & æternum interuenisset decretum, de hoc cęlo foras prodire recusassem; quocirca amor parentum erga filios, vehementissimus est & maximus. Exempla cùm humana tum diuina nobis affatim abundant, nec vrget necessitas vlla in medium proferre, cũ ipsa parẽtes doceat experientia, atque ex eo constet quod in illis cernimus qui se patres non esse contristantur. Filiorum causâ suam pater proterit auctoritatem, calcat fastum, negligitque amplitudinem. Visus fuit Agesilaus Dux ille qui terga numquam vertit inimico, atque inter Græcos celebris, die quodam cum filiis suis ludos agitare pueriles in loco quodam remoto: subitò irrumpunt nonnulli ei familiares, quem dum infantilibus hisce distentum notant crepundiis,

II. Vnicus Angelus Incarnationẽ annuntiat, plures verò Natiuitatem.

Cant. 8.

Nota.

Matth. 17.

Ps. 21.

caput illud tot fractũ exercitijs, inuictum illum de tot Regnis & Prouinciis triumphatorem: vox illis muta faucibus hæsit: vt autem suam perspexit exponi periculo maiestatem & nominis æstimationem, ait illis: Ne dixeritis, donec patres effecti sitis, quod in me vidistis: nec illi quẽ experientia non docuit quid sit amare filios, illi verò qui filios genuit, referendi do vobis licentiam: nec enim inde vllum mihi detrimentum.

III. Maria filium optat fieri fratrẽ ob commune bonum.

Qua igitur ratione Virgo fratrem postulat? Notando sanè acumine respondet Guilielmus Pariensis: licèt filium habeat ipsa Deum, sitque eius filius, adeò tamen generosa est Virgo, vt eum sola nolit habere, sed omnibus communem: quia verò titulus filij solam dicit relationem ad patrem: fratris verò ad plures se extendit, nec vllam refert adeò strictam relationem, exposcit eum sibi fratrem, vt eo cuncti, qui illum expectant gaudere possint, licèt filius sit quo sola fruitur, sibique solum mater possideat. Nefas duxerim tantam præterire verborum elegantiam. *Polliceris mihi, quòd filius nascaris: sed vtinam nascendo de alia qualibet femina, frater mihi nascaris, in meam omniumq́ salutem.* Immensum stupete Virginis amorem: etenim ob vniuersale nostrum omnium bonum dignitatem hanc dimitteret Matris Dei, quâ nulla in cęlis siue in terris potest inueniri præstantior: & certo quodam modo extensionem huius gloriæ magis omnibus optaret, quàm sibi suam amaret intensionem.

GVILIEL. PARI. *in Cantic.*

Non minùs luculenter extendit Chrysolog. Verba nuntij Archangeli: *Ecce concipies in vtero & paries filium.* Quanta (inquit ille) voluptate demulceor, dum audio: concipies & paries filium: quia iisdem verbis, quibus Angelus Zachariæ Baptistæ prædixit ortum, vnum addit: *Elisabeth vxor tua pariet tibi filium.* Et hoc pronomen *Tibi*, non dicit Mariæ, & patet ratio: quia quamuis filius ille S. sit Ioannes, cùm tamen homo sit, quibusdam tantùm determinatè nasciturus est, licèt multis. *Multi in natiuitate eius gaudebunt*: sed non omnibus; at solus Christus omnibus; vnde Virgini dictum legitur indefinitiuè: *Paries filium*, nec tibi soli ô Maria, ô Domina illustrissima, licèt sis mater eius, nec multis, nascitur sicut Præcursor Domini, sed omnibus, vt Deus, *Non dixit tibi, sed tuum.* Quamuis tuus sit, non tibi tamen: cui D. Pet. Chrysol. obscuram addit rationem. *Monita ergo per Angelum Virgo, ne præsumas hunc vocare filium tuum, sed mox vt genueris inuoca Saluatorem.* Quomodo non, cùm sit eius filius? quænam hæc potest esse præsumptio,

Luc. 1.

IV. Solus Christus omnibus natus est.

D. P. CHR. *Serm. 142.*

ſumptio, quis exceſſus, ſi digna ſit in finem adeò ſublimem eligi? Reſpondet: *Inuoca Saluatorem.* Quod innuit ſalutem omnium, q.d. Fateor quòd filius meus ſit, ſed terminus ille, *meus*, proprietate quadam rem illi adſcribit perſonæ, cuius eſt; & qui tanto proſequitur mundum affectu, quanto Maria, ore non depromat, nec vtatur vocabulo, *meus*, quandoquidem velit diuinam ſuam liberalitatem ſic eſſe cunctis vniuerſalem.

Luc. 1. IV. Solus Chriſtus omnibus natus eſt.

Tranſlationem legi apud Modernum Auctorem verborum Pſal. 21. *Tu es qui extraxiſti me de ventre*, quæ eleganter hoc exprimit iuxta Hebræos: *Expoſititius factus ſum apud te ex vtero matris meæ.* O flammeum Dei erga homines amorem! Expoſititium ſe dicit. Pueri nominantur expoſititij, quos crudelitas matrum, feris atrocior, ad portam ſeu valuas deiicit Eccleſiæ ſeu xenodochij, ſeu domus viri nobilioris, vt ignoretur cuius ſit matris filius, quatenus illum enutriant. Ita totus ſum in commodum humano generi (ſic Saluator) & ita cuncti in me ius poſsident, vt ad oſtiũ tuum me Pater æternus (loquitur cum Maria) expoſuerit, & quamuis de tuis prodierim natus puſio viſceribus, vt Matre veriſsima, dummodo capiant mortales feruentiſsimæ charitatis meæ extenſionem, meipſum expoſititium appello, vt quaſi nullus mihi eſſet Pater, poſſet me quilibet ſibi enutrire filium.

Pſ. 21. Salazar. *Prou.* 8. *v.* 18. *fol.* 380. V. Chriſtus bene vocatur Expoſititius. D.P.Chr. *Serm.* 142.

Diſcurſus IV. *Soli Deo boniſq́ ſpiritualibus noſtra debent intendere deſideria, & quod diuinæ eius gratum eſt Maieſtati: quandoquidem ardentia Virginis vota illum nobis breuî viſibilem demonſtrabunt.*

NAuci facit viliq́ue æſtimat bona cæleſtia, qui cupidus ſtudet aliis: ſatis euidenter oſtendit, paruam ſe Dei habere notitiam, qui præter Deum aliud exoptat, qui ſibi tantum in Sanctorum deſideriis complacet, vt modò illa compleat, impoſſibilia redditurus ſit facilia, paruiq́ue faciet difficultates & obſtacula ſuperabit omnia. Gillebertus diſcipulus D. Bernardi eiuſq́ue heres ſpiritus, viam nobis huic ſternet argumento. Auebat cæleſtis illa ſponſa, Dei in animam ſuam aduentum, hortum ſibi coëmens amœniſſimum floribuſq́ue omnigenis vernantiſſimum, quo ſponſum alliceret. *Veniat dilectus in hortum ſuum.* Sed attendamus quid ſequatur, & reſpondet ſponſus. *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa. Quomodo Domine:* ſponſa dicit: *Cant.* 5.

dicit: *Veniat:* vel vtinam veniret: tu verò loqueris in præterito: *Veni:* dicito, *venio* in præsenti: satis enim hoc propalat ingenium: Res sic se habet, desiderabat illum illa, & quia adeò ipsi placent desideria solito citiùs properat, præuenit aduentu suo, vt piæ eum videndi volūtati dignum præmium largiatur. *Vehemens amator est Dominus Iesus ad vnam inuitationis vocem aduolat libens in hortulum sponsæ quasi præuolat & præuenit in maturitate.* Vt piæ voluntati sui præbeat conspectum. Parum hoc Deo dicimus si incedendo visitet desiderantem, at volatu tendit celerrimo, fastum prætermittit, & Regiæ grauitatis in procedendo passus negligit, qui in eo omnem suam collocat auctoritatem vt desideria compleat ardentissima.

GILLEB. Ser. 40. in Cant.

Singulariter autem hoc prosequitur D. Cyprian. Iam nouimus quàm laruatus tectusque venerit Dei filius, cuius aduentum Dauid assimilat pluuiæ suauiter decidenti terramque nullo strepitu inebrianti. *Descendet sicut pluuia in vellus.* Adfuit mediæ noctis silentio. *Dum medium silentium tenerent omnia.* Tenebræ velum eius gloriæ oppanderunt. Sed his non obstātibus videbimus hac ipsa nocte voce canora concinentes Angelorum choros læta nuntiantes pastoribus. Oppositionem hîc noto: contegere se & manifestare; si cum silentio nulloque strepitu, ad quid tantæ cælestis militiæ legiones? Respondet: Primò instanti latenter venit & absconditè: porrò desideria perpendens, quibus præteritis sæculis eum videndi mortales exarserant, retrocedit ab eo quod proposuerat, & in necessitatem conuertit se declarandi, conuenientem prius se abscondendi rationem. *Oportuit bonum Dominum certificare & lætificare in aduentu suo, bonas expectantium voluntates.* q. d. Summo mei flagrarunt desiderio: votis suis potientur, licèt meis multò inferioribus.

Ps. 71.

I. Christus omnium compleuit desideria.

D. CYPRI. de Card. Christi oper. de Natiu.

Eccli. 40.

D. Irenæus doctrinâ & martyrio æquè celebris expendit quòd dum Christus animam suam Paternis commendat manibus, & nostræ redemptionis opus absoluit, viri stemmate præclari duo sacratissimum eius corpus sepulturæ tradunt, quo interim tempore spiritus descendit Patres in limbo visitaturus: factum hoc miratur non minimè. Quia quantum ad mortem moriatur: diuino enim decreta fuit illa consilio, vt medium modusque humanæ redemptionis; hoc etenim ipse fassus est quòd in illorum finem descenderat: *Dare animam suam redemptionem pro multis.* Et descensus ille ad inferiora terræ, sicut ceterorū est corporum terrestrium,

Luc. 10.

II. Christus corpore & anima visitat animas.

D IREN. L. 4. aduersus hæres. c. 45

restrium, quæ huic subiacent ignominiæ (dicamus ita) ad quam declinant attestante Salomone: *A die exitus de ventre matris eorum vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Sed quantum spectat ad alium descensum, nimirum animæ: quandoquidem ambæ partes vnitæ essent diuinitati: quòd ad obscuras descendat abyssos, captiuos in libertatem vendicans: quodnam esse dixero mysterium? quæ connexio quod moriente Christo corpus deuoluatur in sepulchrum, & anima ad centrum descendat inferorum? Certa sit hæc & indubitata ratio: quòd cùm mortui & Patres in limbo totis præcordiis exoptarant illius conspectum, nec tamen tali potuerant potiri felicitate: quia *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt:* dixerat Apostolis suis; vt tam ardentia animarum & corporum desideria dignum accipiant præmium, quæ nunc ab inuicem sunt separata, sic & anima mea à corpore meo seiungatur, & corpus meum visitet eorum corpora & anima mea eorum soletur animas. Quis hic nisi ingratus verba subticeat Doctoris? *Ea propter Dominum in ea quæ sunt sub terra descendisse, euangelizantem illis aduentum suum, remissam peccatorum existentem his qui credunt in eum, crediderunt autem in eum omnes qui sperabant in eum.* Sperabant illum, & desiderio videndi illum accensi moriebantur: modò igitur cùm iam non viuo, quia nec illi viuunt, illos mortuus visitabo.

Eccli. 40.

D. Cypri. de Card. Christi oper. de Natiu.

Luc. 10.

II. Christus corpore & anima visitat animas.

D. Iren. L. 4. aduers. hæres. c. 45.

Motiuum seu rationem nobis dicet ad dicendum eloquentissimus D. Cyprian. Tantùm Deo placet, nec minùs accepta est & efficax incruenta mortis Redemptoris nostri memoria, quam quotidie Sacerdotes Patri consecrant æterno, quàm illa quam cruentam passus est in monte Caluariæ. Tantum placet illi videre S. Hostiam, ac filium suum in cruce morientem: eadem est enim oblatio. *Vt non minùs hodie in conspectu Patris oblatio illa sit efficax, quàm ea die quâ ex sancio latere sanguis & aqua exiuit.* Non capio Doctor sanctissime, hinc mihi nodus inextricabilis: quia in monte Caluariæ mortuus est Christus realiter, hîc tantùm repræsentatiuè. In priori flagra, spinæ, claui, mucro lanceæ sanguinem hunc elicuerunt pretiosissimum: in posteriori purissimæ Sacerdotum manus reuerenter has diuidunt Sacramenti species: in cruento illo præcesserunt Iudæorum militumque blasphemiæ: in incruento Præfatio canitur, quam Angelicum illud epinicion excipit *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Quâ igitur motus ratione dicis quòd *non minùs ef-*

D. Cypr. de Cardin. Christi oper. de baptis. Christi.

ficax &c. Quòd eandem habeat virtutem & acceptationem vnum atque alterum, nec sit incruentum sacrificium cruento inferius, nec cruentum incruento sublimius? Facilis occurrit menti responsio: quia ille qui hic modò offertur, idem est qui tunc offerebatur. Sed apposite notandum, quòd sicut Christum non nisi semel mori oportebat.

Rom. 6.

Quòd enim mortuus est, peccato, mortuus est semel: & desiderio flagrabat semper moriendi: ita augustissimum instituit Altaris Sacramentũ, in quo pia semper voluntate moritur. Mors ergo & desideriorum seu voluntatis sacrificium tantùm Patri cælesti in filio suo placuit, quantùm ipsa realis mors certò quodam genere; nec est in eo actualis hostia minoris efficaciæ, quàm ea quæ est voluntatis; & vbi ipsa etiam actualitas interuenit.

Hinc cum D. Chrysost. concludo, quòd aliquando acceptior Deo fuerit voluntas vnius, quàm opus alterius: miror sanè conceptum. Ad memoriam reuocat regius Psalmista votum à se factum de ædificanda domo Domini.

Ps 131.

Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob &c. *Donec inueniam locum Domino: tabernaculum Deo Iacob.* Hoc etenim est, quod Prophetæ Nathan communicauit grauiter ingemiscenti, pius vt erat Princeps, quòd palatia incoleret per-

III. Voluntas quandoque gratior quàm actus.

magnifica, domos haberet affabrè elaboratas, præsidia propugnaculis fortia: arca verò testamenti, non alio tegeretur vmbraculo, nec alio fulgeret ornatu quàm rudioribus animalium pellibus; habitaculum illi esset humile, & ad omnem locum mutabile. Quamuis autem in finem deducere suum optaret tantoperè desiderium: hæc tamen tanti operis gloria filio eius Salomoni conferenda seruabatur. Legatur Psalmus 131. & patebit, quòd sibi templi fabricam adscribat, nec semel nominet Salomonem: quis fortasse dixerit, iniuriam illi irrogari: si namque de facto Dauid, nulla posuerit fundamenta, nec manum eis applicuerit, non illi etiam honor attribuatur aut titulus Domini, qui huius tantùm concepit idæam; & cogitatione voluntatem intendit, nec exercitium arripuit executionis, dubium mouit hoc D. Chrysost. *Eum quidem qui est ædificaturus præteris, eum verò qui est pollicitus, in medium adducis.* Audiamus modò huius propositi dubij vnico verbo responsum: *Vt scias quantum bonum sit rectus animus.* Vt te doceat, quàm acceptus Deo sit valeatque promptus ad virtutem animus: cùm pluris illum faciat, quàm opus alterius: estque hæc Deo innata conditio liberalis (teste D. Chrysost.) *Bonæ voluntati mercedem tribuere.*

D Chrys. super Psal. 131.

Quan-

Quando Naaman Princeps & familiaris Regis Syriæ discessum iam parabat ab Elisæo, obtentâ per miraculosam lotionem septies in Iordane, salute, rogauit illum instanter, quatenùs sibi liceret Dominum suum ac Regem comitari quando templum ingrederetur falsis Diis suis immolaturus, modò ipse in animo recognosceret Deum Israël vt solum verumque Deum: cui sic Elisæus: *Vade in pace.* Quid hoc ô Vates? an hic spiritus ille duplex quem à magistro tuo recepisti hereditarium? Licentiam postulat vt in fano Remmon Deum adoret Israël, & hanc illi concedis? Quando tui muneris erat cælos Deumque obtestari, ob eius idololatriam, & amoris adulterium; quandoquidem Deo simul & diabolo vellet famulari, ais illi: *Vade in pace?* Miremur elegantem valde responsionem: *Vade in pace dixit, & hoc dicto, bonæ voluntatis hominem securum reddidit.* Hoc erat Naaman supra modum in votis vt soli Deo debitum impenderet cultum, & ita Vates argumentatur: num tibi bona iustaque sunt desideria? Igitur *Vade in pace:* ipse namque illa tibi statim præstabit; præsentem difficultatem non ita nunc excutiamus: volũtatem in te noto, affectus cordis tui inspicio, illi tibi oculos aperient lucemque eorum quæ agenda sunt, infundent: vnde quantum nunc attinet, *Vade in pace.*

4. Reg. 5.

IV. In Naaman desiderium bonum excusat.

RVPERT. L. 5. in Reg. c. 30.

D CHRYS. super Psal. 131.

Discamus, ô Christiadæ, feruentiora excitare desideria, & si vires non sufficiant ad obtinendum, desideria nostra impetrabunt quod illis est impossibile: nam illis conforme retribuit Deus præmium: An tibi facultas non suppetit vt eroges eleemosynam, quia de facto inopiâ premeris? illam ex bona voluntate porrige. Numquid corporis laboras infirmitate vt pœnitentiæ nequeas onera perferre? sit illa tibi in votis, & interiores tuas mortifices subigasque passiones. Exemplum tibi propono ad imitandum, feruentia cælestis Reginæ desideria. Dicito cum Isaia: *Anima mea desiderauit te in nocte.* Tui desiderio ô gloriæ Princeps inardescit anima mea. Cælum frigidis ventis rigens, tuum tempera gelu, tuas moderare pruinas; nubes non aquas, sed gemmas depluite, flores effundite odoratissimos. Vota vocesque nostras ad æternum attollamus Verbum: *Vtinam dirumperes cælos & descenderes.* Quando tandem puer elegantiâ formosus de virginali illo prodibis secessu, horto concluso, portâ clausâ, claustro illibato, cælo abbreuiato? Ne differas, ne tardes vlteriùs spes mundi, desideratus cunctis gentibus. Attende quod & ipsa terra, & animæ siti exarescant: *Anima*

Isa. 26.

Isa. 64.

Ps. 142.

mea sicut terra sine aqua tibi. Ecce montes prosternuntur & valles eriguntur, vt te natum videant, repagula dimoue, tuum hunc ingressum ad nos impedientia, & tuæ gratiæ radios remorantia, ac per Mariam gratiæ thesaurariam cælestem nobis gloriam impertire. Amen.

Additus. Discursus V. *Conformiter Dei desideriis quibus inardescit vt humanam induat naturam, procedunt & ipsa Virginis Mariæ desideria, adeò efficacia: vt si illum obligent, per misericordiam suam, vt ex illa carnem assumat, vim etiam inferunt illi sed amicam, vt hominum salutis gratiâ ex vtero eius virgineo, cælesti & intacto progrediatur.*

I. Desideria Deo placent. QVàm efficacia sint & potentia animæ iustæ desideria: quomodo sibi Deus in anima complaceat, quæ desideriis flagrat ardentissimis, & illis indicet sibi satisfactum, huius discursus exordio patebit: in quo propositionem obiiciam prima facie difficilem, sed facilem si quis illam exenterauerit. Ipse Deus desiderauit, imò ab homine rogauit, nulla pressus ipse necessitate: nullius enim indiget, & plenus est, saltem nobis ad instructionem, vt solidè certam nobis præostendendo veritatem, in ea ambularemus: valorem sc. quasi omnipotentem & efficacem votorū Virginis Mariæ. Peruenit mundi Redemptor ad fontem seu puteum Iacob ex itinere oppidò lassus. Sol in meridie ardentiùs æstuabat, quando militibus se armat, & ex orbibus suis purpureis non radios sed quasi lanceas euibrat. Mulierem præstolabatur Samaritanam, cui iam accedenti longam cœpit proponere concionem, cuius exordium fuit aquæ petitio: *Mulier da mihi bibere,* facilè obsequium: licèt Samaritana colloquium inceperit, more hominum in iis quæ diuinum spectant obsequium, ab excusando se, non capiens subtilem agendi amatoris Dei methodum: qui quia Deus est, si calicem aquę postulet, hoc eâ facit intentione, vt pro illo cælum rependat, ex iustitia nequaquā, ex misericordia verò, optimè. *O* Ioan. 4. *mulier* (ita dedignanti illum respondit) *si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi: da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.* Si modò clari tibi fulgerent oculi, quibus petentem à te aquam agnosceres, fortè, si labia tua aperiens ab illo flagitares, aliam tibi concederet, non materialem, & consequenter mortuam, turbidam & lutosam, sed limpidam,

II. Ita Christus indicat Samaritanæ.

pidam, crystallinam, viuam & æternam. Expendit Doctor Angelicus hæc verba: *Tu forsitan petisses, & dedisset tibi.* Si te desiderantem videret & petentem, continuò responsum audires fauorabile: hoc enim diuinam videtur Maiestatem humiliare: quæ potentiùs multò se manifestat, si gratis quàm si ex merito impertiat.

Domine, aliquando ne petant ita superbi sunt filij Adam, vt nec ab ipso cælo postulent: etenim hoc maximè detestantur si ad alienas videantur mendicare portas, etiam vestras. Gratis tribue, nec præcedant mulieris huius petitiones: omitte illud *Petisses*, & liberalis eroga, vt tantum decet Principem, & id quidem non auara manu: hæc enim elargitio tali conuenit, qualis es; oppositum autem rationem fortasse suggereret ignoranti cuidam & blasphemo, quâ formet sibi conceptum tantæ tuæ dignitati repugnantem. Quid huic respondet Doctor Angelicus? Tantum Deo placet se deuinciri quo nostris satisfaciat desideriis: vt, modò in hoc gaudium suum impleat, in quantum spectat hominis beneficium, non hæsurus sit in eo quod homines minorem hanc censeat à liberali illa & extensa manu liberalitatem: cui confestim insignem addit exaggerationem. Regula est hæc nullam patiens exceptionem: si Deum tibi velis obstrictum, roga illum: estque hoc illi adeò gratum hoc modo dona sua elargiri; vt nobis ad exemplum, decreturus sit Pater cælestis vt filius suus & ipse Deus introducatur postulans in quantum homo. Calamus scribæ Ecclesiæ principalis scribat quod audiamus. *In tantum enim requiritur desiderium: quòd etiam ipse filius ad petendum inducitur in Psalmis: Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Quid hoc Domine, an filio tuo rogare incumbit? Vtique: per hoc enim doctrina ista confirmatur, & meritum patet desideriorum, quantum animam extollant, quantúmque Deo placeant; mirum igitur non est, quòd petat à Samaritana: desideret, & petat: *Tu petiisses ab & dedisset tibi* &c.

D. Tho. in c. 4. Ioan.

Ps. 2.

Nota.

Illustremus hoc conceptu D. Ambrosij Mediolanensium Antistitis, in quo completum in Christo videbimus id quod modò diximus: versum exponit Dauidis: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore:* torquet autem illum phrasis quâ Christus vsus legitur in vltima cœna, & discipulis conuiuia residens exponit quanto desiderio horam hanc exoptarit: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Si satis erat dicere *Desideraui*, vt quid addit: *Desiderio?*

Ps. 118.

Luc. 22.

III. Et desiderio desiderauit.

Ioan. 4.

II. Ita Christus indicat Samaritanæ.

derio? Myſtica eſt hæc reduplicatio. Quæro num detur aliquid quod ſine deſiderio deſideretur, ſi verum ſit deſiderium? Non datur: vt quid igitur multiplicantur hîc termini, nomen & verbum, hoc dicendo quantum alterum ſignificat? Caſus hic eſt, illo tempore quo inſtituturus erat auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſe hominibus communicaturus erat propiùs & abundantiùs quàm in nullo alio opere ſuo, demonſtrationibus eminentioribus, quales ſunt dare ſeipſum in cibum, & nos ſibi vnire: *Semetipſum nobis immiſcuit, vt vnum quid efficiamur:* ait D.Chryſoſtom. & alij SS. vocant hoc Sacramentum *Extenſionem Incarnationis.* Iam igitur patet ſecretum reduplicationis. Quando Pater cæleſtis decernit vt filius ſuus ſe tradat in ſcelerum noſtrorum pretium, in morborum hominum medelam, & delicioſum animarum alimentum: dicat quod hoc deſiderauerit, & reſpectu noſtri augebitur operis æſtimatio: addiſcetque homo mereri deſiderando. Dulcedo de ore effluat D. Ambroſij: *Vnde Dominus non otioſè ait: deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum: non ſolùm deſiderans, ſed etiam geminato deſiderio concupiſcens.*

D.CHRYS. Hom.61.ad pop.

D.AMBR. Sept.3.in Pſ. 118.

Euſebius Emiſſen. piiſſimus Doctor conſiderationem ſuam fundat ſuper puriſſimum amorem quo tres Mariæ Chriſtum proſecutæ ſunt: (ita nominat illas Euangeliſta) ſed potiſſimùm amatrix illa feruentiſſima Magdalena, quam bene Phœnicem dixeris: quandoquidem mortuo Magiſtro ſuo ac ſepulto, tantùm aberat vt moreretur & in eius memoria ſepeliretur, vt dicat Euangeliſta Matthæus: *Erat autem ibi Maria Magdalene & altera Maria ſedentes contra ſepulchrum.* E regione lapidis ſepulchralis ſedebant, quo pretioſus ille theſaurus tegebatur, & fideles Dei ſui præſtolabantur reſurrectionem. Tandem prodit de ſepulchro victorioſus, & mortis deſerit horrorem, de quo poſſeſſionem capere tenebræ non potuerunt. Progreditur igitur Doctor, & inſiſtens eius veſtigiis, aduertit quòd primò omnium SS. Matri ſuæ rediuiuus appareat: vt talis Matris talem decebat filium, & ante ipſos Apoſtolos viſitat Magdalenam eiuſque ſocias. Quis fortè factum hoc mirabitur, & diuinam dignationem; porrò nihil noui videtur Euſebio: quinimò claram educit conſequentiam. Numquid mulieres hæ Christum videre ardenter deſiderabant? Deſiderabant: an ex intellectus ſui viſu eum perdiderunt? earum an excidit memoria? Nullatenus: erunt

Matth.27.

IV. Et Magdalenæ deſideranti apparuit.

erunt igitur hæ quas fauore dignabitur primicerio: cùm talibus desideriis negare se nequeat Dominus, sed pro more suo talibus affectibus anticipatiuè soluit: Verba eius expono. *Meritò eis Dominus post resurrectionem suam priùs apparuit, quæ sic eum custodiebant, sic eum videre cupiebant: & quia iam eum videre non poterant, ante ipsius sepulchrum sedebant.*

Evseb. Emissen. Dom. in varis. de Passione.

Matth. 27.

IV. Et Magdalenæ desideranti apparuit.

V. Vt homines eum desiderarent videre, seriùs surrexit.

Nefas duxero præterire subtilissimam circa hanc materiam annotationem Abbatis piissimi Arnoldi. Ad occasum mortis declinauit vita & sol iustitiæ Christus: tandem expirat, & illicò descendit anima vnita diuinitati in limbum, atque potentissima manu locum illum exspoliat, secum educens iustorum animas diem adeò gloriosum expectantes, quo in æternam migrarent lucem comitante eas Christo Redemptore iuxta fidei dogma tutissimum. Nihilominùs scimus illum vsque in diem tertium non resurrexisse. Satis admiratur Doctor hic tantam triumphi Christi procrastinationem. Confestim induat Tua Maiestas glorificati corporis insigne: quod oritur inconueniens si eo momento quo nostrum honorasses monumentum, rediuiuus ex illo resurgeres? An modò non constaret mortis tuæ veritas, licèt tanta non interuenisset ad nouam vitam triduana dilatio? Quid inde tanto te differre tempore? Vnico verbo respondet, sed quod diuturnam nostram meretur speculationem. Distulit aliquamdiu Christus è sepulchro resurgere immortalis: vt illum mortales videre desiderarent, & specialiter Apostoli, qui ceteris ardentiùs anhelabant: tanti quippe Deus nostra facit desideria: vt certo quodam modo illis postponat etiam corporis sui sacratissimi gloriam. Vno verbo hoc absoluit postquam descripserat qualiter descendisset in sinum Abrahæ, & locutus de egressu eius victorioso in conspectu nostro, subiungit: *His qui in mundo erant dispensatoriè consolationem aliquantulum differebat, vt dilatio augeret desiderium.*

Arnold.

Comitatus est Archangelus Raphaël per longos viarum cõfractus Tobiam, illi tamen se non manifestans, nisi tanquam pedissequum, & ad summum ostendit se viæ socium. Reuersis ad domum paternam, cum vxore, & facultatibus, restituto seniori patri oculorum visu, grati tantis beneficiis conueniunt pater & filius, & anxij quærunt quibus tanta dignè possint rependere beneficia, quæ iudicabant illi obsequia. Concludunt dimi-

dimidium omnium quæ detulerant mercedem offerre tantis operibus in gratitudinis pignus. Et quamprimum oblationem vidit eorumque desiderium: ille qui hactenus cælestis Principis purpuram occultauerat serui communis indumento, non vltra se cohibuit, sed apertiùs quis esset, indicauit. *Manifesto ergo vobis veritatem, & non abscondam à vobis occultum sermonem: ego enim sum Raphaël Angelus.* Tob.12.

VI. Raphael Tobiæ remuneratur desiderium.

Satis ingeniosè perpendit sol Ecclesiæ D. August. tempus quo Angelus illis se declarauit. Quando piscis prosilit Tobiam deuoraturus, quando Saram hic ducit in vxorem & dæmonium fugat, quando recepto pecuniæ debito reuertitur; non vult ille vt Angelus agnosci: licèt ea quæ faceret significarent quid aliud suprà hominem in ipso latêre, proinde claudit illis cognitionis oculos: hoc agens ne hæreat in illo quod esse potest: modò autem ipse frangit silentium, pectus suum aperit, se reuelat & clarè loquitur: *Ego sum Raphaël.* Nemo obstupescat (inquit D. August.) desideria notauit illi obsequendi, & vt nobilis atque in domo Dei assistens, cuius ipse naturam probè nouerat desideriorum remuneratricem: tantùm hoc acceptauit, vt audiendo tantùm: hoc agimus, hoc desideramus, gaudio repleatur & hoc ostendit, dum eis quis esset aperuit: quo significat, quòd cum desiderantibus non dedignetur Archangelus comes illis adesse lateralis, & ministrare: quinimò velit toti hoc innotescat mundo. Loquatur D. August. *Continuò Angelus gaudet de cogitata mercede.* Verbum hoc rumina: *De cogitata mercede qui gratis missus fuerat facere pietatem.*

VII. Maria desiderio omnes superat.

Desideria Virginis Mariæ, & affectuum eius vires nullius creaturæ conferri possunt desideriis: Deum de gloria sua traxit in terram nostram, lachrymarum eius efficacia & viua eius sollicitudo sperant breuî suorum cernere complementum desideriorum: nempe visibilem inuisibilem, omnesque eo frui, quem ipsa sola possidebat: vt enim post Deum vniuersale bonum, Deum omnibus & vniuersalem exoptabat. Expendamus ex D. Thoma immensitatem gratiæ Virginis Mariæ, de quâ breuia profert verba, sed multis referta discursibus. *Ex his patet vehemens Virginis desiderium circa salutem hominis: tum quia salutis humanæ gratiam quærebat: tum quia quæsitam inueniebat: tum etiam quia inuentam omnibus refundebat.* Quam semper sollicita salutis & redem- D.Tho. Opusc.60.

demptionis nostræ Maria Virgo, in tantum vt eam gratiam quam apud Deum inuenit, suam non reputet, donec eam homines possideant. Tandem illam quæsiuit, & in seipsa complectens, desiderat vt ea cunctis communicetur: quod statim confirmat sententiâ D. Bernardi: *Vehementia desiderij Mariæ, feruore dilectionis, puritate rationis fontem attingit tam sublimem, cuius plenitudinem tãquam aquæductum de corde Patris excipiens, nobis tradidit illum.* Amore feruenti & affectuosa oratione se aquæ ductum præstitit, per quem nedum Verbum Dei in cælestia sua viscera descenderet, sed insuper magnificè se diuideret cunctisque explicaret: cumque fons ille in sublimi adeò loco consisteret, ad inferiora dimanauit.

D. Bern. apud D. Thom.

Hanc Virginis potestatem intelligamus ex singulari quadam interpretatione eiusdem D. Bern. quam adducit Richardus, versus huius ex psalterio: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum.* Noui communem hanc esse sententiam Interpretum, Dauidem ad litteram hîc loqui de æterna Verbi generatione, quam dicit *Principium*, per quod & in quo creata sunt omnia, *In die virtutis suæ:* non quòd dies sit vel diuisio aliqua: sed quòd ab intellectu Paterno in diuina luce & claritate genitum sit: *In die virtutis tuæ:* totum enim Pater (dicamus ita) effudit in filium, vt nullum supersit attributum nullaque perfectio, quam illi omnimoda æqualitate non communicarit: vt fides nos docet. Verumtamen in sensu accommodato applicat hoc D. Bern. B. Virgini & notatu dignam eloquitur sententiam, eidem collocutus sumpto illo salutationis Angelicæ Verbo, *Dominus tecum: Dominus tecum: vnde in Psalmo dicitur: Tecum principium, id est, filius Dei, qui dicit Ioannis 8. Ego principium, qui & loquor vobis. Sequitur, in die virtutis tuæ, sic in illa die quâ virtute diuina concepisti,* in hoc virginali & purissimo tuo ventre. Notate phrasim, notate mysterium. Quòd dicatur dies paternæ virtutis ob dictam iam rationem, satis capio: sed quæ dignitas deesse potuit Verbo, quæ in lucidissima illa hora potuisset ei communicari? Perpendite: potestas enim Mariæ non radiat, nec in hoc se pandit, licèt nostram illi tribuerit humanitatem, quam tanti æstimat, sed in eo quòd ascendens ad inuisibilis & absconditi Dei sinum, illi filium eripuerit, quo tamen ibi manente, eum attraxit secum. Dum affectus ardentissimi Mariæ cælorum muros quatiunt,

Ps. 109.

VIII. Hinc eius tanta potestas.

D. Bern. apud Richard. de S. Laurent. Lib. 1. de laud. Virg.

subitò fortissimi illi corruunt, quos ipsa sola euertere potuit: Deus autem se quasi subditum tradens potentiæ adeò efficaci, in eius descendit viscera, & elapso modico tempore eum brachiis eius potentissimis constrictum admirabimur: quandoquidem amator omnipotens ad illa se demittat.

Arma porrò quibus superauit, nimirũ desideria, & quia humilia, ideò potentissima declarantur his verbis: *Fontem attingit tam sublimem* &c. Ad ipsum fontem accessit, nempe Verbum *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis*: hinc hoc intelligo: in montuoso & altissimo loco conclusit auctor naturæ aquas: ex quo diuisæ in venas crystallinas & rubras in valles præcipites cadunt: sunt autem hæ aquarum receptacula, vt ait D. August. ad illud Psalmi: *Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ*: & subnectit: *Noli contemnere valles: inde enim fluunt fontes*: & in altioribus detentæ collibus, vix aliquid conferunt: cùm terram non reddant fertilem, nec viridibus vestiant eam aulæis: soli cælites in palatiis viuentes cælestibus illis potientur. Quid remedij vt arentia & marcida arua nostra ex imbrium raritate refloreant? Vallem inquiramus in quâ aquæ illæ resideant, & vnde in aquæ ductus deriuentur. Maria vallis est, cùm cæteris sit creaturis humilior; nam quia talis est, ad Deum accedit, efficit vt aqua misericordiarum effluat, & diuina Maiestas veniat, & ad tantam pertingens altitudinem à D. Bern. bene vocatur: *Quæ fontem attingit*.

Eccli. 1.

Ps. 103. D. Aug. ibid.

IX. Maria vallis est.

Dubito num illud significare voluerit ipsum cælum in eo quod refert Venerabilis Beda & adducit Doctissimus Cardinalis Baronius. Eo momento quo ex Aurora formosissima, Maria, inquam, & stella, sol ortus est natus in stabulo Bethlehem, eumque virgineis manibus reclinauit in præsepio in petra excauato, primis Dei hominis incunabulis, erupit miraculosè fons limpidissimus, qui vsque ad tempora Bedæ semper scaturiit, prout loco citato commemorat. Quòd Deo nato & virginali manu reclinato spectante Matre & Filio petra riuos aquarum effundat, ô stupor! sed stuporem non admiror quem intellectui nostro mouere potest: cùm dicere Maria possit de petra hac durissima, & gelata crystallo, quod Dauid cantu celebrat de simili prodigio ad virgæ Moysi contactum. *Qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum*. Sed iam descriptum lego in verbis D. Bernardi:

BEDA de locis SS. c. 8. BARON. in apparatu ad Annales.

Ps. 113.

X. Inde eius potentia.

di: *Maria fontem attingit*. Mariam ſequendo videat fontem nempe Deum: vt autem daretur intelligi quod ipſa ſola plura cunctis antiquis patribus valeat: tantùm ad oculos Virginis, eiuſque contactum, quàm formoſam virgam, & prodigiorum veneramur operatricem, accurrit Deus, & primo vitæ eius diluculo, dumque eo gaudere incipimus & humanis oculis intueri, prorumpant aquarum impetus, quas ipſa diſtillat, effundit, diſpergit, dilatat, & ad inuiſam, occultam, & latentem extendit Maieſtatem. Proh immenſam Mariæ poteſtatem! filij dignationem, & Matris eminentiam! hic honor ille eſt quo Matrem dignatur; hæc eſt ſpes illa, quâ per ipſam mundus confortatur. *Venter tuus ſicut aceruus tritici*. In limpido tritici aceruo, pleniſque cumulis conſequitur agricola deſiderij ſui velut partum: atque in his viſceribus, aceruo, & lucis cumulo noſtri ſtat gaudij complementum, redemptionis humanæ principium, verbi diuini exoneratio, notitia eius & auctoritas, Virginis gloria, cor eius dilatatum hominibus: quandoquidem in ſe ſibique poſſidendo Deum, hodie per ſpem iungatur bonum omnium vniuerſale. Cant.7.



CONCIO
DE PVRIFICATIONE
B. VIRGINIS
ET MATRIS MARIÆ.

THEMA.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi &c. Luc. 2.

SALVTATIO.



NEFFABILIS DEI magnitudo, in cuius conspectu consistere nequeunt creaturæ; quin immensa eius luce obfuscatæ se demittant, & propriæ compotes infirmitatis se ad terræ abyssos prosternant, mirè extollitur à Iob sub nomine diuinæ sapientiæ, de qua sic proloquitur. *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri.* Per aurum intelligit Angelos, spiritus illos beatos, immortales substantias: & sub nomine vitri fragilis venit homo tot expositus fracturæ casusque periculis. Nihilominus noster Geminianus refert quod Imperatori Tiberio oblatum fuerit vitrum tali temperaturâ formatum, vt proiectum in terram minimè frangeretur: vnde illud ceteris omnibus auri argentique vasis prætulit. Hodie purissima Virgo supremo dedicat Imperatori Patri scilicet æterno in S. Templo Hierusalem crepundia, puerulum quadraginta dierum, omni Angelicæ naturæ auro preferendum, vtpote Creatorem suum: illum posse frangi, reputatur impossibile: in eo namque tota latet omnipotentia, fortitudo, Deique substantia. Donum hoc est adeò sublime, oblatio adeò pretiosa, munus adeò gratum, vt si in aliis à Deo flagitemus: vt ignoscat ferculo, quia manus nostræ vtpote humanæ, sordibus inquinatæ displi-

Iob 28.

GEMINIA. Summa de exemp. l. 2. c. 2.

D. BERN. In Natiu. Virg. de Aquæductu in fine.

displicent: hodie nequaquam hæc est petenda indulgentia, cum purissimis, gratis, dignisque Mariæ manibus offeratur. Sic testatur D.Bernard. *Tibi vehiculum voluit prouidere: fortè enim manus tua, aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quod nō eas ab omni munere excussisti: ideo modicum istud, quod offerre desideras, gratissimis illis & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam.* Per easdem cælestes manus diuinę gratiæ munus dari nobis imploremus. *Aue Maria.*

D.BERN. In Natiu. Virg. de Aquæductu in fine.

Discursus I. *Ad templum veniunt Christus & Maria, tot tantisq; vmbris obscuri, vt ad eorum cognitionem oculi requirantur fidei: cùm diuinus amor suas ostētet inuentiones: quandoquidem vt redimat Deus hominem, magis homo quàm Deus videri studuerit.*

AD primum Verbi incarnati introitum, descendentis in terram ex vehiculo seu cælo brachiorum virginis in domum templumq; Patris sui æterni, ad purificationem solis Matris suæ purissimæ; ad misericordiam, quam mundus recepisse se gaudet, repressâ iustitiâ dignissimo illo munere quod gloriæ cælesti tellus nostra dedicat; ad lucem (tu dixeris) ignem, quo Simeon accenditur, quo plenus dierum in puerum conuertitur, & candidus ad cantum excitatur cygnus, mortem suam hymnis celebrans; & ad vitæ nouæ conspectum exultans (hæc enim omnia præsens Euangelium festumque comprehendit) vbi diuina Maiestas hanc suam abscondit, videturque velle vt tantùm appareat homo & non Deus: ingressum mihi parauit Vates Abacuc: *Deus ab Austro veniet & Sanctus de monte Pharan.* Pagn. ex Hebræo legit: *Deus à meridie veniet*, & desideratus cunctis gentibus Messias. Et quasi pœnitens facti quòd primo loco lucem nominasset, & illam euulgasset quam Dominus volebat abscondi: addit: *Et Sanctus de monte Pharan*: seu vt alij legunt: *De monte vmbroso.* Ex sylua, vbi ex arborum spissitudine velut per rimas solis splendor luxque percipitur, veniet Deus vmbris inuolutus. Quis hic, nisi cæcus, in superficie & litteræ cortice non aduertit repugnantiam? Si namque veniat in meridie, quando minores sunt vmbræ, illasque sol illuminat: etenim sponsa desiderio flagrans videndi nullis obscurum vmbris sponsum suum cælestem, hunc illi libellum offert supplicem. *Indica mihi vbi pascas, vbi*

Abac. 3.

1. Locus hic explicatur.

Cant. 1.

cubes in meridie; qua fide dicitur de monte venire vmbroso? Si tempus illud sit quo pulcherrimus ille planeta in summa sphæræ suç consistens altitudine, magis lanceis videtur ferire, quàm illuminare splendoribus: quomodo Propheta videt vmbrarum refrigeria? Consulamus SS. Patres, D. Augustin. Deus ab Austro venit: quia feruor charitatis illum in hæc traxit inferiora. *Ab Austro significatur meridies, id est feruor charitatis.* Meridies, addit D. Bernard. est gloria, patria illa cælestis, in qua nox nulla, lux perpetua, sol non occidens, firmaque claritas. *O verè meridies, plenitudo feruoris & lucis, solis statio, vmbrarum exterminatio!* Meridies pectus fuit Paternum, cuius amor, excessiuus, à D. Paulo appellatur, *Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos.* Meridiem etiam dixero Virginis Mariæ viscera tanto Dei amore, igneque flagrantia, vt ad eius temperamentum aduenerit Spiritus S. eam obumbraturus: *Spiritus S. superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Vt Deus igitur hominem de luctuosa liberaret peccati seruitute, de altissima prodiit regia sua, Paterno, inquam, pectore, (in illo tamen permanens:) ex sinu Virginis locum mutauit, eiusque se brachiis iniecit, idque tanta saluandi nos æstuans sollicitudine; vt iudicans, quòd Deus impedimento esset, ne se mundo manifestaret, venit de monte vmbroso velum oppandens gloriæ suæ claritati, ne videretur. Quis verũ asserat quòd ille sit Deus quẽ lachrymis videt immadentem, fœno iacere paruulum, præsepio concludi? quis summam eius deteget diuinitatem, quem octiduanum stigmate cernit iniustũ improborum scilicet Circumcisione? Qua ratione lux illa adeò temperata orietur cum legis obseruantia (cineres sunt, quibus ignis hic operitur) seipsum offerens nulla coactus ratione: purificante quoque seipsam purissima eius Matre, nullâ compulsa ad hoc causâ? Porrò sic ratio suadebat, sicut D. Thom. sapientiæ Rex verbis quibusdam indicat admodum mysteriosis. *Oportebat igitur ita manifestari Natiuitatem Christi, vt demonstratio diuinitatis eius, fidei humanitatis ipsius non præiudicaret.* Quasi per hoc derogaretur auctoritati fidei, quâ mundus credebat, quòd per Deum hominem esset redemptus, quòd in isto videretur Deus nimis diuinus, & vt amorem suum diuinum extolleret, se abscondit, nihil tamen per hoc deperdens, imò potiùs clariùs cognoscendum obtulit, dum magis homo quàm Deus apparet.

D. Aug. l. 18. de ciuit. c. 32.

D. Bern. Ser. 33. in Cant.

Luc. 1.

D. Thom. 3. p. q. 36. ar. 4.

Profectò miror D. Chrysost. annotationem quoad primum

fercu-

120

ferculum, quod Satanas obtulit Christo suas in illo vires experturus, tentansque illum in deserto. Notat D. Chrysost. eius prologum. *Si filius Dei es.* Meô quidem iudiciô, ni fallar, dicere debuisset immediatè: *Si esuris* vt homo, lapides illos in panes conuerte: verumtamen nomen subticet hominis, vult autem vt in publicũ veniat eius diuinitas. Audiamus Christi responsum: *Non in solo pane viuit homo.* Quid hoc Domine? te vocat diabolus filium Dei, tu verò illi respondes: *Homo.* Casus hic est ex D. Chrysostom. quòd diabolus vt superbiâ inflatus, & immemor supplicij ob arrogantiam suam sibi inflicti, in quo de cælis calcibus impetitus eiectus est in tartara: sibi persuadeat quòd Redẽptor noster eius adulationem remuneraretur vocando ipsum, Deum: mansitque quasi irritatus & iniuriam passus amor quo homini afficiebatur, quod hunc titulum vsque modò non audiuisset scilicet hominis: vnde diabolo illum subticente ipsemet illi declarat, & notans in lingua proditoris hoc verbũ: *Filius Dei*, in sua non illud audiatur, sed homo. *Non in solo pane viuit homo.* Audite. *Istud ei erubescendum putabat* (sibi in animum induxerat Satan, quòd Christus ægrè ferret & verecundaretur, si hominis titulo cognominaretur) *Propter quod dolosa illum adulatione palpando, solius mentionem facit dignitatis, quid igitur Christus? Quod ille in eius adulatione absconderat in medium profert palamq́ue constituit: non in solo pane viuit homo.*

Matth. 4.

II. Diabolus dixit: filius Dei: Christus respõdet: homo cur hoc?

D. Thom. 3. p. q. 36. ar. 4.

D. Chr. in Matthæ. hom. 13.

Diuino Christus potens imperio de corpore viri admodum afflicti legionem expellit dæmoniorum, à quo maligni spiritus licentiam postulant occupandi gregem immundum porcorum (sine illa namque nihil possunt efficere) vix data illis erat potestas, cùm ecce subitò totus porcorum grex ad duo millia pelagi fluctibus absorbetur, qui nec vno instanti crudeles adeò dominos sustinere nequiuerunt (pudeat te Christianum tot annis in peccato mortali seruum esse diaboli.) Rogauit illum qui à dæmonio vexatus fuerat, & iam in vtroque homine sanatus & liber vt in eius posset adscribi societatem, preces eius Christus non admisit: quod D. Ambros. vt nouum quid & insolitum miratur. Quare & quando Christus hominum recusauit consortium? Ipsos requisiuit, Publicanum adiit Matthæum, Magdalenam lateri suo adstare passus est, nec dedignatus vt suis lachrymis pedes irrigaret: imò & ipsum Iudam cuius infaustum non ignorabat exitum, in suum adsciuit collegium. Qua ergo de causa

Matth. 5.

causa repellit, quem probè nouerat à se non discessurum? Respondit auctor dubij. Cognouit etenim hominem illum perpetuum futurum misericordiæ receptę buccinatorem, cunctis hanc annuntiando: Ille me sanum fecit: ille manu sua potentiori carceris mei compedes confregit & catenas: quia verò hæc cognitioni quòd Deus esset, optimè seruiebant, vellet autem vt homo cognosci, non consensit secum ducere homines, qui eius humilia tacent, & quæ sunt grandia ostentant. *Cur autem* (sic ipse) *non recipitur liberatus, sed domum redire iubetur: nisi vt iactantiæ causa vitetur.* Omnes illum indice digito designarent & acclamarent: ille Dominus qui tanta mirabilia operatus est: Deus, non homo esse conuincitur, quod in authoritatis eius tendebat præiudicium qui in hoc sibi complacebat, vt homo crederetur.

D. Ambr. l.6. in Luc.

In resurrectione Lazari hoc patuit multò euidentiùs vt noster obseruat Cardinalis. Accedit Bethaniam, tolli iubet de sepulchro lapidē: *Tollite lapidem:* in synagoga virorum nobilium totius Hierusalē, sibi dilectarū sororum Magdalenæ & Marthæ plorantium, suas noluit Redēptor noster moderari lachrymas, sed teste Euangelista: *Lachrymatus est Iesus,* defluentibus de maxillis eius gemmis lachrymarum orientalibus. Ilico spectaculo circumstantes in hęc prorumpunt verba: *Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati facere vt hic non moreretur?* Quis ille fletus? infirmā proculdubio arguit potestatem si tantum valuit vt cæci nati aperierit oculos, quare mortis fręna non iniecit, ne Lazarum nece præscinderet immatura? ploratus hic dolorem præsentis loquitur spectaculi, quodque in eius non fuerit potestate extremę succurrere necessitati: qui namque pręscius rei alicuius euentum nouit & dolet, potest autem illum auertere, hoc agit antequam contingat: ergo non Deus esse poterit sed purus homo. Adest Caietan. & ait: Domine, ne quæso, lachrymeris: quid enim hoc aliud est, quàm cælestes illo soles nubibus contegi, & esse diuinum abscondi? Videtur illi Dominus respondere. Et quamuis esse meum diuinum abscondatur, an humanum non manifestatur? Vtique. Si lachrymæ hoc testentur, profluant igitur, & me vt hominem æstiment: humana namque supra modum glorior humilitate. *Conferebant isti hinc potentiam, quâ illuminauit cæcum, inde lachrymas pro morte Lazari, attestantes quòd displicuisset Iesu.* Aperire oculos, esse Deum indicat; plorare, esse hominem: voluit autem essentiam abscondere

Ioan. 11.

III. Causa lachrymarū Christi.

Caiet. in c.11. Ioan.

re

re diuinam ne pateret, dummodo compateretur & cum flentibus fleret, ex quo magis censeretur esse homo quàm Deus.

Expendit eruditione clarissimus Oecumenius in gloriosa Redemptoris nostri Ascensione, quòd nube vt curru vsus sit, eaque sidera penetrarit. *Et nubes suscepit eum ab oculis eorum.* Oculos reflectit ad Eliæ triumphum, non in nube, sed in curru igneo, & percunctatur: quænam possit subesse ratio, cur Elias curru raptus sit igneo, Christus verò nube? & eã reperit prorsus singularem: Quia ille homo erat, hic verò Deus. Homo quantauis morum præfulgeat sanctitate triumphum ducit inter flammas, quarum naturalis ea est proprietas, vt ad altiora ducant, sursũ ascendant: sicut enim ex se humana natura humilis est, desiderat, vt eam elementum extollat inter alia nobilissimum; Deus autem humilia affectat atque in nube suos celebrat triumphos: quæ ex eo quòd terrestribus plena sit vaporibus, deorsum impellitur: vnde suũ Deus occulit ignem, suam, inquam, diuinitatem: *Deus noster ignis consumens est*, ait Moyses, & nubem suam manifestat, quæ iuxta phrasim Isaiæ humanitatem indicat. *Ascendet Dominus super nubem leuem.* Profero igitur Oecumenium. *Elias sursum ferente vehiculo agens, & equis qui velocitatem itineris illi pararent* (erat merus homo, porrò Christus) *tanquam Dominus vniuersi, & sua ascendens virtute, terrenum quiddam & quod deorsum fertur ad ascensum assumit.* Expendamus illud: *Terrenum quiddam*: mysticum est enim: An Deus triumphum est acturus? Non igitur alas eligat aquilarum, non pennas ventorum, non flammarum agilitatem: sed *Terrenum quiddam*, quod illum gloriâ suâ diuinaque fulgentem Maiestate inclinet vt se hominem esse ostendat, in quo tantùm abest, vt ei quidquam decrescat, vel eius minuatur seruanda semper auctoritas: vt ipsum sit armorum eius inscriptio, scutorum eius insignia, ex quibus clariùs agnoscatur.

Act. 1.

4. Reg. 2.

IV. Elias curru igneo, Christus in nube ascendit ex humilitate.

Deuter. 4.

Isa. 18.

Oecum. in c. 1. Act.

Finem argumento imponat D. Ambros. verbis valde luculentis: *Audeo dicere operationis suæ munus amiserat, nisi se humilitas recepisset. Itaque nos quidem redemit, sed sibi etiam acquisiuit: nihil ergo humilitas adfert dispendij, ille qui se exinaniuit, plenus est.* Audeo dicere, nisi se Deus humiliasset, opera illius atque attributa certo quodam splendore & æstimatione caruisset, quam sibi ex humilitate comparauit. Magno sterit illi labore nostra redemptio: sibi verò lucratus est auctoritatem, famam comparauit, & nominis æstimationem: quandoquidem

D. Ambr. ser. 20. in ps. 118.

redemptis debitum erga Deum hominem accreuerit grauiùs quàm erga Deum tantummodo Deum: vt autem vnico dicamus verbo (subdit D. Ambros.) nullum ex humiliatione passus est detrimentum, nec perdit aliquid qui se demittit: gloriosior apparet in præsepi Deus, quã in gloriæ suæ throno: præclarior inter Mariæ brachia puer adoratur, quàm in cœlo empireo triumphator: nos lætificat vberiùs, gratiusque refrigerat sol iste vmbrosus, quàm in orbe suo solus & splendidus: ibi etenim nos exuret: quid vltra? ipse est de quo propheta sicut in exordio: *Deus ab Austro veniet* &c.

Discursus II. *Plurimum Deo placent animæ quæ suas abscondunt virtutes; & quamuis Mariæ puritas eam à legis exciperet obseruantia, vult attamen vt templum adeat ipsam impletura: cùm humilitas in illa esset ornamentum murusq; omnium eius prærogatiuarum.*

Cant. 4. CAndidam nostram puramque columbam audio dicentem: *Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris.* Montẽ & collẽ dicit domũ Dei in Ierusalẽ, quia templum ædificatũ erat in vertice montis Moriæ, in quo thuris incenso atque aromatibus colebatur. Ascendam ad montem (inquit Maria) me purificatura. Porrò notandum quòd sponsus continuò subiungit quasi sponsam à legis excipiens rigore: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quia quòd olim mulier quadraginta diebus vetaretur ingredi templum iam filium enixa, hæc inter alias assignatur ratio: quia cùm pusio in maternis visceribus non nisi ad quadraginta dies perfectè formetur, & ipsum mater producens in mundum, tanto quoque tempore separetur, & propter partus immunditias indecens est vt templum ingrediatur. *Omne Sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium.* Leuit. 12. Noster autem Redemptor nullum organizationi suæ tempus impendit, nec illi mora temporis opus erat, quâ anima corpori infunderetur: sed eodem suæ conceptionis instanti perfectissimum habuit corpus, vtpote Spiritus S. virtute formatum: nec in partu virgineo sordes erant, immunditiæ vel quidquam nauseam pariens, quibus mulieres pariẽtes subiiciuntur: his Virgo Maria minimè subiacuit, filium pariens ipsum quem ab æterno Pater genuit in cælestis gloriæ splendoribus. *In splendoribus Sanctorum ex vtero ante luciferum* Ps. 109.

I. Cur 40. diebus mulier pariens templum non ingreditur.

D. Aug. ser. 118. de Sanct. qui e. de Annunt.

Albert. Quo in loco Annunt.

rum genui te. Vbi D.Aug. hanc tractans materiā ait: *Quid igitur mirum si sine corruptione nascitur, qui de sanctificatione concipitur?* nempe Maria. Cohibe calamum ô Doctor sanctissime: videris enim Virgini titulum adscribere non solùm sanctæ, sed ipsius Sāctitatis: nec eam solummodo sanctificatam & gratiâ plenam honoras, sed ipsam appellas sanctificationem & gratiam. D. Augustino consentio, & Albertus Magn. quærens quo in loco expedierit, vt annuntiatio fieret per Gabrielem Archangelum, arbitratus hanc fieri debere in decentissimo totius orbis loco nempe S. Templo: in quo Deus debitâ colebatur reuerentiâ: concludit tamen conueniens fuisse, vt fieret in Oratorio in quo erat Maria, vtique maximè capaci, digno, atque supremæ Dei dignitati conuenienti, quia ex Virginis Mariæ præsentia maiorem contraxit, quam *Sancta Sanctorum* sanctificationem. *In oratorio Beatæ Virginis fuit dignissima habitatio.*

D.AVG. *ser.* 118. *de Sanct. qui est de Annunt.*

ALBERT. *Quo in loco Annunt.*

Si igitur tot tituli & rationes acclament (ô ter maxima Regina) quòd te statuta non comprehendant nec legis adstringant decreta: & minùs huius, quæ si corticem spectemus tuæ videtur magis puritati derogare, ne dierum numerum expectes, tere sacra limina: cælestes etenim præstolantur spiritus, facti nitidum pedum tuorum pauimentum: quod si non: numquam huc ingrediaris: tua etenim Maiestas, verum est templum, quod Deus inhabitat. Nihilominus ait: *Vadam ad montem myrrhæ.* Ergóne tendis (ô Virgo sole purior?) nos, quæso, tecum adducito: pergit: legis enim vult non adstricta satisfacere instituto, & ipse illam filius adducit, quem ipsa gestat, denotans sibi placere, quod amici sui velum suis oppandant virtutibus, velintque illas esse absconditas. Cōsiderandum quòd Christus vitæ suæ terminos per natiuitatem inchoans, & per mortem finiens nos in seipso erudiat, & exemplo præeat, quantum sibi placeat hæc in anima sanctiori diligens virtutum suarum occultatio. Primum occupet locum D.Bernard. Meritò Saluator tempus attendit quo humani generis natus est. *Hieme natus est, nocte natus est Christus: numquid credimus casu factum?* Inter niues & boreales hiemis rigores, inter ipsas densissimas noctis tenebras Redemptor in mundo natus apparuit. Mysterium hîc reuerere: nec enim eorum quidquam quæ in illo facta sunt vacat mysterio, & hoc potissimum quod inter priora præclarius recensetur: quale illud? Lux diuina num de nocte oritur? Ignis qui niueos liquefacit montes, qui combu-

D.BERN. *ser.* 3. *in Natiuit.*

II. Christus noctu & in hieme natus.

rit, se mundo manifestat eo tempore quo cuncta nix operit, frigus condensat geluque constringit? An non aduertis, quòd statim ab initio suam abscondat altitudinem, suos occultet radios, qui ne videantur vmbris obscuræ noctis illos obnubilet? Nascitur hiemis tempore: si namque hoc sit frænum, quod detinet plantas floresque visceribus terræ sepultos, floris huius diuini fragrantiam conatur abscondere, tam præmaturo nos instruens exemplo, virtutes fugiamus quæ strepitum, campanarum sonitum & buccinas referunt ostentationum: cùm illi sint illæ gratiores, quas ab humanis oculis occultare satagimus. *Vbi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos?* Et multis de hoc præmissis, concludit. *Ama nesciri, laudet te os alienum, sileat tuum.* Tota tua huic adnitatur diligentia, ne te quisquam videat, absconde thesaurum: alienus etenim oculus, quem latronem dico, potens est illum tibi suffurari. Deus igitur, nihil horum veritus, suam tamen inter offusas noctium tenebras lucem contegit, mundo nobisque oriturus.

In vita sua simili vsus est stratagemate; & ita D. Chrysosto. hinc nos ad bonorum operum exhortans exercitium, illinc ad vanæ gloriæ fugam, potissimũ autem ad eleemosynam studio charitatis, virtutum reginæ, impensam sic ait: *Si ergo misericorditer dando similis Deo factus es: diligenter stude, vt in contemnenda etiam ostentatione, similis ei efficiaris, qui morbos hominum curans præcipiebat ne alicui dicerent.* Iam video quod Deo in largiendo assimileris, illi quoque in fugienda vana ostentatione similem te reddito; & per transennam in laudem eleemosynæ non prætereamus illud: *Morbos curans.* Quid hoc Doctor egregie: an forsitan pauperi per eleemosynam subuenire censes esse miraculum, vt illud conferas Christi miraculis? sic iudico: ita namque rarò erogatur eleemosyna, ita visceribus est irradicata cupiditas, ita in sanguinem carnemque conuersæ diuitiæ, vt ille qui se nouit ab illis expedire, homo sit prodigiosus, miracula operetur, & quia rarum hoc est & inusitatum, admiramur: sed aduertendum quòd in summo sit periculo ne non mortalis fiat animæ infirmitas, si in publicum proferatur, quare eam abscondito, ad exemplum nostri Redemptoris.

D. Chrys. *Ho.72. in Matth.*

III. Eleemosyna est miraculum.

Illustrat hoc argumentum grauissima quadam ratione D. Cyprian. Martyr; contemplatur enim quod Dominus & Deus noster iam trigesimum agens annum, vt principium daret prædicationi & sui quis esset manifestationi recipiens de manibus

IV. Christus ieiunat in deserto gloriam fugiens.

nibus D. Ioannis baptiſma, quo ſuum in hoc honoraret Baptiſtam, ſeceſſerit in deſertum quadraginta dierum ieiunium inchoaturus. Vix capio Domine: ſi namque veniſti Magiſter futurus nobis vniuerſalis, celebra ieiunium in Hieruſalem, vbi præuio tuo exemplo animentur ceteri, teque ieiunantem imitentur: Quis vnquam abſtinentiam culturus, & ſeipſum quis ſit reuelaturus eremum petiit victurus ſolitarius? Quos habere potes ieiunij tui & temperantiæ teſtes, niſi leones, vrſos, tigrides, & camporum ſyluarumque animalia? ſi velis vt omnes tuũ ſequantur exemplum, illud conſequenter ſtatue vt ad omnium veniat cognitionem. Ita reſpondet D. Cyprian. *Locus ſecretus eligitur, quia ſolius Dei iudicio, ieiunia ſunt agenda.* Tanti refert ne opera bona corrumpantur, illa quantum fieri poteſt, occultare; nam vt hanc Chriſtus neceſſariã ſtabiliret doctrinã prima ſua opera conatur abſcondere: cũ tamẽita ſit, vt ab illo facta nullũ in ipſo pati poſſint detrimentum, aut ruinæ exponi periculo.

D. CYPR. De ieiun. & tentat. Christi.

IV. Christus ieiunat in deserto gloriam fugiens.

V. Sepultus grandi lapide contegitur.

Sed nec cura hæc parem cum vita ipſius finem accepit: quinimò vt eam fixiùs ſolidaret etiam poſt mortem, vt ingenioſè notat D. Ambroſ. ſepeliri voluit in ſepulchro lapide contecto prægrandi. Monumentum, & deſuper lapis, quem, quia grauis erat & magnus, expendit Euangeliſta: *Erat quippe magnus valde.* Hîc latet indubiè myſterium, nec nobis ſufficiat littera mortua, nec frigidus ille lapis: percutiamus illum vt ſcintillæ proſiliant igniario calami D. Ambr. qui ſentẽtia quadam doctiſſima dicit quidquid de hoc dici poteſt. Ingreditur Redemptor noſter monumentum: *Cui pulcherrimus lapis admotus eſt, ne pateret.* Ita Deus affectat occultari, vt etiã mortuus ſepulchrũ recuſet in mobili & patula cunctis terra, ſed excauatum velit in petra: nec hoc ei ſufficit, vlteriùs præſcribit vt lapis admoueatur ingens: *Ne pateret.* Non eum diſcoopertum humani videant oculi, ſunt enim oculi baſiliſci, qui conſpectu ſuo venenum infundunt mortale, meritumque tollunt: cooperiatur ſaxumque magnum admoueatur: & continuò ſubiungit: *Quicumque enim in ſe bene humauerit Chriſtum, diligenter eum cuſtodiat, ne eum perdat:* nullo namque negotio virtus publicata perit, & odoris huius patuli fragrantia diſſipatur. Quàm terſè D. Pet. Chryſolog. *Theſaurum qui non abſcondit, prodit: virtutes prodita non manebunt virtutes, ſicut proditores ſuos deſerunt, ſic ſuos inſtant cuſtodire cuſtodes.* Eleganter & propriè inſimulat proditores qui proprias manifeſtant virtutes: creat illos Deus

Marc. 16.

D. AMBR. lib. 10. in Luc. de ſepul. corp. Chriſt.

D. PETR. CHRYSOL. Ser. 7.

huius præsidij Gubernatores, quatenus illud optimè conclusum defendant, illi verò portas eius aperiunt clauesque tradunt inimico.

Manna vetus Iudæorum in diem alterum reseruatum putrescebat & in vermes conuertebatur: porrò seruatũ vsque in Sabbatum, diem illorum festiuum, integrum inueniebatur: opera etenim facta infra hebdomadam (hoc est) cunctis manifesta, pereunt scatentque vermibus: verùm in Sabbatum seruata alterius vitæ, perpetua sunt & immortalia. Vnde appositè interpretatur Rupert. Domini præceptum, vt quisque vineam ingressus, pro libitu comederet, foras autem nihil efferret. *Ingressus vineam proximi tui comede vuas quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas*: quod ita exponit: Enutri & delicatè excipe animam tuam, vineam fertilem virtutibus, fructibus suavè sapidis: porrò sic de illis interiùs loquere, vt non coneris ea foris manifestare. Reus ero si verba eius subtraxero: *Operare bona quantacumque potes corde bono & animo volenti, nihil autem quasi ad oculos hominum &c.* Et concludit: *Qui autem facit iustitiam suam, coram hominibus vt videatur ab eis, vuas proculdubio foras extulit, & in hoc amici gratiam læsit.*

Exod. 16. VI. Allegoria.

Deuter. 23.

RVPERT. *lib. 1. in Deut. c. 26.*

Huic adscribit D. Bern. spiritum Fũdatorum & Patriarcharum Religionum, quo viros in deserta pelliciebant, virgines claustris includebant, & deserta replebant Anachoritis: *Etiam corporaliter in claustris, & in syluis abscondimur.* Forsitan populus ille solitarius non viuit? viuit vtique; cur ergo mediis sepelitur desertis, eremis, syluis, cellis, & monasteriis? Causam suggerit D. Bern. quia illos hîc morantes (de illis loquitur qui cum illo viuebant) si sæculares viderent suis intensos studiis, orationibus, ieiuniis, mortificationibus, vt Sanctos adorarent: quia verò virtus eorum manifesta cunctis, posset eis ruinæ & perditionis dare occasionem: hîc se includunt, & vt mortuos sepeliunt, quo viuæ remanent tutæque virtutes. Non me contineo quin eius vobis verba proferam: *Et si scire vultis, quantum in hac absconsione lucramur: credo nullum esse, qui si quartam partem eorum quæ facit, in sæculo actitaret, non adoraretur vt sanctus, reputaretur vt Angelus: nunc autem quotidie tanquam negligens arguitur & increpatur. Parum ne hoc lucrum ducitis, quòd non reputamini sancti, antequam sitis?* Ingens profectò lucrum: vnde concludit: demus monasteria domusque Religionum nullum aliud proferre cõmodum quàm pia opera concludere illaque diuinæ

D. BERN. *Ser. 4. in ps. Qui habitat.*

VII. Deserta colimus tuti à vana mũdi gloria.

uinæ tantùm censuræ subiicienda transmittere: beatam dixeris esse animam hîc commorantem.

Cùm hoc adeò magnum sit, quod modò ex ore D.Bern.percipimus,multò tamen minus est comparatione boni eius quod sequitur ex causa legitima velorum & vmbrarum, quas B.Virgo hodie adducit, aitque fuisse illud quod Angelus Incarnationis annuntiator mysterij profatur. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* (Luc.2.) (VIII. Mariæ humilitas.) Ita vt Deo incumberet Mariæ remuneraturo virtutes, illas occultare, nihili hoc faciens, quòd,cum ipsa diuinus esset sol, iudicarent homines, dum eam conspiciunt ad templum properantem, eclipsim passam esse puritatis. *Hæc est igitur absconsio, quam sub scapulis Domini præstari dixeramus, qualis forsitan absconsio fuit vel obumbratio, quæ Mariæ facta est à Spiritu S. ad celandum videlicet tam incomprehensibile Sacramentum.* Nihil hôc potest dici aut clarius aut elegantius. Præfatis addit Rupert. humilitatem fuisse murum seu fortalitium quo virginales virtutum donorumque prærogatiuæ seruatæ fuerunt à ruina incolumes. Quòd si illa quæ Deum in sua traxit viscera, suis demulsit brachiis, suis nutriuit vberibus, suoque tulit pectore, cùm ipsa esset pulchritudo: *O pulcherrima inter mulieres*, (Cant.1.) nisi velum hoc assumeret, illisque veniret vmbris abscondita, potuisset hanc audire repulsam: *Egredere & abi:* quid de reliquis iudicandum? *Ecce illi quæ de carne sua, Verbum carnem factum peperit, si ignorat se, subauditur vnde Domino placuerit, dicitur egredere, & abi.* (Rupert. Lib.1.in Cant.1.) Vnde concludit omnes eius virtutes ex humili sui cognitione protectas fuisse & conseruatas: *Humilitate gratiosa communiuit, atque perornauit, compleuit & custodiuit.* Et si filius cùm Deus sit, se præsentat, ad purificationem, mater prodeat, quamuis ex participatione, & gratia, Dea esse censeatur.

Discursus III. *Generosæ censentur & nobiles animæ, quæ plura faciunt quàm tenentur: quare Deus nonnulla libertati nostræ voluntaria reliquit obsequia: in quo nobis exemplo præit Virgo Maria hoc actu heroico supererogationis.*

CVm Deus effusa ac liberali adeò manu sua conferat homini beneficia, ingratus Deo foret homo, si parcus illi foret & illiberalis. Iucundè explicat Rupert. illud Cantici: *Sexaginta sunt reginæ & octoginta concubinæ.* (Cant.6.) Enutrit in regia sua Salomon ille cælestis sexaginta Regi-

Reginas & octoginta concubinas, eâ differentiâ quâ inter se discrepant. Quasdam inuenire licet animas parcas adeò abiectique animi, vt licitentur vtrum hoc Deo debeant necne. Quid futurum erat homini si tali modo Deus cum illo egisset? Porrò nobiles nutriunt cogitationes animæ generosæ, & corda præferunt Reginarum (inquit Rupert.) *quæ præcepto superaddunt consilium.* Mandata non expectant, diuinæ gratiæ non præstolantur rigores, consilia perficiunt, & gratuito faciunt aliquid, semper proficiunt, sistuntque numquam. Cessante diluuio, & aquis desiccatis, cælo autem faciem suam serenam lætamque demonstrante prodit de arca Noë, erigit altare Deoque sacrificium litat acceptum. *Obtulit holocausta super altare, odoratusq́; est Dominus odorem suauitatis.* Aduerte cum D. Ambros. Cùm Patriarcha particularem accepisset ordinem & agendorum instructionem, nec tamen Deus mentionem fecisset altaris, aræ vel sacrificiorum, cur plura facit ordinemque prætergreditur? Caueat ne similis reddatur Sauli, qui Deo placere contendens, illum offendebat, dum à Samuele præcepti diuini transgressor arguitur. *Melior est obedientia quàm victimæ: Hoc autem* (ita percunctatur D. Ambros.) *quod non admonitus est, cur fecerit, fortasse requiratur.* Respondet: Agat Noë quod animo suo bene sederit, nouit vtique quid Deo placeat: nec enim Deum oportebat hoc tunc præcipere, nec Patriarcham illud omittere, quin continuò perficeret. Non Deum, inquam, ne fortè quis diceret, quòd tam citò, & feruente nimis sanguine sacrificium sibi debitum expostularet. Non illud omittere Noë: quia non adeò certo quodam modo fuisset acceptum, si mandato Deus illud ab eo extorsisset. *Sed vtique Dominus* (hæc sunt Ambrosij verba) *non debuit quasi auarus mercedem gratiæ postulare: & iustus eam intellexit veram gratiarum actionem esse, quæ non iuberetur, sed deferretur: itaque nec dilationem passus est.* Et confirmat ex facto Zacchæi Principis Synagogæ: Saluatori namque nostro summopere placuit audire dicentem: *Si quid aliquem defraudaui reddo quadruplum.* Industria hæc ea est, quæ Deum deuincit, cùm vltra debita faciat; & qui vnico poterat satisfacere, quadruplum restituit. *Ideoq́; Zacchæus veniam meruit, quia non solùm restituturum se, sed quadruplum promisit.*

Proficiscitur Redemptor noster filiam Iaïri Principis rogatus ab eo instanter, à mortuis reuocaturus. *Domine, filia mea modò defuncta est* &c. Accessit prout

Margin notes:
RVPERT. *Lib. 6. in Cant.*
I. Opera supererogationis Deo placent.
Gen. 8.
II. Probatur in Noë.
1. Reg. 15.
D. AMBR. *L. de Noë & arca c. 22.*
Luc. 19.
III. Similiter in muliere sanguinaria.
D. CHRYS. *Hom. 32. in Matth.*
Matth. 9. *Luc. 8.*

ut potuit medium perrumpens plebis agmen mulier sanguinaria, viuaque feruens fide vestimenti Saluatoris tangit fimbriam, eoque instanti fluxus sistitur sanguinis, quo immunda iam duodennis laborauerat. Stetit cælestis medicus, iubetque vt in medium mulier prodeat, omnibusque constet miraculi non neganda veritas.

III. Similiter in muliere sanguinaria.

Obstupesco Domine, hæc mulier duodecim iam annis suam præstolata fuerat curationem, tot enim illi adscribit Euangelista: *Ab annis duodecim*; potest vel tantillo tempore expectare, donec è domo reuertaris Principis, cuius iam filia è viuis excesserat: ipsa viuit: superest ei tempus: quis te Domine diuinum solem, cursu properantem sistit velocissimo? Audi: *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius, salua ero.* Et de facto tetigit, admouit digitos, gressus accelerauit, & quæ solis poterat verbis salutem suam aucupari, opera adhibet supererogationis; hoc igitur ipsa meretur, vt pro eius solamine, aliorumque instructione Christus gradum figat. Sic opinatur D. Chrysost. his verbis: *Digitis solùm tetigit, & ideò cùm posterior venisset, prior curata recessit.* q. d. cùm supplex vna satis esset petitio, brachium extendisti: prima igitur sanitatem recipies: quia plura quàm rogaris, præstas, & necessitati superaddis voluntarium: cùm autem teipsam liberalis extendas, suam quoque manum tibi Deus extendat liberalis.

D. Chrys. Hom. 32. in Matth.

In pompatico illo triumpho quo humani generis Redemptor Hierusalem ingressus est non superbo insidens equo, sed tardâ, & humili vectus asinâ, hæret D. Chrysost. cùm enim eam discipuli nullo alio tectam ornatu adduxissent, quàm illo, quo eum Domini ad præsepe ligauerant, vestibus suis quasi sellam composuerunt, quâ Dominus noster commodiùs veheretur: *Et adduxerunt asinam & pullum.* Animaduerte, iuxta D. Chrysost. quòd nuda illi non placeant animalia, sed ornata sint oportet, quia opera nudè sumpta illi displicent: præbent autem ei quietem, quæ vestitu decorantur Apostolico, quo diligens notatur velocitas, quâ plura præstiterunt, quàm illis Magister iniunxerat: *Neque enim in eis requiescere potuisset Christus, nisi mandata eius fuissent in eis.*

Matth. 21.

IV. Nuda Christo nô placent opera.

D. Chrys. Hom. 37. in Imperfect.

Quinque illæ Virgines, quas Euangelium ob diligentem salutis suæ sollicitudinem appellat prudentes, alias autem quinque fatuas: in hoc prudentiam suam & sapientiam prodiderunt, quòd præter oleum, quo lampades repleuerant, aliud adhuc superabundans contulerant, quo moram faciente sponso, lampades enutrirent & fouerent:

aliis autem nempe fatuis prior ſuffecit diligentia, iudicantibus poſteriorem eſſe ſuperfluam: & cùm Deus opera quærat ſupererogationis, ſapientes admiſit, ab illis commendatas; fatuas autem reiecit, ab illis vacuas: *Prudentes acceperunt oleum ſecum: fatuæ autem non ſumpſerunt oleum ſecum.* Siccine ſtrictè & auarè defertis vobiſcum oleum? nihil efficietis. Ita ſingulariter hoc debeo Cardinali noſtro Caietano. *Fatuæ non ſumpſerunt oleum ſecum, hoc eſt in vaſis ſuis vltra illud quod erat in lampadibus; prudentes verò vltra oleum quod erat in lampadibus, acceperunt in vaſis ſuis. Illæ enim cogitauerunt id quod euenit, ſcilicet quod oleum lampadum non ſufficeret; illæ autem confiſæ ſunt in oleum lampadum tanquam ſufficiens.* Miratur autem Doctor ingenioſus quod reuerſis fatuis virginibus emptumque ſecum oleum deferentibus, atque oſtium pulſantibus portas nullus aperuerit: vnde mouet dubium & doctrinâ reſpondet formidabili, tamen vera: *Mirum apparet quod exiſtentibus adhuc etiam in hac vita virginibus claudatur ianua Regni cæleſtis, firmetur negatio ingreſſus.* Si ipſis mortuis quando poſt hanc vitam nullus datur locus tempuſque meritis: non expaueſcerem: ſed adhuc in hac vita degentibus, quis hoc capiat? Serum nullum eſſe dicimus diuinæ miſericordiæ tempus, quinimò aliquando ipsâ extremâ horâ ſolet iuſtificare peccatorem. Sed æqua ſceleri pœna reſpondet: vt qui Deo damnatur auarus, ipſi quoque Deus auarus non ſubueniat; non illi pia indulgentię negantur viſcera, ſed ab eo nullum meretur auxilium obtinere, atque in mortis lucta ſubſidium, cuius in vita neglexit, contempſitque gratiam. Ipſe loquatur: *Sed ceſſat admiratio, intelligendo quòd clauſio ianuæ non eſt negatio veniæ petentibus in veritate, ſed eſt negatio auxilij gratuiti diuini ad verè pœnitendum:* pro cuius confirmatione celebrem illam adducit D. Auguſt. ſententiam, quam etiam edidit D. Cæſarius Arelatenſ. *Hac animaduerſione punitur peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret oblitus eſt Dei.* Non expaueſcat nec obmurmuret peccator, ſi Deus vicem rependat, & meritò auarum ſe ei oſtendat, qui parcus ita & non niſi coactus Deo ſeruiuit.

Epilogum habeat feruenti ſuo ſpiritu Bern. ſuper viſionem Iſaiæ de flammeſcentibus illis Seraphinis, totque inſtructis alis, quique duabus cordi reſpondentibus volabant: *Duabus volabant.* Obſtupeſcit Bern. & ait: In quem finem in cælo cæleſtes illi ſpiritus Angelici alis indigent; numquid non ſunt comprehenſores? volet homo viator

Marginalia: Matth. 25. — CAIETAN. in c. 25. Matth. — V. Virgines prudentes ab oleo ſuperabundanti commendantur. — D. Aug. Ho. 13. To. 1. Biblioth. PP. — Iſa. 6. — VI. Seraphim in cælo cur alas habeant.

viator qui ad æternam illam tendit felicitatem: illi verò qui iam beatitudinis terminum attigerunt, vt quid? In puris illis & immaterialibus substantiis, videtur superfluum: *Numquid volandum adhuc erit, & ipsis Seraphim?* Diuinum eius audiamus responsum: *Ne videlicet insensibilis quadam & lapidea stabilitas æstimetur.* Fateor nullis illis opus esse pennis, si meritum spectes, sunt etenim *extra statum merendi:* sed gestus quosdam edunt se protendendi, videnturque quasi velle volare, quod gloriæ quâ perfruuntur, non contradicit: nam quietos esse & immotos, statuas sapit lapideas: quòd si nec eam in ipsis Angelis immobilitatem statuarum patitur Deus, quomodo ergo in hominibus adhuc in hoc mundo degentibus perferet, qui momentis singulis ad altiora se possunt incrementa promouere virtutum?

D. BERN. Ser. 4. de verbis Isaiæ.

VII. Ratio offerendi primogenita.

Talem redolet spiritum præceptum illud de oblatione primogenitorum. Cùm enim iuxta litteram Moyses hoc populo præceptum intimasset, subiunxit. Si filij vestri ac nepotes oblationis huius & ceremoniæ rationem inquisierint: respondebitis. Quia Deus educturus nos de Ægypto, omnes eius interfecit primogenitos, tam in hominibus quàm in iumentis; vnde suadet æquitas, vt tanti beneficij memores nec ingrati statim illi ad templum offeramus primogenitos: non autem ea fuit ratio, quia tales illi magis placerent: quandoquidem ex S. eloquio constet quòd communiter oculos suos coniiceret in minorennes vt patet in Abel, Iacob, Dauid: sed quia primogeniti parentibus solent esse chariores, sunt enim primi amoris effectus, volebat autem hoc opus vt supererogationis, non permittens vt ad secundò genitum oblatio differretur; atque idcircò Virgo Maria ad oblationem defert columbam, auem partu fecundissimam: quandoquidem talia fuerint eius merita, cuius augmenta nullam nouerant stationem: omnia ad nostram instructionem. *Quid est autem* (sic audio percunctantem D. Bern.) *quod dicimus B. Mariam purificari?* Purificatio & Maria? *Nobis ergo purificatur.* Vltra debitum facit, quatenùs inde discas magis aliquid præstare quàm ex lege obligaris: Dei legem obseruat, & supererogat: idcircò gressus eius mirificè extollit: *In calceamentis,* hoc est, diligentem operandi sollicitudinem: quamuis enim nullam ex purificatione acquirat munditiem, tantum tamen est illud quod ipsa satagit implere, vt ad hoc anima velocissimè rapiatur, sicut sitiens à fonte non potest separari pellucido. Huic suffragatur Gaugericus

D. BERN. Serm. 7. in paruis.

Cant. 7.

cus explicans illud de Canticis: *Tempus putationis aduenit. Tempus purgationis aduenit, quando mater summæ puritatis pariter & fontem edidit, & exemplum dedit nobis.* Et licèt omnem superexcederet legem: humilitas tamen eam illi subiecit: vt nouerimus præter legis mandata virtutis promouere studium: sic ex illa discit docetque Laurent. Iustinian. *Virginem supra legem fecerat gratia, sed sub lege humilitas, vt discamus facere aliquid supra legem*; quod Poëta Christianus his versibus absoluit:

Cant. 2.
GAVGER. Serm. 4. de Purificat.
LAVRENT. IVSTIN. Ser. de Purificat.

Diua parens euge, parensq́ue puerpera, multo
Longior obsequio quàm partu, euge inclyta Virgo.

Discursus IV. *Insigniori sanctitate celebris, talis non est si Deo conferatur: & cùm purissima eius Mater sanctissima sit Sanctorum, ad latus tamen constituta speculi adeò clari, nempe filij, se tenebris inuoluit, nec tamen eclipsim patitur, docetq́ue nos ne de bonis præsumamus operibus: inter spem metumq́ue viuentes.*

INsuper ad templum procedit Virgo nobis ad exemplum, & instructionem: quâ sciamus quòd in Dei comparatione omnium perfectissimus ac sanctissimus, talis non sit, sol atomos patitur. eius claritatem nubes obscurant, & nulla licèt nubes purissimam hanc & clarissimam obfuscaret stellam, nos attamen sua docet instructione. Hanc Propheta Regius veritatem ore confessus est apertissimo: *Non iustificabitur in conspectu omnis viuens.* Domine, nullus viuentium tuis se potest offerre conspectibus, nisi totus corpore contremiscens. Arcanum quid notat hîc D. Bern. & magnum quidem in illo: *Omnis viuens:* non ait: *Omnis homo.* Et hoc ea ratione vt in ipso vniuersali verbo *viuens* ipsos Angelos comprehenderet: qui licèt gloriæ splendoribus effulgeant, coram Deo tamen obtenebrantur: apud nos illis ex luce gratulamur, dum rutili apparent: at coram Deo obscurum radiis suis velum iniiciunt. *Nec ait: omnis homo, sed omnis viuens, fortè vt nec ipsos Angelicos eum noueris spiritus excepisse.*

Ps. 142.
I. Omnes re- spectu Dei, nihil sunt.
D. BERN. Serm. 5. de verbis Isaiæ.

Descendit Angelus Gabriel in templum læta mundo nuntia delaturus ob filium, orbis delicias, ad patrem eius Zachariam offerentem sacrificium: turbatur ille non modicè, timore percellitur & expauescit: solatur illum Angelus: *Ne timeas Zacharia.* Quid te ô sanctissime Pontifex perturbat? An sanctus non es? vtique: illum etenim eiusque

Luc. 1.

que vxorem Elisabeth Euangelium in album refert Sanctorum. *Erant ambo iusti ante Deum.* Et cùm tibi conscientia sit ab omni macula pura, esto securus, non trepides: non possum, tremor me nimius apprehendit (sic pro ipso respondet D. Petr. Chrysol.) vidi Angelum: estque adeò purus ille spiritus, vt meus carne circumdatus in illa cernat, quod ante lucis huius conspectum non discernebat: vnico
Chrysol. Serm. 38. verbo: *Caro numquam de sua conscientia est secura.* Quid igitur, si Deo conferatur?

In veteri candelabro quod cum septem suis lucernis lucebat in templo, atque ex sententia D. Pet. Damiani denotat septem dona Spiritus S. animam illustrantia in quâ lucet, verumque est templum Dei, difficultatem inuenit Cardinalis præ atus circa præceptum Moysi de hoc da-
Exod. 25. tum: *Emunctoria quoque, & vbi quæ emuncta sunt extinguantur,*
II. Nemo sine sordibus. *fiant de auro purissimo.* Vix capio: cùm enim charismata designent Spiritus S. an aliquid in illis est emungendum? Præcipitur hoc propter subiectum humanum in quod cadunt: sanctus etenim inter alios eminentior, lux splendidior, & fax illustrior mucum generat lucens in templo, & hoc coram Deo: *Quædam superfluæ corruptiones interserunt, cùm lucernis etiam emunctoria necessariò fiunt.* Extorri Apostolo & Euangelistæ D. Ioanni frequenter cælum suas aperit portas diuinis reuelationibus manifestas: in quarum prima cernit filium hominis in medio septem candelabrorum aureorum, habentem in manu sua septem stellas lucidissimas, ex quibus tanto pauore corripitur vt quasi mortuus ad pedes eius corruerit: *Cecidi ad* Apoc. 1.
pedes eius tanquam mortuus. Hic ex sententia D. Ambrosij eleganter exprimitur, quòd homo meritis licèt & iustitia præclarissimus, stare nequeat coram Deo, sed concidat necesse est ad pedes eius: status enim hic notatur peccatoris. D. Ioannes dilectus ille discipulus, ille qui irreuerberata mentis acie vt generosa aquila solem contemplatus est, ille Christi alumnus, ille amicus eius intimus, dum radium vel vnicum Dei sibi conspicit reuelari, proruit in terram timore perterritus: quis ergo de se boni quidquam opinetur? Ne verba D. Ambrosij subticeam. *Ecce Ioannes qui sibi stare videbatur, viso Domino cecidit tan-* D. Ambr. in Apoc.
quam mortuus: quia vnusquisque vir sanctus quantum se ad contemplandam diuinitatem Dei altiùs erexerit, tantò apud se introrsus inferiùs cadit: quia in comparatione Dei, eius magnitudo quàm parua sit facilè perspicit.

Ostendit Christus in monte Thabor quisnam esset, permititque animæ suæ vt ad corpus

quosdam gloriæ splendores demittat. Illi collaterales apparent Moyses & Elias. Rationem adfert D. August. cur duos illos secum adduxerit, vt legis nempe & prophetiarum principes, & alteram addit valde singularem. In confesso est quòd Moysi facies tanto fulgore radiauerit ex continuo ac familiari cum Deo colloquio, vt eum Israëlitæ facie ad faciem intueri nequiuerint, nisi priùs peplo faciem suam obtexisset. De Elia similiter nullus ignorat raptum fuisse curru igneo, & splendido in paradisum; ignis autem diuinitatis est symbolum. *In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te*, sic psallit Dauid de æterna locutus filij generatione. *Deus noster ignis consumens est:* testatur qui hoc bene callebat. Vt autem omnibus sit manifestum quòd splendoribus illustris Moyses, & in igne Elias triumphans nihil præter esse hominis habeant dignius, adducit illos Redemptor noster, quatenùs dum lateri suo socij, & in huius gloriæ conspectu consistunt, illa ipsorum gloria obtenebretur: etenim clarissima lucis vestimenta, si Deo conferantur, tenebræ sunt & obscuritas. Testem assumo D. August. *Vel ideò vt Moysi cornuta facies, in quam non poterant filij Israël intendere, & Elias curru igneo raptus comparati Christo obscurarentur.* Lux eorum eclipsim patiatur, & pereat auctoritas: etenim Deo refert plurimum, vt omnes conspiciant, quòd illi comparatus nullus sit homo qui luceat: solus ipse Deus effulgeat.

III. Allegoria.

Ps. 109.

Deuter. 4.

D. AVG. L. 3 de mirabil. S. Script. in fine.

Ex præfatis documentum elicio proficuum. nobis viuendum esse inter spem & metum: vt hinc nec hic nos reddat socordes, nec inde illa præsumptuosos. In hoc ingenium admiror D. Matthæi: cùm enim duodecim numeraret à Christo ad Apostolatus officium electos, de se tantùm testatur se fuisse publicanum, quòd alij tres subticent Euangelistæ: quatenùs ex eius sceleribus altiùs emineat Dei misericordia; de Iuda quoque commemorat quòd fuerit Magistri sui ingratissimus proditor: dicit itaque: Matthæus publicanus & Iudas proditor. Hic oritur difficultas cur qui silentio presserit, & Thomæ infidelitatem, & trinam Petri negationem: proprias non celet culpas? Et concedamus quod ex humilitate velit illam in se prouocare virtutem; subticeat Iudæ proditionem, cùm defectus tegat aliorum. O prudentissimum Euangelistam: q. d. Litteris trado & promulgo quod publicanus grauiter peccauerim, & gratuitam receperim à Deo scelerum indulgentiam: vt te ad spem prouocem: similiter intimo

Cant. 3.

V. Timor decet animam.

IV. Matthæus se publicanum, & Iudam scribit proditorem.

NISSEN. in Cant in Orat.

D. CYPR. L. de singular. Cleri post initi.

mo Iudæ traditionem & vltimam eius desperationem ob quam à diuina reiectus misericordia periit: ne nimium præsumas sed inter spem metumque viuas salutis tuæ studiosus.

His optimè consonat, quam semper magnifeci, acutissima D. Gregorij Nisseni explicatio super illud Cantici: *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi* &c. per lectulum animas hîc intelligit: sunt etenim diuinæ locus quietis. *Propter timores nocturnos:* timore perculsi & ab omnibus sibi cauentes. Quis modum loquendi non miretur? si fortes adeò describas illos, vt quid armatos producis? si tot armis præmuniti contra eos à quibus pati possunt nocumentum, an formidolosi esse debent? hoc animo repugnat generoso, ducemque dedecet bellicosum. Ipse Sanctus vir respondeat: *Diuinæ pulchritudinis amabilitas omnis esse in terrore sita videtur.* Omnes qui Deum diligunt, & hac diuina eius capiuntur pulchritudine, eo modo illi afficiuntur, vt quatenùs eorum amor in relaxationem non degeneret seu contemptum, timore temperetur. Elegantiam audite D. Cypriani: *Estote timidi, vt sitis intrepidi, & licèt timor in certamine infirmitas esse videatur, tamen secundum verbum Apostoli virtus in infirmitate perficitur:* hoc est esse, *Ex fortissimis Israël & propter timores nocturnos.* Et quamuis si bella spectes terrena, metus roburque pectoris sibi contraria opponantur, non tamen si spiritus attenderis certamina, in quibus qui vult esse magnanimus, formidolosus sit oportet: *Estote timidi sitis intrepidi.*

Cant. 3.

V. Timor decet animam.

Nissen. in Cant in Orat.

D. Cypr. L. de singular. Cleri post initii.

Hæc alta mente considerans D. Bern. ait: quòd sicut in hac vita nemo sibi polliceri potest securitatem: sic & electis in morte sua de tribus oportet nos applaudere: quo namque instanti mortis necessitate oculos suos claudunt, de tribus iisque fortibus eruuntur inimicis. De peccato: nec enim ampliùs peccare possunt; de laboribus: quia ad illos ab ortu suo vsque ad mortem damnati conqueruntur; *In sudore vultus tui vescêris pane, donec reuertaris in terram de quâ sumptus es:* tunc enim ligo cadit è manibus; de periculis: quandoquidem de tantis quantis intricatur mundus eripiantur. Adesto Bernarde: *Triplex igitur congratulatio est homini, ab omni peccato, labore & periculo.* Cui mox præfatus auctor ingeniosè annectit quòd Elias discipulo suo Elisæo dum à Deo curru raperetur igneo in paradisum, pallium adiecerit per pallium denotans corpus,

Gen. 3.

D. Bern. Ser. 5. Omnium SS.

pus, q. d. Ecce sume hoc tibi pallium, iam omnem pello metum, & securus sum extra mundum, nec adulteram timeo, quæ manus iniecit pallio Ioseph: nec intrepidus pericula formido ob vitam quam inde migrans desero: & quamuis viuens abscedam, quasi non viuerem sic recedo: etenim ad regionem tendo ab omni liberam occasione, metuque mortis solutam: *Posuit Elias pallium: non est quod timeat, non est quod tangi, nedum teneri ab adultera vereatur.* Por-

VI. Socordia taxatur hominum.

rò homini proprium est tantò viuere negligentiùs, quantò grauiora sunt pericula: dormit enim profundè Ionas turbinibus & maris tempestate iactatus, quam ipse sibi sua refraga concitârat inobedientia. Secedit Isboseth meridie ad quietem inimicis circumuallatus: talisque inoleuit peruersa socordiæ nostræ consuetudo, vt dum grauiùs imminet periculum, simus à timore solutiores: ita subtiliter noto cum Caietano, vt ad finem argumenti dicemus. Ingreditur Christus nauiculam cum Apostolis suis, inflatur pelagus, insurgunt vndæ, fremunt ventorum turbines, ille verò ex industria totusque quietus obdormiscit. *Ipse verò dormiebat.*

Matth. 8.

VII. Christus in naui dormiens ostē-

Quid hoc rei Domine, numquid modò tempus est horaque dormiendi? Tempus nunc est, meo quidem iudicio, vt apertis oculis surgensque potens imperio, vt Deus, mari elemento huic furioso tranquillitatem imperes & malaciam. An ergo nos adeò manifesto deses expones naufragij mortisque periculo? Notandum ait Cardin. insigne latet hîc arcanum: somnus hic vigilia est: & socordia hæc sollicitudinem indicat maximam. Hoc agebat Christus vt eum homines velut hominem agnoscerent, in hac illos veritate confirmans: sed quâ ratione meliùs quàm si in eminenti sic periculo dormiat incurius, quod ita familiare propriumque est homini? Iam ipse loquitur. *Ipse verò dormiebat coram aliis in testimonium veræ naturæ humanæ.* Hæc ruminate verba: *Coram aliis:* q. d. si illum humani oculi non vidissent, vigilasset vtique: sed cùm eum mortales adspicerent, quibus hoc volebat innotescere quod verus esset homo, similis ipsis obdormit. *In testimonium veræ naturæ humanæ.*

dit se verũ hominem.

Caietan. in c. 8. Matth.

Discur-

Discursus V. *Se Redemptor noster legi subiecit, quam ipse olim per Moysen indixit: instruens Prælatos, vt ipsi primi quæ præcipiunt aliis, exequantur: quorum exemplum est efficacissimum.*

MAgnam profectò vim habet & efficaciam Principis Prælative exemplum: robur suis addunt præceptis legis à se positæ cōpletione, & suauiter in sui trahunt sequelam subditos, quibus se præbent exemplum antesignani: ex opposito tyranni per vim metumque eorum prosternunt animos. Inexpugnabilis habebatur vrbs Hiericho, cuius murorum altitudini confisi incolæ vltro se tradere noluerunt Israëlitis, populo Dei: Quid facto opus? Noluit Deus vt arietibus mœnia quassarentur, non tormentis euerterentur bellicis; non machinis admotis inuaderent, non scutis corpora protegerent, non gladios euaginarent: sed vt sextiduo fœderis Arca circumduceretur, atque ad populi totius clamores, tubarumque clangores Sacerdotum ministerio, septimo die sublimiora eorum mœnia terræ humilitati æquata sunt. Rem attendit D. August. & si humanæ cedat rationi, nulla videtur hîc ei conuenientia.

Iosue 6. I. Allegoria

Ad murorum euersionem, vocis insonantia, eaque instrumento languido num illa sufficit? quænam illi vis inerat ad fortissimorum euersionem mœniorum? Cur cuncta Deus repellit media quorum frequens & communis est vsus hominibus vrbem oppugnantibus? *Non illos pulsauit aries, nō expugnauit machina, sed quod mirum est, sacerdotalis sonus aut tubæ terror euertit.* O mirum Augustini Doctoris ingenium! Nullis indigent mediis quibus subigantur ciuitates, quibus robustiores armentur milites, quando coram illis Sacerdos & Prælatus in buccina manus attollit, atque in voce subditi manus aduertunt: vox quidem sonus est aëris; sed robur infundit, animos excitat, causatque spiramentum.

D. Aug. Ser. 106. de temp.

Adfuit missus à Deo Ioannes Baptista mundi morumque reformator: cuius cùm Euangelista vocem & prædicationem descripsisset, illicò vitæ eius seriem ordinemque subiungit. Quem obsecro pariet hoc effectum? Doctrina eius illa me tangit? viuat ipse vt voluerit. Nam etiam nos Christus docet, ne tam manus & opera reproborum attendamus præceptorum, quàm linguam eorum & doctrinam: & ait: quòd si doctrina bona fuerit & salubris, vitam eorum & mores non inspiciamus. *Omnia quæcumque dixe-*

II. Ioan. Baptista verbo & opere docuit.

Matth. 23.

dixerint vobis seruate & facite: secundum opera verò eorum, nolite facere. Casus hic est, inquit D. Chrysost. hoc expendens, quòd D. Ioannes venerit vt Rex & Præsul potestate munitus plenaria reducendi homines ad Deum: atque huic cùm exemplum adeò deseruiat, dicatur & id quod docuit, & id quòd operatus est Baptista: eius etenim verba leuiter mouebunt corda, vita verò eius vt omnibus in confesso, trahet efficaciter. Libenter audio D. Chrysost. *Nam testimonium verborum eius nequaquam fuisset idoneum, nisi eum mirabilis vitæ institutio commendasset.* D. Irenæus Martyr appendit in iudicij statera hominem primò creatum, eumque diligenter attendit. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã:* & factus est homo ad imaginem & similitudinem Dei, proditque tot in anima diues charismatibus, tanta corporis venustate spectabilis & manente in Dei fabrica gratia hac & natura, perfectum Dei surrexit exemplar. Sed ô dolor, paruo tempore in hac stetit constans vtriusque hominis felicitate: partes etenim secutus diaboli claues illi castri huius tradidit factus ingratissimus diuinę proditor Maiestatis; quid plura? Dei perdidit in se priorem similitudinem: quâ ratione tam citò lapsus est? Hæc sit ratio (respondet D. Irenæus) quia namque Deum non vidit carne sua vestitum, nec hominis referentem similitudinem, nullas habuit vires quibus eum sequeretur antecedentem; & donec illud cerneret, meo iudicio totalem Deus creationis hominis homini non dederat perfectionem, nec ministrauerat, quibus Deum suum imitaretur, aut robur infudit, donec veniret Deus factus homo, hominique similis. Non vlteriùs tam egregia verba differamus: *Tunc autem Verbum ostensum est quando homo Verbum Dei factum est, semetipsum homini, & hominem sibimetipsi assimilans:* (quamuis enim homo sit Deo similis, hoc deerat, vt Deus esset similis homini:) *vt per eam quæ est ad filium similitudinem, pretiosus homo fiat Patri: in præteritis enim temporibus dicebatur quidem secundum imaginem Dei factum esse hominem, non autem ostendebatur: quando autem caro Verbum Dei factum est, vtraque confirmauit, imaginem enim ostendit veram.* Notanda veniunt vltima verba. Non videbatur homo omnimoda creatus perfectione commendabilis; cùm illi deesset, vt Deus illi similis appareret per mysterium Incarnationis, atque illo obiecto ac ratione illum roboraret ad obsequium suum & imitationem: & sicut in paradiso hoc oculis suis non vidit exemplum, de sua confestim corruit

D. CHRYS. Hom. 3. in Matth.

Gen 1.

III. Ratio mystica lapsus Adæ.

D. IREN. L. 5. aduers. Hæreses c. 16.

IV. Deus pro homine moriatur, vt homo pro Deo moriatur.

annata felicitate. Hoc idem clariùs audiamus ex D.Aug. quærit enim, quandoquidem Deus nos nullo suo potuerit labore redimere, cur excessiuam adeò dedit solutionem, & copiosa fuit
Psal.129. nostra redemptio, vt eam decantat Dauid? & præmissis aliis rationibus addit hanc elegantissimam. Hoc illi in votis erat, non tantùm nos à culpis pretioso suo sanguine liberare, sed & hominem deuincire, vt (cùm ita necesse sit) pariter & suam in debitam gratitudinem eius gratiâ vitam rependeret: & hoc iudicauit, quod licèt hoc illi præcepisset, exiguâ tamen mandatum polleret efficaciâ, nisi priùs in illo hoc homo notasset exemplum: quocirca moriatur pro
D.Aug. Ser.8.de temp. homine Deus, si velit vt pro Deo homo moriatur. *Vt nos quos sanguine suo redemit, à vitiis atque criminibus, non solùm auxilio suo doctrinæ & gratiæ, sed etiam exẽplo suo ad studium sanctitatis accenderet: vt nos non modò præcipientem Dominum, sed etiam exemplo suo ad virtutis fastigia prouocantem maiori alacritate sequeremur.*

V. Christus in cœna primò bibit cæteros exemplo præcedens. Dum Christus diuinissimum instituit Sacramentum, propinans Apostolis calicem sanguinis sui pretiosi, biberunt ex illo omnes, nemo bibere recusauit: cùm ita sit quod ante dum Sacramentum hoc promulgaret, tantum quia verbis hoc explicabat: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem: non habebitis vitam in vobis: Ex hoc multi discipulorum eius, abierunt retro.* Et modò duodecim cum illo recumbentes omni secluso horrore, & repulsâ illum bibunt. Si quis rei huius causam inquirit (inquit D.Chrysost.) respondebimus eam esse: quia viderunt Magistrum suo illos exemplo præeuntem, & primo omnium epotantem, & exemplum illud in capite & duce, viam illis aperuit, & metum sustulit: quinimo Saluator præcauens ne Apostolis suis illud eueniret, quod aliis discipulis, ipse primus calicem sumit & haurit. Explicet hoc verbis suis
D. Chrysost. *Ne igitur id tunc quoque accideret primus ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret.* Verumtamen alij veniunt seueri legum conditores, quas non à se sed ab aliis volunt obseruari. Non ita Christus diuinus ille legislator: hanc præcepit legem obseruari, cùm Deus esset & non homo: modò verò cùm Deus sit & homo, illam in se non coactus impleuit, pergitque ad templum se præsentaturus. D.Chr. Hom 83.in Matth.

Discursus VI. *Explicatur hodiernum mysterium & ratio proponitur huius singularis ceremoniæ candelarum.*

QVi annosum vidisset sanctumque Simeonem ad valuas templi curiosiùs bonum illud aucupantem, quod oculis suis cernere præsens tantopere desiderabat, dicere illi potuisset. Ingredere Sacerdos, ibi Deo litantur sacrificia quid præstolaris? Procul dubio ratio est: quia omnes oblationes quæ hactenus in templo peractæ sunt, eò adductæ arisque impositæ; non erant omnino perfectè diuinæ placitæ Maiestati, non præceptæ, non institutæ, licèt permissæ, dum infirmitati indulgetur populi ad idololatriam supra modum propensi: quamobrem ad portam, aliâ longanimis expectas hostiâ delectari, quam luce cælesti didicisti. Ita sensit Rupertus in verbis illis, quibus in Canticis suis Salomon mundum introducit calamitatibus oppressum egentemque remedio, ac proinde pulcherrimam inclamanté Mariam vt infantulum suum introducat conspiciendum, quam in hac occasione cognominat Sulamitidem. *Reuertere, Reuertere Sulamitis, reuertere vt intueamur te:* vel vt ipse legit: *Sunamitis.* Alludit, vt opinatur Rupert. ad lib. 3. Reg. 1. Cùm enim Dauid ad decrepitam vixisset ætatem, & multis iam annis ingrauesceret capularis, vires illi languescerent, & sensus obstupescerent: eius Regiæ Magnates inito consilio puellam pulchram valde & castam quæsierunt quæ iuuenili corporis sui calore foueret senile & frigidum Dauidis corpus, vitamque seruaret illi vt Regi adeò necessariam: fuit autem puella hæc Abisag Sunamitis. Perpendit autem Rupert. quod stragula & lodices, quibus coopertus Dauid calorem recipere non poterat, veteris legis denotent ceremonias, effusum animalium sanguinem, gregum & armentorum sacrificia, & cùm Sacerdotes illius tempestatis sanguine respersi essent parumque mundi, nihil horum Deo erat acceptum. *Non delectabiliter accipiebat:* donec veniret ad Mariam, quæ senescentem mundum reddidit iuuenescentem: & hoc Simeon annosus ad portam anhelus expectat, dum felicitatis suæ tempus adesse sentit transacta iam vita sua multis molesta sollicitudinibus: vt graphicè eum delineat D. August. *Quando veniet? quando nascetur? quando videbo? Putas durabo? Putas hic me inueniet? Putas isti oculi videbunt per quem cordis oculi reuelabuntur? dicebat ista in orationibus suis.* Quid festinas

[Margin notes: Cant. 6. — I. Allegoria. — D. Aug. Ser. 16. de temp. Incipit: hodiernus dies.]

II. Christus Simeoni reuelatur.

nas ô mors? ſuſtine parumper, lenta procede, donec vitam videam, tunc enim ipſe te vocabo libenſque moriar. A longè igitur diuinam contemplatur lucem, licèt tot vmbris obſcuram, & prodit in occurſum illam miro gaudio recepturus. Percunctatur autem D. Auguſt. *Vbi noueras quod agnouit? An intus eſt reuelatus, qui foris eſt natus?* Vna nobis hoc hiſtoria enodabit. Iniungit Dominus Samueli reprobato iam primo Iſraelitico Rege Saul vt proficiſcatur in Bethlehem vncturus in principem Regemque populi ſui vnũ ex filiis Iſai, nec tamen quis ſit vngendus exponit: accedit Samuel iubetque omnes coram ſe produci filios Iſai; prodit primogenitus Eliab, adoleſcens viribus nulli ſecundus: dicit Domino Samuel numquid hic ille eſt: non eſt, reſpondet Dominus: vt enim hominum oculi non niſi exteriora conſiderant, ſufficiat tibi venuſta corporis eius ſtatura: procedunt omnes ſeptem, nec vnus ex illis vngendus eligitur. An alius ſupereſt? vtique: paruus opilio gregem in paſcuis cuſtodiens. Veniat: ingreditur Dauid, & continuò monet Samuelem Spiritus S. *Surge, vnge eum, ipſe eſt enim.* Surge & prophetali licèt fulgeas dignitate, coram illo tamẽ ſtes oportet erectus: hic ſedem occupaturus eſt regni Iſrael. O

I. Allegoria.

D. AVG. Ser. 16. de temp. Incipit: hodiernus dies.

III. Allegoria.

1. Reg. 16.

te cæli Principem, Verbum æternum, paſtorem diuinum: iam enim factus homo, Dauid fuiſti à Synagoga reprobatus: hodie mittitur Simeon, non te vncturus in Regem, cùm te Pater tuus vnxerit, & rex ſis cælique ſolique heres. *Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Ps. 44. Sed adoraturus, illamque latentem recogniturus Dei Maieſtatem. Multæ conueniunt mulieres infantes ſuos tenellos charaque pignora candidis inuolutos pannis, byſſiniſque faſciolis conſtrictos, deferentes: num aliquis horum eſt, quem auidus expecto? Nequaquam: nam *Abieci eum.* Paſtor eſt, cuius habitus purpuram non redolet, non ſpirat aulæa, fugit delitias, recuſatque blanditias. Quando à longè conſpicit aduentantem virginem, moribus caſtè compoſitam, veſtitu humilem, pulchritudine cæleſtem, ſplendoribus luceque circumfuſam: totum ſolem panniculis & vilioribus opertum faſcijs, animâ totus inardeſcit, oculi defluunt lachrymis, ſe pronum diuinæ inclinat Maieſtati, matrem obnixè deprecatur, vt filium ſibi tradat brachiis ſuis conſtringendum, pectori admouendum, milleque baſiis excipiendum. Eum deſcribamus verbis Emiſſen. *Occurrit ſenex, brachia extendit, & parentibus ait: mihi eum date, mihi debetur, mei officij eſt, ad hoc miſſus ſũ.*

EMISS. ser. de Purific.

IV. Simeon Ieſum in vlnis recipit.

Meus est, ô Princeps inclyta, diuinus hic pusio, brachia hæc senio languentia eius erunt thronus; nam huic ministerio tanto tempore cælum vitam huic protelauit annoso. *Et qui vix seipsum prius ferre poterat nunc leuiter puerum ferens exultat.* Verumtamen quænam hæc tam repentina senis in adolescentem facta mutatio? de fatigato in robustum? nam qui prius seipsum ferens vix ad passum valebat progredi, nunc Deum baiulans cum celerrimis ipsis Angelis certat velocitate. Deus etenim animam in iuuenilem restituit alacritatem, illam ingrediens: nemo igitur obstupescat, si velox adeò procurrat: omnem enim ignis sphæram in sinu suscepit: vnde voces elicit lingua, quæ ardet, sacroque intus moritur incendio.

V. Optatque mori. Hoc indicat initium mystici huius Cantici: *Nunc dimittis:* Domine, totus ardeo, flammis exuror. Sed quid hoc? ô senectus beata! ô tempora vtiliter impensa! ô venerabilis sanctaque canities: quomodo dolendam appetis mortem, cùm vita modò fruaris delectabili? Nunc dum alius eius expeteret prolongationem, tu postulas abbreuiationem, & intonas: *Nunc dimitte*, vt legit D. Ambros.? Optimè (respondet Abb. Guillebert.) etenim ad vitæ conspectum nempe Dei, vitæ præsentis agnoscit calamitatem. *Ad noui amplexum pueri, senescentis deposuit hominis vetustatem.* In hoc puero, & non ante, apparet mundi iam terminum finemque absolui: quocirca mortem expostulat.

GVILLEB. ser. 9. in Cant.

De leone referunt Naturalistæ, quòd captâ prædâ palato sapidâ, vltra modum rugiat, atque cum illa inter rapaces vngues suos iocetur & ludat, hinc & illinc illam feroci intuens aspectu, q. d. An mihi hanc aliquis præsumat euellere? Prædam venatus est Simeon in hoc ipso magnanimo & forti Leone de tribu Iuda: quid miraris, si mortem ipsam prouocet intrepidus? Veniat, nec enim illam timeo. Iam ad transitum ex hoc mundo se Simeon præparat (ita piè Gaugericus) mortem appetit & oppetit, candela illi traditur in manibus: etenim *Verbum in carne, tanquam lumẽ in cera.* Quamobrem *Ecce cereus ardet in manibus Simeonis.* O felicem qui cum hoc cereo moritur: quandoquidem ad iucundam sponsi receptionem, melior esse possit nulla dispositio.

GAVGERIC. ser. 1. Purificat.

VI. Simeon cũ cereo in manibus vult mori.

VII. Ratio festi candelarũ.

Hic est ille spiritus Ecclesiæ, quo hodie benedicit candelas, quas manibus deferimus, quibus nos præuiam docet diligentiam. Vt autem hanc enucleemus ceremoniam, notandum quòd inter Gentiles ritus Romanorum in more haberent sin-

ſingulis quinquenniis feſtum celebrare ſolemniſſimum ſecundo die Februarij in honorem Deæ Februæ matris Martis Dei bellorum, quo tota nocte cereis accenſis vrbem circumuolitabant, quem infidelium ritum Sergius Pontifex in Chriſtianam mutauit pietatem, in gloriam & honorem Matris Dei, Deique exercituum & appoſitè puriſſimæ Virginis partui candelas circumferimus albas: apes etenim quæ de floribus ceram componunt, ex naturali non naſcuntur medio generationis vt cetera animalia & aues, Apis diuina Maria: de flore namque viſcerum ſuorum ceram compoſuit, ſacratiſſimam Chriſti carnem, in qua lucet ardetque diuinitas: cuius vmbram præſignauit illud vetus templi candelabrum, in quo, præter flammas quas emittebat lucidiſſimas, inſculpta videbantur lilia: hoc cape myſterium; lux ad templum adducitur, eamque profert Virgo illibata, quam lilium dixeris candore puritatis nitidiſſimum: eleganter lux & purificatio conueniunt. Cum D. Bernard. Chriſtum dicamus eſſe cereum: *Tanquam immenſi & præclari luminis cereus.* Cum gratiarum igitur actione noſtram ſuſcipiamus beatitudinem, & opulentiſſimi nauim mercatoris: quæ ſuperatis tot aduerſis peccatorum turbinibus, quibus ne appelleret, impediebatur, ad portum accedit per Virginis Mariæ delata manus, ex quibus Pater miſericordiarum ſuſcipit filium, & hoc ſperemus, quòd eodem mediatore homines ſuſcipiet calamitoſos. *Suſcipiamus Domine miſericordiam tuam in medio templi tui.* Qui lucis ſuæ fulgore tenebras diſſipet, ſuo ardore noſtram calefaciat frigiditatem, ſua puritate noſtra purificet corda, vt lux eius, ignis & gratia nobis gloriam obtineant æuiternam. Amen.

Rationale Diuin. Officior.

Exod. 25.

D. Bern. ser. 3. vigil. Natiui.

Diſcurſus VII. *In hac vnica ſolemnitate dicta candelarum & luminum magis quàm in alijs accenduntur corda ad cultum Virginis: quandoquidem maxima eius gloria tot vmbris eclipſetur & obſcuretur: cùm Deus pro more habeat clarioribus illuſtrare radijs eum qui in eius gratiam & auctoritatem eoſdem occultat: & ſi ſe Dei gratiâ periculo iactura exponat, ſemper lucratur ampliora.* Additus.

VMbras offundit Deo Maria, & Mariæ Deus: hic enim cùm ſit ipſa ſanctitas ſe præſentat quaſi peccator eſſet: & Maria ſol diuinus radios ſuos ful-

fulgentissimos abscondit, & ipsa puritas tendit ad purificationem cùm non habeat quod purificet. Mater & filius sibi conferuntur, & si quid posset perdere Maria in hominum iudicio, vel reipsa perdit, multiplici adeò gloria illi rependitur, vt in triumphanti Ecclesia ineffabilibus cumuletur orneturque priuilegiis: & in militanti nos fideles tantis eam cingamus hodie luminibus. Qualiter apparent Mater & filius? *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus:* ait Maria. *Ecce tota pulchra es amica mea*: respondet filius. O quàm elegãter exclamat Hugo: *O qualis societas totus pulcher, totam pulchram sibi sociat! Ego totus pulcher, & tu tota pulchra: ego per naturam, tu per gratiam. Ego totus pulcher, quia totum quod pulchrum est, in me est: tu tota pulchra, quia nihil quod in te est, turpe est.* Toti lucidi & formosi Christus & Maria, & nihilominus obscurantur, & in hominum opinione perdit Christus apparenter propter Mariam, & Maria propter Christum in oculis eius qui eam minimè cognoscit.

Cant. 2.

Cant. 4.

HVGO VICTORIN. Ser. 2. de Assumpt.

I. Christus & Maria hodie aliquid perdunt.

Ex parte filij conceptus D. Bernard. in hac materia tantum dicit, quantum explicare possumus, vt vmbras illas prægrandes intelligamus, quas hæc inuoluit Purificatio. *Si quo modo posset Deus non cognoscere filium suum, in quo sibi bene complacuit, ex hoc signo poterat ignorare eum.* De signo illo agit, quod Christus octiduanus Infans accepit Circumcisionis, quasi lege illa comprehenderetur, ex quo ascẽdimus ad hodiernam humilitatem & dicimus: Si possibile foret vt Deus Pater filium ignoraret, in quo viuit, & in quo iam tenerè tenero sibi complacet: fieri hoc potuisset in isto signo: ex quo lux Ecclesiæ D. August. hanc lectu dignam effatur sententiam: quam ori filij imposuit loquentis cum Matre. *Vt te veram matrem ostenderet, verum se hominem patiendo monstrauit.* Intentiones habuit omnino singulares Christus tantum se humiliandi, hominemque se demonstrandi: & vnam fuisse dicimus, vt humanitatem efferret, quam illi Maria contulerat. Si igitur magni faciat se filium esse Mariæ, ita vt periculo exponat de diuinitate sua fidem: quomodo melius correspondere poterit Maria, quàm more reliquarum mulierum se purificando?

D.BERN. Ser. de Circumcis.

D. AVG. Ser. 35. de Sanct.

Quàm immensè Virgo puritatem suam æstimauerit, probant insigniter SS. PP. & singulariter D. Bernar. ex eo quòd, oblata sibi dignitate Matris Dei, responderit Angelo: *Quomodo fiet istud: quoniam virum non cognosco?* Et hodie si discrimini committat perdendi opinionem

III. Exemplum

Luc. 1.

II. Deus iacturam lucro compensat.

nem de virginitate sua quoad hominum opinionem, dicemus, quòd filio suo soluat: igitur propter hoc tot luminaribus illucescat: cùm hoc Deus pro more habeat, abundanter eos remunerari, qui eius gratiâ relinquũt vel agunt aliquid licèt modicum. Progrediatur Ecclesiæ Doctor D. Hieronym. Pammachius nobilissimus vrbis Romanæ Consul duxerat in vxorem pari nobilitate insignem Dominam S. Paulinam: cùm autem mũdi gaudia breuia sint: migrat in cælum ætate adhuc vernãte, sponsa illi charissima: de cuius raptu eleganter illi condolet D. Hieronym. comparans illam aromati & rosæ vernanti, quæ priusquam folia sua explicet æstuante nimis sole exarescit, vel ad vim malignæ manus illam extra tempus à spinoso suo stipite auellentis, consumitur. *Quis parturientem rosam & papillatum corymbum antequam in calathum fundatur orbis, & tota rubentum foliorum pandatur ambitione immaturè demessum æquis oculis marcescere videat?* Consul igitur vxore orba-

III. Exemplum.

tus omnes suas facultates dispersit deditque pauperibus: vel meliùs dixero, loco tutiori diuitias suas seruandas deposuit, & cucullum induit Monachi. Ad multa vsque regna actio hæc Pammachij velut vocalissima campana insonuit, de quo ei congratulatur D. Hieron. sed potissimùm aduertit, hæretque in eo quòd ob demissa ea quæ reliquit propter Deum nomen eius euaserit celeberrimum, fama longissimè diffusa, & honoris dignior amplitudo: quocirca sic illi: *Non est parum* ô Pammachi, *virum nobilem, virum diuitem, virum locupletem, potentium in plateis vitare comitatum, miscere se turbis, adhærere pauperibus, rusticis copulari, de Principe vulgum fieri.*

D. Hier. Ep. ad Pammach. Sanato vulneri. Tom. I.

Et immediatè explicat eleganter verba Dei per Prophetam dicta Heli summo Sacerdoti: in corripiendo filios suos Ophni & Phinees admodum remisso. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum.* Quicumque me glorificauerit honorem suũ propter me exponens, prærogatiuis honorabo eum insignioribus. Notandum (inquit D. Hieron.) quod licèt sententia hæc futurum indicet, & communiter de altera vita intelligatur, in qua sine periculo iacturæ bona sunt stabilia & gloria in æternum duratura: verùm ego etiam in hac vita hoc interpretor: nec enim dilationes patitur Deus, & exemplum statuit in ipso Pãmachio. Fateor quòd ob illustrem natalium progeniem, diuitiarum abundantiam & sapientiæ donum inter Romanos emerseras auctoritate: sed non solus: cùm enim Consulem a-

I. Reg. 2.

 geres

geres florentissimæ illius Reipublicæ, & alij plures essent tibi compares solus non eminebas qui admirationem moueres & reuerentiam. Sed hodie ob Christum bonis tuis renunciando, totus mundus tuam celebrat liberalitatē, animo tuo applaudit generoso, & ob modicum quo videbaris eclipsim pati, protectionem & consilia secutus Euangelica, tantis te Deus illustrat splendoribus vt ab Oriente vsque in occidentem nomen tuum celeberrimum innotescat. *Hoc est quod Dominus repromittit: glorificantes me glorificabo. Alij hoc intelligunt de futuro quando mœror vertetur in gaudium & transeunte mundo Sanctorum corona non transit. Ego & impræsentiarum video Sanctorum promissa compleri. Antequam Christo tota mente seruiret, notus erat in senatu, sed multi alij habebant infulas Præconsulares: at nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur. Miratur orbis pauperem, quem huc vsque diuitem nesciebat.*

PAVLIN. Ep. 10. To. 2. Non prætereamus insignem S. Paulini Episcopi Nolani sententiam. Perpendit promptam Abrahæ obedientiam quoad filij sui sacrificium. *Abraham* Gen. 22. *recepit oblatum Deo vnicum: quia sponte obtulit postulatum:* De vita Isaac securus procedebat Abraham: quia prompta adeò mente eum obtulerat. Causalem hanc

IV. Et confirmatur in Abraham.

non capio: si namque Abraham viua fide ac robusta, firmoque proposito filium occisurus tendat iuxta expressum Dei mandatum: *Tolle filium tuum quem diligis Isaac, & offer illum ibi in holocaustum:* quam certitudinem habere poterat de opposito, vt Paulinus hoc sentiat, & ipse Patriarcha seruis imperet vt ad cliuum montis eius præstolentur cum filio reditum. *Postquam adorauerimus reuertemur ad vos.* Quomodo reuersurus, si filius tuus victima futurus sit holocaustum, conuersus in cineres, flammarum spolia, post decollationem? Qui hoc dixit, alacer reducet in domum suam Isaac, in quo semen eius & esse nouum multiplicetur. Si vadat numquid auferet quod filius possidet? Iam in illo patet responsio: *Quia promptè obtulit postulatum.* q.d. ex præcepto diuino pergo mei iacturam passurus: pergo arboris truncum excisurus ex qua fructum sperabam: sed hæc Dei est natura, vt impræsentiarum rependat in eo ipso, in quo eius gratiâ quid amittitur: indubiè reuertar pignus reducens charissimum, quod liberaliter obtuli: *Quia sponte obtulit postulatum.*

D. CHRYS. Hom. 2. in Ep. ad Thessalo.

Idem annotauit D. Chrysost. Græciæ sol clarissimus. Ad quid Deus (inquit) iniungit Patriarchæ filij sui sacrificium, si moriturus non sit? ad quid ascensum in

1. Reg. 1.

V. Similiter in Anna matre Samuelis.

in montem imperat? ara cur extruitur ad holocaustum, parantur ligna, ignis adfertur & gladius, victima ligatur, & strui superimponitur? Meâ sententiâ, frustranea sunt hæc omnia, dum finis ad quem hæc fiunt, non impletur. Respondet: Voluit Deus in hoc Abrahæ seruitio ad tantum se oppignorare beneficium, quantum fuit illud, Verbum æternum illi dare in filium suum: atque eo animo contendit vt sit aliquis, qui quantum ad voluntatem & affectum periculo perdendi exponat primogenitum suum eius gratiâ: cùm diuinum hoc inditum sit naturæ vt statim notissimis excessibus opus remuneret. Loquatur ipse: *Largiturus erat nobis filium, sed ne videretur gratis illum nobis largiri, sed eum ita nobis debere: præcepit Abrahæ filium suum dare: vt cùm magnum quid nobis faceret, nihil magnum videretur fecisse.*

D. CHRYS. Hom. 2. in Ep. ad Thessalo.

Sterilitatis vitio laborabat Anna Mater Vatis Samuelis: opprobrium hoc erat illo tempore non leue. Filium instanter à Deo petiit addito cum lachrymis voto. Domine si filium mihi concesseris: *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ*, arisque tuis eum consecrabo. Notate votum, si dedicaret eum aliquot mensibus, vel annis, determinato spatio temporis: porrò *Omnibus diebus vitæ suæ.* Quomodo maternum pectus tantam patietur charissimi pignoris absentiam, & illud voluntario à se exilio remouebit? Nemo matrem reprehendat (ait D. Chrysostom.) Reuocat in memoriam factum Abrahæ, quantò Deus appendat id quod sui amore relinquitur, vtque eum tantò strictius deuinciret, ipsa mater postmodum eum adducit, & quasi à corde suo euellit. Aures præbete D. Chrysostomo: *Ipsa erat Abrahæ filia, ille postquam petitus erat, filium suum obtulit: ista verò ante petitionem dedit.* Modò respondeamus præcipuo discursus nostri argumento: & videamus, qualiter vmbræ, quas videtur contrahere, cùm nullæ in B. Virgine notentur, luminibus rependantur multiplicatis: quocirca in hac solemnitate, quâ se profundiùs humiliat, habere debet plura & lucere fulgentiùs. Seraphicus Doctor S. Bonauentura testatur. *Maria non solùm verbo se humiliauit tanquam ancillam & seruitricem* (in mysterio Incarnationis) *sed etiam in facto se humiliauit tanquam ream & peccatricem* (in mysterio Purificationis.)

1. Reg. 1. V. Similiter in Anna matre Samuelis.

D. CHRYS. Ho. 24. in Ep. ad Ephes.

Nota.

D. BONA. in speculo c. 4.

Nefas est præterire raram admodum & mysticam visionem Apocalypsis, quam frequenter ex pulpitis prædicatores repetunt: quæ cùm in tantum spectat matrem, placet ipsi

filio Deo, vt exerceantur in illa Doctorum ingenia, & quantumuis multum de ineffabili dicatur, superest tamen adhuc amplius explicandum. Mulierem vidit D. Ioannes inusitatæ magnitudinis in cælo: quandoquidem inde in terra nostra distinctè appareret. Non loquor calceamentum pedum eius, velocissimum planetam, non explico formosissimum solis amictū, pedes relinquo sacros quos exosculor, & humili subiectione sacrosanctum eius caput veneror stellis vt diademate coronatum. Quis talem ô Euangelista vidit, vel qua ratione permittis vt cælum hoc tali diademate reginā suam coronet? *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Dicerem ego stellas, per vestimentum eius dispergendas velut venustissimas & ditissimas gemmas: lunam autem & solem vtique planetas lucidissimos in superiori parte collocandos. Nemo ornatum reprehendat, cùm ab ipso Deo sit præstitutus: nec dubium est quin minimum in comparatione lunæ & solis, sint sidera: si igitur velit Maria pro vestimento habere à capite vsque ad pedes rutilum illud solis iubar, nempe Deum, consequetur hic eam dum se coronat eo quod inferius est, minus est, & minoris auctoritatis ac luminis. Hodie hoc completur, nam super caput diuinam attollit legem, eiusque impletionem, qua planeta maximus in lucernam conuertitur obscuriorem, & humanis oculis vix apparentem: ad summum Simeoni, qui Matrem filiumque agnoscit, quos ceteri non agnoscunt: secundum exteriora tantùm ferentes iudicium: quandoquidem de hoc se iactet nostra Regina; atque hinc id sequatur, quod quia tributum soluit Domino detraherent puritati eius ipsâ Angelicâ præstantiori; econtrà totus Deus illam vestiat, & in eius gloria adeò lucenti, tot radient luminaria.

VI. Allegoria. — Apoc. 12. — Nota. — Ps. 44.

Planiùs hoc exponamus; communiter petitur: in quo cognouit Simeon ad portam templi cælestem expectans oblationem Sacratissimam Virginem: & respondetur ex amictu & figura quam præferebat. Difficilis indicatur hæc responsio: si namque Infantulus venisset panniculis inuolutus ex lino candidissimis, & fasciolis acu pictis, vel vestibus pretiosis, & Mater simili ornatu præfulgens: concedo: porrò more induta vulgari, schemate pauperis, quid aduertit in habitu? Aduertite mysterium. Solem notauit Christum brachiis eius constrictum, & Matrem gloriæ splendoribus rutilantem (ita testatur D. Timotheus) q. d. vno verbo cum

VII. Ex quo Simeon Mariam agnouit. — TIMOTH. Hierosol.

cum tali apparatu: nam sol ex iustitia talibus illi satisfaciebat luminibus, ex eo quòd eius causa passa fuerat lucis eclipsim. Quinimò adhuc clariùs hoc asserit Dauid. *Filiæ Regum in honore tuo* &c. Filiæ Regum erunt vectigales, humiliter exosculantes pauimentum, quod Mariæ pedes calcant dum auro prodit exornata. Et volens asserere, quòd filiæ Principum sint illæ quas hîc nominat, & quo tempore patentes futuræ essent demonstrationes, inuenit hoc in Translatione Chaldaica in illo psalmo quem adducit, ad aliam licèt intentionem Soto noster Maior in doctissimis suis commentariis super Cantica, quibus coronidem argumento nostro imponemus. *Prouinciæ Regum veniunt vt honorent & suscipiant faciem tuam seu præsentiam, & vt venerentur te in tempore, quo futurus est liber legis in manu tua.* Per filias (ait Doctor hic) intelligunt Hebræi Nationes, Populos, Regna, Gentes.

VIII. Prophetia hæc applicatur Mariæ.

Appositè modo loquamur. *In tempore quo futurus est liber legis in dextera tua*: ô Virgo præclarissima, te nobilem adorabunt, te gloriosam agnoscent, omnes mundi nationes. Quis liber hic apertus? Lex completa & inspecta. Multi librum hunc in manibus gestant, sed numquam aperiunt vt id quod continet exequantur: & nescio vtrum hic non alludat ad illum quem D. Ioannes vidit in manu Angeli. *Et in manu sua habebat libellum apertum.* Apoc. 10. Hugo Cardin. HVGO. interpretatur librum legis, & Angelum, Christum: habere autem illum apertum, indicat, quòd legem veniebat impleturus: *Quia ipse in seipso scripturam impleuit.* Hæc omnia sic Mariæ applicantur. Quando ô Domina apparebis infantem complexa Deum & librum exequentem, præsentationem eius tuamque Purificationem: tunc adeò diuino fulgore radiabis, & in magnitudine supereminens apparebis vt te Reginam suam Angeli venerentur & homines. *Prouinciæ Regum in honore tuo.* Præcipient Pontifices, vt lucernæ in templo ad honorem tuum & meritò quidem, accendantur: symbolum earum quibus in templo gloriæ perfrueris, eclipsim secutæ, quia pedibus tuis celsitudinem omnem protriuisti ob legalem obseruantiam: hoc est *Prouinciæ Regum*: ad particularem festi præsentis celebritatem.

Licèt etenim festa omnia sint fulgentium astrorum circuli: hodiernum tamen nescio quam habeat eminentiam: & vbi te mundus aspexit vmbrosam ô serenissima Maria, ibi iustum est vt te copiosiori luminũ apparatu fulgentem admiretur. Nisi fortasse quid aliud dicat D. Gre-

Hom. 4. in Cant.
Cant. 2.
IX.
Christus & Maria vmbrosi & floridi.

Gregor. Nyssen. super Cantica ad illa verba: *Lectulus noster floridus*. Vmbrosum & opacum, flores & vmbræ, qua ratione eodem consistũt tẽpore? Optimè: cùm enim essent Mater & filius floridi inter vmbrosas apparentias, illos Dauid intuitus est ad templum accedentes, dum cecinit: *Constituite diem solemnem in condensis*. Sed præclarius occurrit mihi mysterium: Vmbras adducant: quia, quinam oculi, nec quidem Angelici duos illos possent contemplari soles, claritate sua maxima refulgentes? Se Christus præsentet, & se Maria purificet: sunt etenim hæ vmbræ, luminum productiuæ, quandoquidem sine illis ob nimiam nostram incapacitatem illa contueri sit impossibile. O quàm grauia sunt hæc D. Gregorij verba, quibus ad verbum expressis lectori beneuolo cum delectatione valedicemus. *Lectulus noster vmbrosus: hoc est, te cognouit aut cognoscet humana natura vmbrosa facta dispensatione: venisti enim ad lectulum meum factus vmbrosus: nisi enim te ipsum obumbrasses serui formâ, operto mero radio diuinitatis: quis tuam sustinuisset apparitionem?*

Ps. 117.



IN

CONCIO DE PEREGRINATIONE ET EXILIO B. VIRGINIS, CVM PVERO IESV IN ÆGYPTVM.

THEMA.

Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum. Matth.2.

SALVTATIO.



FESTVM dedicamus diem fugæ tenelli pueri Iesu virginalibus suspensi brachiis, comite S. Ioseph, matre sua naturali, at patre putatitio seu nutritio. Miratur ingenium & os aureum D. Chrysost. celebrasse & decantasse Dauid psalmum tertium pro fuga sua à facie filij Absalon: hic enim illi titulus præscribitur: *Dum fugeret à facie Absalon filij sui.* Totus igitur stupefactus quærit: *Et quando laude dignus habitus est qui fugit? quando dignus est habitus exul, cuius nomen inscriberetur? fugitiuos scriptis litteris persequuntur, non honorant inscriptionibus.* Quòd Rex fugam suam decantet, quis hoc audiuit? Expediret eam perpetuo damnare silentio, quàm illi carmina decantare, inscriptiones affigere, erigere statuas, extollere columnas, vt ad omnium perueniat notitiam, quod omnibus erat occultandum. Quis vnquam calamum aptauit, vt exulis celebraret encomia? Quis historiam conscripsit, nisi vt fugitiuum & extorrem conuitiis cauillisque proscriberet? Qui dubium obiecit, respondet: quando fuga mysterium inuoluit, gloriam merer-

Ps.3. D. Chr. in Ps.3.

I. Quæ fuga sit ignominiosa.

meretur, non ignominiam. Hodie fugam capessit Deus, peregrinus patriis excedit laribus, in longinqua migrat, Herodis furori se subducit:& exul viuit vt hominem faciat ciuem: in exilium profugit, vt ad nominis sui cognitionem alliciat exules. Pro linguæ meæ subsidio gratiam ab exule Virgine sed formosa postulemus: etenim in via pedem figet vt nobis eam obtineat, si Angelicam illi salutationem offeramus. *Aue Maria.*

Discursus I. *Nascitur Christus tanta feruens inclinatione pro homine patiendi, vt primum suum ingressum reddat celebrem, non quidem proprio sanguine: nec enim ratio suadebat vt in tam tenera ætate illum profunderet, sed tantorum Innocentium, quo illi festum Christo celebrant gratissimum.*

IN Ægyptum illustrissima fugit Maria Herodianæ cedens persecutioni: solem manibus suis
Iob 36. abscondit. *In manibus abscondit lucem*, ne manibus tradatur tyranni lucem conantis extinguere. Libenter vadit Christus, quia in loco quietis suæ thronoque defertur, virginalibus nempe brachiis, quibus pedes sui diuini velut Seraphico quodam pauimento innitantur. Hoc igitur tenerum exordiamur mysterium: vt certum asserendo, quòd egrediatur tantò feruens ardore suum profundendi sanguinem: vt quia feruenti amori adeò modicus est, velit vt in eius vmbra suum innocentes effundant: & donec tempus aduenerit, quo proprium effundat, hunc puerorum cruorem vadem assignat alienum pro suo: tanto enim feruet moriendi desiderio.

D. Bern. spiritu totus inflammescẽs illud perpẽdit quod nocte illa contigit, quâ Verbũ caro factum in mundum prodiit: quàm primum incomprehensa Dei celsitudo super humilibus in præsepi paleis iacet puerulus, Angeli turmatim chorosque ducentes (bonum etenim vniuersale, non aptè à paucis celebratur cantoribus) à stabulo secedentes aëra vocibus cantuque perrumpunt, Deo huius beneficij ac doni gratias accinentes, atque humano generi læta nuntia deferentes. *Gloria in excelsis* Luc. 2.
Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Censuit D. Bern. huic Angelorum harmoniæ deesse aliquid, quo diuinus ille puer recreetur, quo lachrymæ flentis abstergantur, & frigus noctis adeò intempestæ duræque foueatur. Lubet ipsum audire: *Gloria in excelsis Deo, Angeli*

D. Bern. Ser. in Natali Innocent.

geli dicunt, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: magna quidem audeo dicere, sed necdum per-
I. Angelorum cantus Christo nato in quo deficiat.
fecta laus. Continete vestras, ô beatissimi spiritus, citharas, musica dissoluatur, & quisque suam reuideat canendi partem: non contradico festiuis hanc noctem gaudiis vocibusque lætificastis: attamen *audeo dicere:* non hæc ea est melodia, quâ puer hic delectetur velitque celebrari. Quomodo non? Quis illi, nisi Angeli, canticum idque gratum moduletur? Hoc verum est in cælo, vbi regnat gloriosus: sed in terra, nisi planctus audiatur, non acceptat; non nisi lachrymæ gemitusque illi satisfaciunt, & nisi sanguinem videat effusum, non illi placet: & cùm eum fundere cælestes illi nequeant spiritus: quærit ipse Angelos, infantes, inquam, & vocem Angelicam humano permiscet sanguine: hic enim desiderio eius si quid aliud, satisfacit quàm maximè.

Vlteriore pede promouet cōceptum hunc eloquentię flumen D. Cyprian. verbis tam mysterio quam eruditione fecundissimis: etenim vt huius argumenti titulum exponamus, operæ pretium erit illis diutiùs inhærere.
D. Cypr. de Cardin. Christi operib. de cade Innocent.
Illicò spiritus infantilis vasculi receptaculum deserens, iam non tenelli corporis ætatisq́ nouitiæ tempore tenetur, sed ab illis infantilibus coagulis anima expedita, adepta rationis & intellectus plenitudinem in occursum Christi festinat. Latiùs explico: Nascitur Christus, (inquit Doctor Africanus) & confestim spiritus illi & animæ quæ infantilia & exigua illa animabant corpora, non custodito ætatis nouitiæ tempore, quinimo diruptis funibus, omniaque abbreuiando, moriuntur quasi iam intellectus ac discursus plenitudine lætarentur. Verbum hoc *Ætatis nouitia* trutinemus. Religionem intrantibus SS. Canones ac Cōcilia nomen imponunt Nouitiatus seu probationis, in qua vitæ quam ad mortem vsque seruare proponunt, experientiam capiunt, & Ordinis rigorem suis conferunt viribus: anno elapso professionem emittunt, & perfectè dicuntur Religiosi. Porrò si aliquis (vt nonnunquam contingit) ad extremam vitæ lineam tendat, ad eius instantiam, vtque hoc solatio confortatus tantò libentiùs hinc abscedat, quatenùs iusto huic desiderio fiat assensus, certo quodam modo permittitur emittere professionem, quâ non obstante quod si superuiueret, aliam esset emissurus; hoc autem est tempus præuenire nouitiatus. Nunc igitur dictum intellige D. Cypriani. Nati sunt infantes illi in mundo, & vitæ huius capere cœperunt experientiam, cuius si diutiùs viuerent professionem in schola Christi emitterent,

II. Innocentes dicuntur nouitij.

III. Similitudo.

cuius iam erant nouitij: & quamuis propriam non habuerint voluntatem, tanta erga illos effusa fuit diuina misericordia, ac si iam propria vsi fuissent voluntate (*adepti rationem & intellectus plenitudinem*) Non patitur vt annũ integrum expleant, sed vt anticipatiuè profiteantur, sintque martyres professi fundendo sanguinem, cùm tamen ad fundendas lachrymas essent ætate nouitij.

Nunc ergo videamus quid per hoc Deus intenderit? Respondet: aduentum suum perfecto cumulare gaudio: si namque statim atque in vitæ limine non videret sanguinem, introitum suum iudicaret infaustum. Eum meliùs vt opinor intelligetis: *Acta est natiuitatis solemnitas sursum, vbi lætantibus Angelis, deorsum ex ore infantium & lactentium laus est perfecta, resonantibus vsque ad cælos victoriæ tubis.* Et statim: *Et quæ expectari poterat annorum elapsu rationis discretio, repentè nullis iam ætate illa temporibus subiecta, omnis consummationis reperit finem.* Cælum Saluatoris nostri celebrauit natalitia, celebret quoque & terra: & licèt ibi cælestis modulentur militiæ legiones, festum non perficitur: moriantur hîc infantes, operibus & sanguine illud consummantes, in quo licèt verbis linguisque fieret etiam Angelicis, erat defectus.

Ex præfatis obscurum capio locum D. Bern. Tria profert genera SS. Martyrum, qui post Christi natalem immediatè subsequuntur: S. Stephanum, S. Ioannem Euangelistam & SS. Innocentes: affirmat autem probatque omnes fuisse Martyres: porrò singulari ratione pueros Innocentes hac epigraphe inscribi, Dei Martyres. Est qui martyrium subit voluntate & desiderio tantùm: alius opere & voluntate: tertius solo actu. D. Stephanus Martyr colitur actu & voluntate, primus Martyrum coram oculis hominum antesignanus: cuius inuictum pectoris robur tota conspexit Hierusalem in pleno Iudæorum concilio. *Sit ergo Stephanus Martyr apud homines, cuius voluntaria passio euidenter apparuit in eo.* Nominetur Euangelista Ioannes inter Martyres Angelorum: quia in eius sanguine nemo mortalium suas inquinauit manus: & sicut fuit Martyr spiritu, soli spiritus eum suum Martyrem agnouerunt. *Sit Ioannes apud Angelos Martyr: quibus tanquam spiritualibus creaturis, spiritualia deuotionis eius signa certiùs innotuerunt.* Teneri verò hi pueruli, Domine, voluisti, vt singulari quodam modo Martyres honorarentur: nec enim in illis Angeli voluntatem notarunt aut desiderium; cum hoc nouitia illis ætas non per-

Act. 7.
IV.
Tres species Martyrum.

D. BERN. Ser. de Innoc.

permitteret: & homines vix membra inuenerunt in quibus tormenta sustinerent; sed tu tantùm Domine, voluisti enim tuum in sanguine celebrare introitum: qui vtique eo summopere delectabaris, vt mortem pro mundo subires innocens. *Ceterùm hi sunt planè Martyres, tui Deus, in quibus nec homo, nec Angelus meritum inuenit, sed singularis tua prarogatiua gratiæ euidentiùs commendatur.* Ne D. Bernard. tam citò manibus nostris elabatur, hoc etenim confirmat sententiâ quam penè dixero, ceteris eminere. Electam audit animam in Canticis cum Deo nomine sponsi sui colloquentem: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus.* Agedum ô sponsa: quamuis enim diuinis dotata muneribus & cumulata gratiis, audacior tamen mihi videris, dum titulum præteris Omnipotentis, Domini, Dei, cumque tantùm dilecti tui nomine decoras; non sit hoc ita; vt sicut pastoritiæ tibi rusticana adhæserit inurbanitas: quâ à pedibus quos te decet humili adorare gratitudine temeraria ad manus ascendas. Quas in te cognoscis alas, quibus altiora petas, nec vllum timeas præcipitium, nihil verearis, nulloque metu percellaris? Vnde *In tantum auctoritatis excreuit, vt Dominum omnium Dominum nesciat, sed dilectum?* In arcto positum est dubium: respondeat ille qui hoc obiecit. Casum expono: nam in hac occasione, se Deus obtulit cum insignibus Maiestatis, & Regia sublimem auctoritate, & lumine circumdatum immortalitatis: non apparuit vt mortalis, vt homo, nec pro illo patiens: vt autem sponsam non latebat eius conditio: quòd nempe in hoc suam collocaret gloriam: non eum appellet Dominum: quia hæc illi dignitas videbatur deesse, cùm illi passio pro homine deesset. Capite D. Bern. *Existimo enim nequaquam hac vice eius sensibus importatas carnis aut crucis aut alias quascũq; corporearũ similitudines infirmitatum.* Has autem abscondẽdo, cõtinuò magnitudo illius latere videbatur & auctoritas.

Cant. 1. — D. Bern. Ser. 45. in Cant.

V. Cur Christus cicatrices vulnerum seruauerit.

Hanc inter alias allegat rationem Diuus Augustinus cur Redemptor noster in corpore suo impassibili post resurrectionem suam perpetuò fixas seruare voluerit vulnerum cicatrices: eò quòd scilicet claritas illa quâ de sepulchro surrexit rediuiuus & gloriosus, eius cognitionem quasi compresserat: cùm enim eum homines ita soliti essent videre humilem ac despectum: eum non agnoscerent iam gloriosum; & qui illum viderat tanto patiendi ardore feruentem, & nunc ita à passione alienum, licèt in apparentia, quoad diuinitatis tamen illius vacillaret

ret confessionem: hanc igitur gloriam vulnerum ostensione moderetur: at omnes hoc persuasum sibi habeant, quòd tantum absit vt inde Deo decrescat auctoritas, quinimo in nobis præclarius sumat incrementum. Quis vobis tanti ingenij verba suffuretur? *Necessarium enim erat, vt manifestatio præsens, expressio cicatricum crucifixi corporis faceret fidem: quia splendor nouæ lucis pristinam obduxerat veritatem, & cognitionem quodammodo claritas obscurauerat.* Tantus autem modò splendor, velum quoddam erat, quod dignitati eius superinijciebatur, vt autem illum homines velut Deum Dominumque suum agnoscant: hæc seruet insculpta signa, in quibus ita suam, qualis sit, ostendit Maiestatem.

D. AVG. Ser. 156. de temp.

Vnde & idem D. August. perpendit: quòd cum nostrô iudiciô, primus Saluatoris ingressus esse debuisset quo nullus iucundior, qualis esse solet Principum aut Monarcharum: suum tamen à lachrymis planctuque exordiatur, & pedem in terra ita figat vt illam spinis seminare velle videatur. *Nascente Domino luctus cœpit non cælo, sed mundo: indicitur matribus lamentatio:* cur hoc? euidentiùs hic charitas eius patescit inflammata, quâ se nostræ carnis induit exuuiis. Idcircò voluit, vt diuinæ Matris suæ brachia, thronus in quo quis esset declarabat; etiam illi Crux foreat: & quandoquidem nondum tempus aduenisset, quo alteri affigeretur moriturus: hæc, quæ grauiorem illi pœnam infligebat, eò quòd eam tantoperè cerneret afflictam, eum abducat peregrinum: nec aliquis obstupescat, quod Virginem cælum dicam & Crucem, cùm euidentem videat conuenientiam: purissima namque Virginis viscera cælum fuerunt ipso empireo ad Dei receptionem multo capaciora: sed etiam crux & tormentum, cùm eam cogitat tantis sui gratiâ cruciatibus afflictam, quæ tanto filium amore prosequebatur.

D. AVG. Ser. 7. de Sanctis.

VI. B. Virgo Christo cælum fuit & crux.

Discursus II. *Si fugam ineat Christus, non eum metus expellit, quo non tenebatur, sed nostra impellit salus: sibi consulit vt grandior effectus, abundantiorem daret sanguinem, cùm præsentem iudicaret amori suo insufficientem: & secedit quia nostris gloriatur ignominiis: etenim fuga censetur ignominiosa.*

D. P. CHR. Ser. 151.

GRauis indubiè molestia est & vix toleranda afflictio, dum per aliena quis cogitur exul patriâ diuagari. D. August. Hoc inter grauissimas censet, quas Abraham pertulit, calamitates: dum hoc à Deo illi præcipitur: *Egredere de terra tua.* Legamus Afri-

D. AVG. Serm. 68. de temp. de beato Abraham.

I. Peregrinatio molesta est.

Africani Doctoris eloquentiam. *Nouum probationis genus: habenti propria, exilia indicere peregrina, ingerere laborem itineris, quiescenti, imperare penuriam possidenti & tantarum facultatum Domino, necessitatem imponere peregrinandi: cui non est magis dulce proprium tugurium quàm palatia peregrina, & voluntaria casa, quàm digesta pratoria? Leue cuiquam non est dimittere propria & sectari aliena, & incerta, dimittere quod scias, quarere quod ignoras? quis enim propria sine dolore deseruit aut sine lachrymis dereliquit?* &c. Quod fusè admodum prosequitur. Nouo & hactenus insolito voluit Deus tentationis genere fidelem Abraham probare: quo futuris sæculis virtus eius constaret insuperabilis: *Habenti propria* &c. Quis siccis oculis nulloque expresso doloris signo paternis valedicit laribus, quorum recordatio ab ipsis incunabulis inhæsit eius visceribus, quorum excessu & absentia illi anima de corpore euellitur? Huic suffragatur D. Chrysol. *O quàm dura est peregrinatio etiam inter ciues fratresq; sapit quid sit sua domus, qui sentit alienam.* Et iucundè collocutus Principi nunc fugienti, percunctatur: quid hoc Domine, an ipsa fortitudo formidat? omnipotentia flaccescit? auxilium se subtrahit? consolatio terram tremore concutit? Quæ spes, quod solamen, quod auxilium, quod refugium, fortitudo quæ mortalibus, si huic omnibus priuentur, ipsos Deo deserente? *Si refugium fugit, si timet virtus, si præsidium migrat, quæ vita, quæ spes, quæ securitas, quod munimen?* Si moriturus adest, cur fugit à facie gladij? quo consilio vult alienis brachiis, velut cortinis abscondi, quo minùs furor Herodianus manus suas eius sanguine commaculet, cùm voluntas illi sit omni fera ferocior? Vnicô verbô eunctas dissoluit quæstiones, probatque quàm congruè fuga sibi Saluator noster consuluerit, & eadem occasione mille pandit mysteria. Attentè audiamus: *Fratres quod fugit Christus, fuit mysterij non timoris: fuit liberatio, non periculum creatoris: diuinæ virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ: non fugit propter auctoris mortem, sed fugit propter sæculi vitam.* Hæc igitur mysteria enodemus. *Mysterij fuit non timoris.*

D. Aug. Serm. 68. de temp. de beato Abraham.

I. Peregrinatio molesta est.

D. P. Chr. Ser. 151.

II. Rationes fugæ Christi.

Hoc primum mihi occurrit: quòd si homines fugam iudicent ignominiosam, & eius quoque est: voluit tamen Christus in gratiam hominis de ea gloriari. Baptizabat Ioannes eos qui confessi se esse peccatores ad eum accurrebant in Iordane: non quia iste baptismus conferebat gratiam, sed quia præludium quoddam erat & præuia dispositio ad efficacem Christi bap-

baptismum. Ipse Saluator accedit tantoque Baptistam honore dignatur vt suum esse velit & iniungat. Meritò admiratur D. Ambros. Quomodo, ô Domine, cùm sis ipsa sanctitas, peccatoris assumis similitudinē, vestem indicem culpæ? (dicunt Hispani *Sambenito*;) lotio maculam præsupponit, illasque de mundo tollis; cui seruit ergo lauacrum? Quem potest effectum habere aqua in ipsa munditia? Respondet D. Ambros. Nulla in re clariùs quàm in hac ostendit Christus se Deum esse, vbi nostras in se suscipiens ignominias, amoris probat efficaciam vtique infiniti. Sententiam audite grauissimam. *Iniuriarum suarum acerbitate Deus progreditur, & remediorum suorum vsus, qui nullis remediis indigeret, Deus probatur.* Proh ardentem Dei charitatem: quòd se baptizari velit, hoc in meum cedit commodum, sese ad peccatoris inclinet similitudinem, hoc ea mente facit, vt in se honoret, id quod in me meretur opprobrium, si perferat iniurias, mihi militat: si fugit, mihi fugit, atque in his suam testatur diuinitatem: nullus etenim homo pro altero tantum ferre sustineret. *Iniuriarum suarum acerbitate* &c.

III. Christus ex amore voluit baptizari.

D. AMBR. L. 21. in Luc. c. de genealog. Saluat.

Conceptum hunc vlteriùs promouit subtilissimus Chrysolog. In vltimo illo ac generali conuentu, quo genus humanum simul congregabitur, cùm interrogatio facienda sit circa opera misericordiæ, perpendit quæ Christus electis dicturus sit: *Esuriui enim & dedistis mihi manducare: sitiui & dedistis mihi bibere.* Cui seruit verbum illud: *Dedistis mihi manducare*: quia esuriui? secundum illud poterat non incongruè subticeri. Latet hîc, inquit, venerabile mysterium: nempe quod non solùm induerit personam pauperis & eius qui se miserum ingemiscit: sed insuper pudorem assumit paupertatis: etenim hoc sibi ducunt homines dedecori: proinde licet audire satis esset, suscepi de manu vestra alimentum, addit etiam illud quod naturalem secum trahit verecundiam: & cùm vnum sufficiat vt bene capiatur, non tamen vt amori crescat auctoritas: etenim de meis se iactat miseriis, & gloriatur ignominiis. Nullus ipso tersius. *O quid agit amor pauperis! gloriatur in cælo Deus, vnde pauper erubescit in terra, & hoc reputat in honorem sibi, quod pauperi computatur iniuria. Dixisse suffecerat, dedistis mihi potum: sed præmittit, sitiui: quia paruus fuisset amor pauperum, si pauperem suscepisset, & non passiones pauperis suscepisset.* Applaudite sententiæ.

Matth. 25.

IV. Christus etiam verecundiam paupertatis ex amore suscepit.

D. PETR. CHRYSOL. Ser. 14.

Non sufficere sibi indicabat infidelis ille Thomas vt crederet, audire discipulorum omnium

nium constans de Christi resurrectione testimonium: *Vidimus Dominum*: omnibus enim aures occlusit vnico negatiuo: *Non credam nisi videro.* Rediuiuus adest Christus post octiduum, agitque vt Apostolica manus, eius qui non merebatur, intraret palpatura inæstimabiles diuinitatis thesauros: visis autem vulneribus & contactis exclamat altiùs: *Dominus meus & Deus meus*: altissimam emittens de Christi diuinitate confessionem. Quænam est hæc mutatio? quid vidisti Thoma? Consequentiam composuit Magister meus sapientissimam: aliarum multigena curauit medicus vulnera, & cùm sua valeat abscondere ne prodeant: in se tamen hoc opprobrij sustinet sigillum mei gratiâ: Deus est & Dominus: in tantum namque Deus suas buccinat ignominias. Auctorem huius produco D. August. *Cicatrices ostendebant eum qui omnia vulnera in aliis sanauerat.* Quod ab aliis redemptor abstulerat, in se reliquerat; amorem suum in hoc diuinumque pectus manifestat: hoc attribuo D. Pet. Chrysol. *Diuinæ virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ.*

Ioan. 20.

V. Christus vulnera retinuit, quæ in aliis curauerat.

D. Aug. Ser. 18 de ver. Domini de duobus cæcis.

Prosequitur D. Pet. Chrysol. fugit Christus *Propter sæculi vitam.* Concedamus hypothesim quòd Saluator noster vt caput & Prelatus magis esset hominū, quàm suiipsius: proinde quamuis iuuenis mori potuisset, priuasset tamen hominem triginta & tribus annis vitæ suæ exemplo, doctrina, prædicatione, miraculis: & hoc est fugam inire *propter sæculi vitam.* Morabatur Apostolus Paulus Damasci, ciuitas hæc erat celebris: custodias adhibuerant ad portas Iudęi quibus eum caperent traderentque Regi Aretæ captiuum, consulunt discipuli eius quo meliori modo congruentiùs vitæ eius adeò necessariæ prospiciant incolumitati, atque per fenestram ad murum in sporta demittunt eum, vt ipse rem describit. *Et per fenestram dimissus sum in sporta per murum.* Torsit vehementer fuga hæc D. Chrysost. Pauli amatorem eximium, modusque ille singularis, & ait: Quis credat ô Doctor gentium & mundi totius pædagoge, túne ille qui cælum, terram, infernum, vitam, mortem, Angelos, hominesque prouocabas in certamen? *Quis nos separabit à charitate Christi.* Totus ardore ferues patiendi pro Deo; modò si te capiant tua complebunt desideria, & martyrij coronâ decoratum ad astra transmittent, cur capitis auertis tempora, ne illa hac circumcingant coronâ? Ne temerè iudices, (monet D. Chrysost.) maximam etenim ostendit prudentiam Princeps Ecclesiæ primarius. Eo tempore Euangelij instituebat

Act. 9.

VI. Fugæ Apostoli Pauli datur ratio.

2. Cor. 11.

Rom. 8.

stituebat prædicationem, animas Deo lucrari incipiebat, discurrebat quaquauersum vt fulgur ardentissimum: hæc autem omnia eo deficiente in nihilum concidebant: fugiat igitur mortem non timore mortis perterritus, sed seipsum suffuretur vt tanto præclariori mortem recipiat incremento: Martyrem enim paruo aliorum animarum lucro coronari, alios maneat ea gloria electos: porrò D. Paulum nequaquam: quinimò mortem suam tunc infelicem iudicaret, fleretque infecundam. *Non putabat magnum mori pro prædicatione, nisi cum magno lucro hoc fiat.* Et inferiùs addit: *Hoc non minus fuerit martyrio,* saltem non inferior gloria, non minor Pauli fortitudo, *nihil deprecari pati propter multorum salutem,* quam pluris faciebat quàm propriam, & quorum vtilitati rebusque studiosiùs quàm suis inuigilare tenebatur vt Superior.

D.CHRYS. *Ho.20 in Acta ad finem.*

VII. D.Cyprianus in morte subditorum curam ostendit.

Iam morti vicinus, & datâ sententiâ decapitationis reus eximius ille Doctor & Martyr Cyprianus à D. August. perpenditur, quasi sui oblitus; & tantâ oppressus mortis angustiâ, suarum tantùm ouium recordatur salutis, patefaciens quòd taliter palmam speraret Martyrij, vt tamen se meminisset Episcopū: pluris faciens magisque sollicitus de ratione, quàm de subditis suis erat Deo redditurus, quàm eius quâ coram Proconsule satisfaceret in fidei Catholicæ defensionem: hęc etenim propria erat illius personæ actio: altera verò illos spectabat, quibus, vt Pastor plus quàm sibi tenebatur. Loquatur D. August. *Vicina corporis morte non moriebatur in animo Pastoris vigilantia pastoralis.* Et confestim: *Ita se Martyrem cogitabat futurum, vt esse non obliuisceretur Episcopum: magis curans quàm rationem pastorum Principi de commissis sibi ouibus redderet, quàm quid infideli Proconsuli de fide propria responderet: amabat enim eum, qui Petro dixerat: Amas me? Pasce oues meas.*

D.AVG. *Ser. de S.Cypriano.*

Ioan.21.

VIII. Christus fugit vt duriora pateretur.

Quid ampliùs nobis hîc innuit D.Pet. Chrysol. *Fugit propter sæculi vitam,* & in illo: *Fugit nobis non sibi.* Tormentis Christus anhelabat cruciari diuturnis, vtque omnibus constaret quod necessitate coactus non moreretur, sed voluntate mortem acceptaret: & hoc autem tenera & infantili ætate non ita cunctis probaretur. *Nam si tunc mactatus esset: necessitas fuerat, non potestas, & innocentiæ fuisset præmium, Maiestatis gloria non fuisset.* Præmatura eius mors testata fuisset innocentiam, non gloriam attulisset: hanc enim sibi statuerat iam grandis effectus, si moreretur in cruce durioribus interemptus cruciatibus, & sanguinem ex latioribus

D.PETR. CHRYSOL. *vt suprà.*

&

& fortioribus venis effundens.

Matth.27. IX. Idem probatur ex recusato ab illo felle.

Porrectum sibi Saluator noster in cruce fel, *Cùm gustasset noluit bibere:* ita D. Matth. summis illud tantum labiis gustauit. Quis hoc capiat, Domine mi: cùm tanto ferueas ardore patiendi, felleum recusas potum bibere? quia modicum illi vitæ deerat, statim enim mortuus est, atque tam breue tormentum illi multum displicet, vnde tantum admotis labiis gustabit, ad stomachum autem non transmittet: sciebat enim quòd si biberet, paruo illud tempore sentiret: totamque illi gloriam amaricaret, quam ex diuturna sibi passione conciliare satagebat. Testetur hoc nobis pietate & ingenij acumine præstans Abbas Gillebertus: *Gustauit illa in cruce, non bibit: & velocem amaritudinis transitum signans.* Signum erat euidens propinquæ mortis non bibere, certum etenim tibi hoc assero, si multo superuicturus fuisset tempore, calicem felle mixtum non repulisset. *Velocem amaritudinis transitum signans.*

Gilleb. *Ser.40.in Cant.*

X. Hinc ratio oritur gratitudinis.

Hîc nostram mellifluo suo spiritu Bern. prouocat obligationem: Creauit nos, nullo stetit hoc illi labore: redemit nos sed labore tanto, vt si fortè creationis facilitatem fragilis præteriret memoria, operi saltem redemptionis tenaciùs adhæreret: quocirca ratio postulat, vt ex tanto pœnarum tempore, tanta contumeliarum superabundantia, cruce ita dilatata suum gratitudo humana sumat incrementum. Et si nec hæc omnia barbaró feroque sufficiant homini, quid fieret si eum exiguas vidisset tolerare pœnas? obiiceret, paruo stetit Deo labore, modicum illi debeo amorem paruamque gratitudinem: multum igitur & diu patiatur, vt multa illi dilectione famuletur. Profero Bern. *Sanè multum fatigationis assumpsit: quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretq́ gratiarum actionis, difficultas redemptionis, quem minus esse deuotum fecerat facilitas conditionis.* Vt igitur Princeps ille diuinus suos ampliùs extenderet labores, secedit, nec alias fugæ illius quæramus rationes: nam idcircò nunc dignatur fugere, infirmitatem in se confirmans dum se periculo exponit iacturam auctoritatis suæ & æstimationis incurrendi: quo possit postmodum prouectior in cruce triumphare. Hæc omnia luculenter Episcopus Ruspens. D. Fulgentius: ex argumenti propositi dubio diuinum hoc eliciens responsum. *Ideo autem dignatus est in Ægyptum fugere, vt postea crucem dignaretur ascendere.*

D.Bern. *Ser.11. in Cant.*

D.Fulgen. *Ser.de Epiphan.*

Discursus III. *Sacratissima Virgo, eiusq; cælestis sponsus Ioseph diuinæ dicuntur nubes & vela, quæ supremum custodientes Principem totum mundum sibi tenent debitorem, ob seruatam Saluatoris sui vitam.*

CVm antiqui tum moderni Doctores celebrem hanc explicantes Isaiæ prophetiam: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulachra Ægypti à facie eius*: vnanimiter eam intelligunt de ingressu pueri Iesu in Ægyptum: ex cuius cõspectu idola nationis illius, quâ mundus non vidit idololatriæ & falsorum Deorum adorationi peruicaciùs adhærẽtem, in terra collapsa sunt, quæ nec templa, nec altaria, horum habitacula, sustinere potuerunt. Asserit autem Isaias facinus hoc à Deo perpetrandum, quando in nube velut ferculo suo eò inferretur. Nubes hæc omnium votis est Maria Deipara, quæ in se comprehendit aquam Verbi quâ rigatur & fecundatur Ecclesia: & nubes leuis nullo peccati pondere grauida, quod omnium est grauissimum. *Nubes enim leuis* (sic Emissen.) *& nullius corruptionis pondere grauis, est Virgo Maria.* Nolo his immorari vt eius proprietates D. Virgini accommodem, duobus tantùm inhæreamus officijs nubi proprijs, vt ex vno beatissimum prædicemus Ioseph. Primum sit roris productio. Secundum solis contectio: *Solem nube tegam.* Prima dignitas nulli puræ potuit competere creaturæ nisi soli Mariæ: sicut enim ex vaporibus & exhalationibus noctu sursum ascendentibus, illæ eædẽ ad auroram descendunt conuersæ in rorem, quibus plantæ dealbantur, & flores velut gemmis obumbrantur, ne solis æstu meridiano exarescant: ita verè dixeris: cum exhalationibus virtutum heroicarum Mariæ Virginis, prodiit Deus factus homo, cælestis ros &c.

Isa. 19.

I. Duæ nubis proprietates Mariæ tribuuntur.

EMISSEN. *Ho. de fuga Christi.*

Ezech. 32.

Porrò in secundo nubis officio, contectione scilicet solis, adest gloriosus Ioseph Christi pater nutritius. Audiamus quàm à multis ante sæculis hanc gloriam Isaias sit vaticinatus. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* O Vates sanctissime, vt quid pluraliter dicis nubes? sola namque Maria nobis datura erat desideratum cunctis gentibus: sola Maria suis erat illum vberibus lacteque nutritura: estque ita sola & in hoc priuilegio singularis, vt nullum patiatur consortem nec possit habe-

Isai. 45.

re

re collateralem. Fateor equidem eam in hoc primo generandi Deum hominem nullum habere correſpondentem, at verò in ſecundo ſanè congreditur & Ioſeph: quem tanti Deus æſtimat, vt eum ſibi patrem eligat in ea ſollicitudine, vt nubes ſit ad refrigerium, & velum ad occultationem eiuſque defenſionem; proinde veriſſimè dicat Iſaias: *Et nubes pluant iuſtum.*

II. Ioſephi prærogatiua extollitur.

Vt ſolidè digneque Sancti illius celebremus encomia, qui illa ita iuſtè meritorum ſuorum confirmat eminentia, & prærogatiuarum ſuarum ſtabilit felicitate: gradum cum Ruperto figamus in myſtica illa ſcala Iacob ad domum Laban proficiſcentis, vbi Rachel ſibi ſumpſit in matrimonium. Dormiente illo ſub aperto aëre, ecce cæleſtes deſcendunt ſpiritus per ſcalam quaſi attracti amore erga carnem feliciſſimi huius hominis, ex cuius ſemine Deus carnem aſſumeret humanam, qui & ipſe quaſi hoc indigens fauore, quærit Iacob, & ſuper ſcalam nititur. *Et Dominus erat innixus ſcalæ.* Notate myſterium cum Ruperto. Deſcendit Dei verbum ſponſam in mundo quæſiturus: in domo Laban, & dignatione non neceſſitate voluit in peregrinationibus ſuis ac laboribus operâ vti Ioſeph cui innitebatur, ſicut illum hîc conſpexit Iacob. Hæc eius depromo verba: *Nónne ſcalæ innixus eſt Dominus: cum huius paterna ope & pia vectatione indigens vteretur Deus homo factus de loco ad locum fugiens Herode perſequente?* In omnibus occaſionibus Ioſeph vſus eſt ſcuto & auxilio: ſi matrem eſt habiturus, virginalis eius abſconditur puritas, dum Ioſeph deſponſatur, latetque myſterium: ſi in numerum referri debet & deſcribi in Bethlehem, accedat comite Ioſeph: ſi fuga capeſſenda ſit in Ægyptum, tranſuehat eum Ioſeph: ſi poſtliminio reduci migrandum ſit in Iudæam, Ioſeph illum reducat. *De loco ad locum fugiens.*

[Margin: Ezech. 32. — Iſai. 45. — Gen. 28. — III. Allegoria. — RVPERT. l. 1. in Gen. c. 22.]

IV. Ceremonia notanda in nocte Natiuitatis ad honorem Ioſeph.

Conceptum promoueat idem Rupertus: Teſtatur moris tunc fuiſſe in Eccleſia, ſicut modò in nonnullis Religionibus, ſaltem in mea hæc habetur Rubrica in Miſſali, vt ipſa nocte Natiuitatis Chriſti decantatis ſolemniter matutinis ante primam Miſſam & Laudes cantetur Euangelium: *Liber generationis Ieſu Chriſti &c. Hac nocte legitur nobis ante Miſſarum ſolemnia: Liber generationis Ieſu Chriſti.* Quęnam hæc tam inſolens ceremonia? Solum Euangelium ſine Miſſa, illam immediatè præcedens, quid erit? Ideo tantùm, vt in Natiuitate Dei & hominis Ioſeph honoretur. *Liber generationis,*

[Margin: RVPERT. l. 3. de diuin. offic. c. 18.]

rationis, est scala Iacob, vt diximus: gradus autem sunt tot Reges, tot Patriarchæ, tot Duces per quos velut per gradus descẽdit homo factus: hoc est: *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob &c.* Vltimi autem gradus censentur Ioseph & Maria. Antiquis patribus Deus innixus non est immediatè, neç illos tantò dignatus est honore, vt eorum vellet vmbrâ protegi, auxilio defendi, & fauore demulceri, donec ventum esset ad Mariam & Ioseph: Mariam, inquam, tanquam naturalem veramque matrem, & Ioseph tanquam patrem, in diligentia & sollicitudine, quâ tutor pupillum sibi creditum protegit, fouet & defendit. Non ego loquor sed Rupert. qui Ioseph nominat supremum scalæ gradum. *Cui videlicet Ioseph supremo scala gradui Dominus paruulus innixus est. An non illi beato innixus est, quando pupillus in hoc saculo, id est, absque carnali patronatus solatio eius cum puerpera matre sustentari dignatus est? & vt catera taceam: nonne tunc vel maximè illi innixus est, quando ne ab inimicis Herode vel cateris inueniretur, qui quasituri erant animam eius, in Ægyptum ab eodem nutritio suo deportatus est, iterumq́ defuncto Herode in terram Iuda relatus est?* Nubem hîc considera, quam bene Chrysost. vnico verbo describit. *Nam in prima quidem facie Maria puerum nutriebat, Ioseph conseruabat.* An non euidenter patet quàm clarè bina hæc nubis distinguat ministeria? Duo Cherubim propitiatorij Ioseph & Maria: nam in ipsa quidem nocte, in qua natus est Saluator mundi, ne mater totam filij sibi gloriam habeat, ordinatur illud legi Euangelij, vbi hæc cum Ioseph gloria Mariæ diuiditur, & auditur: *Ioseph virum Mariæ.*

RVPERT. ut suprà.

D. CHR. Hom. 2. in Imperf.

V. Ioseph vt pater Christo nomen imponit.

Eia Domine, puer tenerrimus nasceris omni destitutus auxilio, Herodes vitæ tuæ ferox insidiabitur: nubes Maria, quæ nobis te dedit visibilem; alia indiget nube, quâ & ipsa & filius ab hoste defendatur: sit autem protector, tutorque Ioseph. Eleganter aduertit D. Chrysost. quòd dum Angelus venit Ioseph variis anxium cogitationibus solaturus, & rei nouique partus seriem indicaturus: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam:* hæc addit: *Pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum*: q.d. Ioseph non, quia in hoc partu virginali nullum tibi ius, nullaque pars est: cùm totum sit opus Spiritui S. adscribendum, tibi solamen & honor adimitur, quo te videas Mariæ, & filio collateralem; quamuis enim esse non possis pater illius quoad naturam: eris tamen in omnibus, quæ puro possunt homini

mini conuenire: quocirca amodò tibi ius de cælo conceditur, quo vt pater, illi possis nomen imponere. Audire lubet ipsum Chrysostom. *Non enim quia à Spiritu S. est, idcirco te à ministerio tantæ existimes dispensationis extraneum: nam si nihil habeas in hac generatione commune (Virgo quippe permansit intacta) tamen quod est proprium patris, quodque nihil infuscat Virginis dignitatem, hoc tibi facilè concedo*, & statim subiungit: *Quamquam enim non sit filius tuus iste qui nascitur: tu tamen curam erga illum & sollicitudinem ostendes parentis & propterea te illi ab ipsa statim nominis impositione coniungo.* Deus eo loco habuit Ioseph, vt antequam mundus hoc Deo & homine nato gauderet, præueniat eum ac moneat, vt titulum puero imponat, quem ferat, simulque cum Matre se coniungat: sunt enim ambo, illa lilia, inter quæ sponsa sponsum vidit deliciantem. *Qui pascitur inter lilia*; de matris suæ brachiis ad brachia transmittitur patris nutritij Ioseph.

D. CHR. Hom. 4. in Matth.

Cant. 2.

VI. Ioseph vt nutritius locum suppleuit S. Spiritus.

Nato Principi nutritius pædagogus eligitur: cùm autem Christus persona esset diuina, eius fuit Spiritus S. persona diuina, ipse Virginem reddidit fecundam. Porrò in natiuitate eius, ni fallor, officium hoc commendatum est Ioseph: vnde licèt intueri, quòd in tota Christi Saluatoris infantia nulla fiat aperta mentio de Spiritu S. donec, cùm trigesimum ageret annum, apparuit super caput Christi in figura columbæ, quem exinde comitatus est, duxitque in desertum à diabolo tentandum. *Ductus est Iesus à Spiritu in desertum.* Matth. 4. Et ita fieri oportebat (admirare dignitatem S. Ioseph) nam sicut Ioseph puero Iesu visibilis erat nutritius, se Spiritus S. quasi abscondit, quo Iosephum digniori afficeret honore; Moritur Ioseph ex communi Doctorum sententia, priusquam Redemptor noster prædicationis officium inchoaret, & ipso Ioseph iam deficiente, denuo nominatur Spiritus S. Flectant tibi genua, ô beatissime Patriarcha cælestes spiritus, tui sibi fauorem concilient mortales, talis etenim futurus es illis, qualem sibi Deus vt esses, elegit: vmbra, quies, protectio, nubes dulcisque refrigerium.

Discur-

Discursus IV. *Meritò timeat Herodes puerum pannis inuolutum vt tyrannus: sicut enim securitatem bona causat conscientia, ita mala terrorem, & angustijs pressus metuq; consternatus viuit omnis improbus.*

I. Differentia inter bonã & malam conscientiã. CÆlum portatile secum defert bona conscientia, iustusque medius est beatus, prægustat, & quasi sapit amodò ac gloriæ bonis fruitur: econtrà mala conscientia, terrestris est infernus, nouitius est omnis peruersus conuentus illius infaustissimi: moriendo viuit, melius dixero: viuendo moritur. *Gen. 3.* Protoplastes noster Adam originalem perdit iustitiam, & eodem instanti vmbraculum quærit & latebras arbustorum, quibus iam reus abscondatur. Eum D. Augustin. considerans ait: *In paradiso peccauit Adam & abscondit se à facie Domini*: Quem fugis? quis te adigit in latebras? quis persequitur? libertate quam possides, vtere: timeo: quia venit Deus. Quî credam quod quẽ ante diuina recreabat præsentia, nunc vel sola videndi eum turbet imaginatio? *Cùm haberet ergo cor suum puræ conscientiæ, gaudebat ad præsentiam* Dei (quâ iusti recreantur:) *Postquam peccato oculus ille sauciatus est, cœpit lucem formidare diuinam.* Ostendit D. Chrysostom. ingenij sui acumen, dum in eodem casu hanc obiicit quæstionem: quis illi diuinum ingessit aduentum, cùm deambulans Deus lentoque passu procederet eum in tribunal aduocaturus: *Vnde verò cogitauit quòd Deus deambularet?* Hoc illi propter culpam suam indicauit aër, arborumque ludentium folia, quasi loquerentur: ex omnibus quippe peccatum eius illi suspicionem ingerebat. *Talis est peccantium consuetudo: omnia suspecta habent, vmbras tremunt, omnem strepitum timent.* D. Chr. Ho. 8. ad pop.

D. Avg. Ser. 18. de verb. Dom.

II. Mala conscientia propellit Adam in fugam.

Accedamus propiùs; Cain huius patris filium, reproborum figuram, dum primum locum habitationis ædificat in mundo, & gloriæ habitaculi obliuiscitur, percunctatur Rupert. quid illum ad vrbis mouerit ædificationem vt eam muris circumcingeret? Respondet inter alia, *Vt se tutaretur.* Hîc oritur ilico difficultas; Quos ergo exercitus sibi timuit aduersarios & irruẽtes: cùm præter parentes sciret adesse neminem? Respondet D. Chrysostom. quòd peruersus quisque cum accusatore & tortore propria conscientia solus sit: illa ipsa quæ nullam illi adferre possunt molestiam, sibi persuadet esse persecutores, lapides immobiles, & arborum ramos

Rvpert. l. 4. in Gen. c. 10.

III. Et Cain cogit ædificare ciuitatem.

ramos arbitratur in suam conspirare perniciem: vnde quando fugit à se, ab omnibus fugit, omnesque habet vt inimicos: *Fugit impius nemine persequente.* ita Salomon, quæ verba D. Chrysostom. valde grauiter expendit. *Quomodo persequente nemine fugit? Intus habet agentem conscientiæ accusatorem, & hunc vndique circumfert: & sicut seipsum non potest fugere, sic nec intrinsecus ipsum agentem, sed quocumque abeat, flagellatur & vulnus habet immedicabile.* Contremiscit terreturque ex eo tantùm quòd seipsum circumferat, in cuius visceribus ob peccata sua legiones viuunt militum estque inimicorum munimentum.

Prou. 28.

D. CHR. vbi sup.

Dignitas Regis eiusq; celsitudo subsidium est & vmbra Dei. Vnus ex tribus pedissequis Regis Darij tulit suffragiũ Regem inter cetera fortitudine præcellere: Dominus cũ sit absolutus vitæ & mortis cui omnes corda pectusque ad terram inclinant. Hoc concesso miratur D. Ambros. Monarcham Israel Regem Achab; dum enim illi Naboth vineæ suæ negat, quam vrgebat, venditionem, comiterque respondet de hoc se posse apud Regem excusari; cùm enim esset parentum sibi relicta hereditas, iustum non videri eam ad manus transire alienas: tanto Rex mœrore tristis obruitur, vt Princeps nõ esse, sed mortalium miserrimus, & abiectissimus de plebe videretur. Nemo stupeat (sic moneo cum D. Ambros.) vt enim peruersus erat, venumdatus vt faceret malum, atque petitionem vrgeret iniustam; hoc idem scelus eum in tantam deiecerat vilitatem, vt cùm ex solo Regis audito nomine, quantò magis obtento, pusillanimes expellantur cogitationes, & animosæ superbæque producantur, Achab tamen toto potens imperio, mollior & qualibet femina redditur abiectior. Audite Præsulem Mediolanensem: *Adeò deiecta erat conscientia peccatoris vt nec regalis potentiæ fastu tolleretur.*

3. Esdra 3.

IV. Achab ob negatam vineam dolet vt peccator.

D. AMBR. L. de Naboth cap. 12.

Dum Iacob assumptis duabus coniugibus omnique sua facultate clanculum de domo Laban soceri sui discedit, furata est Rachel inscio Patriarcha Iacob idola patris sui aurea, nullo illa censens digna cultu adorationis: quandoquidem docente Iacob marito plenam de vero Deo cognitionem didicerat: sed eo tantùm animo, vt si fortè pater insequeretur, sicut reuera ipsos insecutus est, eò quòd Iacob nulla petitâ veniâ laribus eius excessisset, ipsa Deos aureos illi proponeret quibus fastuosus & indignabundus eius animus leniretur. Hanc rationem habeo ex Iosepho: *Non quòd Deos coleret, quorum contemptum à marito didicerat,*

V. Allegoria.

IOSEPH l. 1. Antiquit.

rat, sed vt si fortè pater fugientes assequeretur, haberet quò confugeret veniam impetratura. Hoc superato periculo nouum paratur Iacob nec inferius à duobus filiis suis Simeon & Leui, qui nimis ferocientes ob raptam sororem suam Dinam omnes Sichimitas gladio obtruncante noxios pariter & innoxios interemerunt: coëgitque necessitas, vt Deus ipsi animos adderet. Ascende in Bethel & offer mihi sacrificium: tunc autem imperauit Iacob viæ comitibus. *Tollite Deos alienos de medio vestri.* Si vobiscum nonnulla circumferatis idola, foras eiicite. Quærit D. Chrysostom. *Quales quis dixerit Deos?* Cùm Iacob nulla secum tulerit nec veneratus sit? *Significans fortè Deos Laban, quos Rachel* (ipso facinus ignorante) *subtraxerat hoc dixit.* Nodus hic est; cùm enim illi Deus dixisset: noli timere: numquam tamen à timore solutus quieuit, donec idola videret sepulta: quamuis enim ea nullus adoraret cultumque idololatra exhiberet, sufficiebat tamen vel peccati vmbrã circumferre, quo vir alioquin à Deo confortatus, animo desponderet, & amore languesceret: tanto namque terrore, quantus iste est mala torquetur conscientia.

Porrò in contrarium bona conscientia lectulus est mollissimus, quo anima iusti requiescit. Notanter hoc aduertit D. Ambros. in Patriarcha Iacob: cùm enim timore metuque totus animo consternaretur, intelligens Esau fratrem quadringentorum militum manu aduentantem sibique infestum, velut puerulus se diuinis iniecit brachiis, ab hoste protegendum: Domine, *Erue me de manu fratris mei Esau: quia valde eum timeo.* Nihilominus ipsa nocte qua periculosum expectabat altero die cum fratre congressum, ait S. eloquium, in ambas dormiuit aures: ita quoque testatur D. Ambros. *Denique petiturus à fratre concordiam, dormiuit in castris.* Quid hoc ô Patriarcha sanctissime, quomodo hæc sibi conueniunt: *Valde eum timeo, & Dormiuit:* timor somnum excutit, non est modò tempus fatigatos artus quiete recreandi, fessaque membra sopore graui restaurandi, sed potiùs grauiori fatigandi peruigilio: quid modò somnus vbi tanti refert excitata vigilia? Quis credat te viuere excitatum, te dormire quietum, nullisque cordis perturbari palpitationibus? Valde bene: bonus quippe erat: irritetur mundus, atque in virum iustum toto furore commoueatur: miraberis illum pacatum, serenum, in portu ad quem laceræ & iactatæ fluctibus naues refugiunt, & à turbinibus ferisque maris vndis seruantur incolumes: irruat Esau

Gen. 32.

D. AMBR. *l. 2. de Iacob & vita beata c. 6.*

VI. Bona conscientia securè dormit.

Matth. 26. VII. Proprium est bonæ conscientiæ semper gaudere.

Esau spirans minarum & cædis, legiones ducat armatas, tantum abest vt interior Patriarchæ pax animæ perturbetur, vt omnes soluat anxietates, & nulla turbatus sollicitudine ad conspectum armorum & periculorum obdormiat, nullusq; vultũ eius pallor obsideat: cùm enim iustus sit, hoc illi ad quietem sufficit, quamuis edura tellus lectus illi sit, & integras contra se nouerit festinare legiones. Huius habes auctorem suauissimum Ambros. *Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem & stabilitatem* &c. & statim: *Perfectorũ est enim non facilè mundanis moueri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari, sed quasi in littore tutissimo aduersus insurgentes fluctus sæcularium procellarum mentem immobilem fida statione placidare.* Et concludit. *Denique vita iusti, quieta est, iniustus autem inquietudinis & perturbationis plenus est.* Elucidat hoc ornatque D. Augustin. in explicanda tristitia Christi agonizantis in horto postrema nocte vitæ suæ, dum hominis inciperet redemptionem, eiusque in se attraheret affectus: dixit enim: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Mortis angustiæ cor meum præfocant. Adest D. Aug. & ait: vox hæc Christi, Martyrum fuit & iustorum qui tormenta sustinent, à quibus dolorem non aufert: & quòd si Redemptor nullum eius daret indicium, sed omnia gaudio repleret iam moriturus, cogitare potuissent se discipulis illius non esse annumerandos, dum mœrore conturbantur, vbi Dux & antesignanus lætitiam præfert: hanc igitur abscondat, paueat, tristetur & conturbetur, ne fortè dicat aliquis: *Non se ad Dominum pertinere: nam si pertineret, gauderet. Prius ergo Christus sub persona Martyrum dixit: Tristis est anima mea.* Explico D. Aug. ita proprium est iustis gaudium, vt opus fuerit quòd Saluator noster tanquam vas in se tristitiam susciperet, & seipsum statueret exemplum quo certo nouerint dari mœtorem, angorem & dolorem humanæ infirmitatis indicia: ne fortè, non audientes ex ore eius diuino: *Tristis est anima mea:* timere possent de vitæ suæ salute: dum se nonnulla dolent inquietudine pœnaque perturbari: tam stricto namque vinculo pax, serenitas, gaudium & tranquillitas bonæ maritantur conscientiæ.

Gen. 32.

D. Ambr. l. 2. de Iacob & vita beata c. 6.

VI. Bona conscientia securè dormit.

Matth. 26.

VII. Proprium est bonæ conscientiæ semper gaudere.

D. Aug. ser. 45 de Sanctis.

Ipsa quoque animalia iusto cauent nocere, quod Oecumenius egregiè annotauit. Appulit D. Paulus in itinere suo Romam versus in insulam quandam; erat autem tempus brumale, & egressus de naui sarmenta collegit lignorum, totus enim cha-

Acto. 28.

ritate flagrans nullam intermittebat benefaciendi occasionem; in ignem coniicit, vt frigo-

VIII. Vipera non audet nocere D. Paulo: quia iustus erat.

re & pluuia madidi reficerentur: & ecce vipera ex ignis calore prosiliens manum inuasit Apostoli, quam tamen resiliens reliquit illæsam. Notat Oecumenius quòd ipsa vipera, quasi iudicio polleret, pudore confusa, quòd manum tetigisset viri sanctitate præstantissimi, & circumstantes angustia pressisset, num fortè D. Paulus damnum aliquod ex contactu incurrisset, resiliit in ignem. Hæc eius

OECVME. in Acta.

sunt verba: *Vipera iniectis manui Apostoli dentibus, cum peccati mollitiem non reperisset, protinus resiliuit ac in ignem saliit, tanquam sibi ipsi pœnam infligens, quod corpus sibi nullo modo conueniens, petiisset ac oppugnasset.* Pestiferum animal sibi ipsi pœnam infligit, & non ab alio sed à se sumit supplicium, & quandoquidem de igne egrediens tentasset nocere iusto, relabatur in ignem, suam luat audaciam, sciantque cuncti quòd contra bonam conscientiam nullus inter homines habere possit arma, inter animalia dentes, inter feras venenum.

IX. Herodis in paruulos crudelitas.

Quid tremorem Herodis tyranni miramur, quid obstupescimus à puero fasciis obuoluto gaudiũ illi auferri, turbari alacritatẽ quodque vt bestia quodcumque sibi occurrerit, in frusta discerpit furori suo satisfaciens, iramque in eum etiam demonstrans à quo nullam passa est iniuriam, ita Herodes (inquit D. Chrysostom.) intelligens Magos cælitus admonitos per aliam viam non regressos in Hierusalem, in Regnum suum repedasse, passione sua cæcus & furibũdus totam suam bilem in paruulorum Innocentium stragem verterit immanissimã? Elegantissimè D. Chrysostom. *Sicut fera bestia habens naturalem asperitatem, si ab aliquo fuerit vulnerata, naturalem crudelitatem eius duplicat ira furoris, & quasi cæca furore iam non aspicit vulnerantem: sed quicumque ante oculos eius occurrerit, siue homo, siue alterum animal, quasi auctorem vulneris sui dilaniat: sic & ille delusus à Magis iram suam super paruulos effundebat.* Quot militum vexilla cernis circumquaque Hierusalem explicata volitare? quot legionum militarium turmas per arua gradientes? Non illi te persequuntur infantes, nec enim adhuc possunt, qua igitur ratione eorum formidas manus, si vsque modò illas necdum habuerint à fasciis absolutas: & lac quibus à maternis suspensi pectoribus aluntur, tibi sanguis videtur quem tuis de venis eliciunt? Siste furorem, cohibe choleram: non enim quem in illis tu persequeris venit mundanam tibi glo-

D. CHRYS. Hom. 2. in Imperf.

X. Similitudo.

riam adempturus, quinimò diuinam suam tibi præsentaturus. *Non venerat* (sic D. Augustin.) *Christus, vt alienam gloriam inuaderet, sed vt suam donaret.* Impium tuum reuoca edictum.

D. AVG. Ser. 9. de Innocent.

XI. Eadem est Pharaonis.

Cum eodem Doctore Pharaonē inspiciamus huius Herodianę prototypon immanitatis, præcipientem Ægypti obstetricibus, vt omnem masculum Israel recens natum fluuio mersum præfocarent, dicamusque ei: *Cohibe nefarie homo insaniam tuam quos necdum vides insequeris? quid scelestius? nondum natos occidis? Seruet ordinem feritas tua; nascantur ante; quos punias.* Inaudita est tua ista crudelitas, antequam sint illos præuenis vt esse non habeant: nascantur primum & membra habebit gladius tuus quæ detruncet; est enim ista anticipata præuentio si ordinem spectes faciendi malum, quam præterita sæcula nec audierunt nec viderunt. Talis erat Herodis ista sæuitia, & fera sollicitudo, quâ Christum insectabatur puerulum occidendum, sibi persuadentis quòd in quolibet paruulo Christum interficeret. Talis est & cordis eius perpetuus tumultus & incessabilis inquietudo dignum impij supplicium: nam & purpura vestitus formidat nudum, & Regali residens throno præsepio formidat incubantem. Numquid hoc D. August.? *Ecce iacentem in præsepio pertimescit armatus, contremiscit, humilem Rex superbus, obuolutum pannis metuit purpuratus.* Quòd potens Rex ab alio superetur potentiori, non tantum infligit dolorem, quantum si à paucis & viribus suis infirmioribus. Idcirco in SS. litteris ita extollitur & ab omnibus prædicatur inaudita illa Gedeonis de Madianitis hostibus victoria, trecentis tantùm viris obtenta, quos tamen de ceteris elegit timidiores & infirmiores; sed triumphum admiremur Christi tenelli pusionis de ferali Herodis potentia, quam tot prior sæculis videns Isaias præuidit in spiritu. *Antequam sciat puer vocare patrem suum, aut matrem suam, auferetur fortitudo Damasci & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum;* quod Tertull. exponit: *Aduersus Regem Assyriorum, aduersus Herodem intellige.*

D. AVG. Ser. 89. de temp.

D. CHRYS. Hom. 2. in Imperf.

X. Similitudo.

D. AVG.

Isai. 8.

TERTVLL. l. 3. contra Marcio. c. 3.

Disputat Africanæ eloquentiæ princeps Tertul. contra hæresiarcham Marcionem affirmantem Messiam virum fore bellicosum, arma tractantem, potentiâ formidabilem, Regnorum inuasorem, ipsa potestate temporali suæ coronæ subiicientem tributaria: hanc autem hæresim suam ex illis affirmabat verbis: *Fortitudo Damasci spolia &c.* Parum sapiens Hæresiarcha nec intelligens multò celebriora fuisse trophæa quæ Chri-

Christus victor retulit ex paupertate sua, præsepio & nuditate quàm bellico quouis apparatu, machinisque fortioribus. Lachrymis Redemptor noster ad arma conclamauit, quando vt puer Virginis Matris quærit vbera, descendit vt Dux in arenam ad certamen illum euocãs: & si tunc aliquis minùs exhorret mortem quando ambabus illã manibus amplectitur: hæc ea nostri Principis celebratur fortitudo, & quam Innocentibus communicauit: de quibus ægregiè hoc prædicat Chrysolog. quod irruenti carnifice ferrum ignemque euomente, pueruli gaudentes arriderent, cum sanguine purpuratis ludentes gladiorum cuspidibus quasi cum odorifero florilegio. Verba eius elegantissima non omittamus.

D.P.Chr. Ser.153. *Arridebat paruulus occisori, gladio adiocabatur infantulus, nutricis loco attendebat luctans percussoris horrorem.* Et meritò machæra carnificis illos cælo educabat meliùs quàm lac nutricis: *Nutricis loco*, in illo demersos: licèt purpureus videretur sanguis velut stellæ firmamenti nubes inter tormentorum, & rosæ fragrantissimæ spinarum inter grauissimos aculeos. Hæc eorum causa est interfectionis, Deo nascente: vt nulla videatur mors, quæ nõ sit mortis victoria, donec veniat illius, quâ mortem in monte Caluariæ præcipitabit. *Præcipitabit mortem in sempiternum.* Isai. 25. Et vt intelligamus, hoc esse illud deliciosum pectus, quo nutritur, dixerat ante Propheta: Conuiuium faciet vindemiæ, quod aliud non potest esse quàm illud quod hodie suæ parat Ecclesiæ in his infantibus opiparum de tenerrimis surculis racemos colligens fecundissimos.

Occurrite igitur obuiam ô animæ Deo vestro, ex amore fugienti: fame sitique laboranti, teste Isaia: *Occurrentes sitienti ferte aquam qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti.* Isai. 21. Qui Austrum incolitis, ardentissimę meridiem deuotionis, aquam porrigite lachrymarum, lachrymas sitienti: *Sitienti*: panes adferte ei qui panis est cælorum: *Cum panibus occurrite*, si namque filio matri & sponso in hoc peregrinationis itinere comites adhæseritis indiuidui, ipsos in hoc exilio vobis propitios sentietis per gratiam, & in patria per gloriam: *Amen.*

Discur-

Additus. Discursus V. *Cùm Christus in adoratione Magorum se verum ostendisset Deum, hodie fugiens se verum manifestat hominem nostras magnificiẽs humiliationes. Dicam, eò quòd maternis deferatur brachiis, fugam quam mortales iudicant infamem, ipse vt gloriam suam assumpserit.*

VSque modò gloriosæ præcurrerunt Redemptoris nostri manifestationes: licèt etenim inter illas aliquantulum diuina lateret celsitudo, cum humana exiguitate: erant tamen adeò sublimes diuinitatis eius declarationes & signa, vt quasi humanitatem eius obfuscarent: Angelorum barbiton, notissima & splendidissima Regum Maiestas, eius dignitati tributaria, pastorum accursus, nomen Iesu ineffabile, à Simeone publica voce proclamari, lux & gloria: quis negabit quin Christus se verum ostenderit Deum: hic autem ex amore erga hominem, cuius naturam assumpsit, se reuelare vult ita esse hominem vt oculi fidei requirantur, quibus cognoscatur vt Deus: vtque nos sibi arctiùs deuinciret, voluit aliquando apparere magis homo, quàm Deus, & vt hodie in eo quod mortalibus est detrimentum, cognoscerent in ipso maius hoc esse incrementum.

Saltem hoc cogitauit acutissimi vir ingenij D. Petrus Chrysol. quem valde commouit loquendi modus, quo glorioso Ioseph fuga præcipitur: *Fuge in Ægyptum.* Imperatiuum hoc *fuge* admirationem illi mouit & dulcedinem; quâ similiter sic effatur: *Reuerentius diceret: vade in Ægyptum, vt esset profectio non fuga, voluntas non necessitas, iudicium non metus, humanum saltem si non diuinum: at nunc mandatur fuga, mandatur calitus, mandatur per Angelum &c.* Quotiescumque viro nobili ex parte Superioris sui quidquam intimatur, vel præceptum aliquod arduum imponitur, secessus, exilij &c. solet debitus tali personæ respectus terminos quærere quibus non clarè eius exprimatur ignominia, sed dissimuletur. Hic autem aduerto: cùm dici potuerit Ioseph vt cum pignore illo cælestis suæ sponsę, & infante Deo secederet in Ægyptum: quia sic altissimis diuini decreti finibus fieri conueniebat, legatus tamen de cælo missus diuerso planè procedat modo: cùm personæ tales sint Iesus, Maria & Ioseph, *fuge in Ægyptum,* discede velociùs in dissitas illas & remotas orbis regiones. Dicerem ego illud eo modo, vt intelligeretur esse profectio non fuga, discedere non fuge-

I. Christus ostendit se verum hominem.

D. Petr. Chrysol. Ser. 151.

II. Ideo dicitur: *Fuge* & non: abi.

fugere: illud enim notat voluntatem, hoc autem necessitatem. Non tamen arguatur Angelus, nec enim verba potest excedere quæ proferre illi mandatum est: significant enim id quod cælum, & ordinat ipse qui fugam capessit: nam sicut se clarè in diuinis & præclaris luminibus reuelauerat: ita præcedens diuinum compenset aliquid occultum cum præsenti diuino quod ita abscondit: vt dum fugit omnipotentia, se subducit virtus, suprema timet potestas, imò pessimum flagrionem Regem scilicet Herodem, omnibus constet, quantum animo illius placeat nostras ostentare ignominias.

TRIVMP. *Discurs. I. de Natali Christi.* *Ioan. I.*

Profundum Alberti nostri Magni ingenium argumentum promouet: inhæret enim verbis illis D. Ioannis: *Verbum caro factum est:* quæ licèt alibi huic intento congruè expenderimus, hîc tamen diuersis locis declarabimus: considerat enim Euangelistam quasi quærentem terminos magis sibi contradicentes in publicatione ineffabilis huius mysterij, quo Deus factus est homo. Dicere potuisset: Verbum humanam naturam induit, vel se hominem reddidit, sicut omissis circumlocutionibus fides nostro in Symbolo confitetur: *Et homo factus est:* vel dignius animam nominasset partem cōpositi huius humani principalem: & cùm sit spiritus minus

III. Et pariter: Verbum caro factū est: non anima.

diuinæ repugnat dignitati: sed *Verbum & caro?* Caro: ipsa namque per se deiectionem indicat: & quod hæc statuatur in parte principali armorum Dei? Responsum audiamus Doctoris piissimi: eleganter quippe dicta ponderat. Quærit primò: *Quare pro homine ponit inferiorem partem huius & non digniorem quæ est anima?* Responsio sit: *Quia Verbum incarnatum duo fecit: quia per visibile duxit ad inuisibilem Dei notitiam, & per dolores passionis sanauit infirmam & sauciatam peccatis naturam, & ideo in Incarnatione nominatur illa pars quæ magis est visibilis, & magis est passibilis doloris, & hæc est caro.* Explico: Duos sibi fines Deus præstituit in Incarnatione: primus fuit, vt per exterius & visibile veniremus ad cognoscendum inuisibile, & per humanitatem ad diuinitatis notitiam, cùm autem caro sit visibile, non autem anima vel spiritus, dicatur: *Verbum caro factum est,* & non *Anima:* nam si Verbum carnem humanam non assumpsisset, tam occultum mansisset ac prius erat: nos autem supposito decreto, omni remedio illud cognoscendi & videndi priuati fuissemus. Secundus erat: expediebat Deum tormenta sustinere & dolores: hi autem in carne passibili consistunt: quocirca amor eum mouit vt ex minùs principali parte nominaretur,

ALB. MAG. in Ioan.

retur, licèt totum in Christo nobilitetur: atque ideo concinnè scribit Euangelista: *Verbum caro factum est.*

Dexterè admodum prosequitur idem argumentum D. Hilarius Episcopus Pictauiensis. Aliqua saltem ex grauissimis eius verbis proferamus, reliqua lectori committentes. *Deus igitur imago inuisibilis pudorem humani exordij non recusauit, & per conceptionem, partum, vagitum & cunas, omnes naturæ nostræ contumelias transcucurrit.* Imago inuisibilis Deus, inuisibilis Christus est, in quantum Verbum: quia verò plurimum referebat ad eius cognitionem, vt eum videremus, non recusat, sed acceptat carnis nostræ miserias, transit per infantiam, cunas, lachrymas &c. videamus quid ex illis inferat. *Humilitas eius nostra nobilitas est, contumelia eius honor noster est: quod ille est Deus in carne consistens, hoc nos vicissim in Deum ex carne renouat.* Cunæ eius solium eius est, quia ipsas, ô anima, quia tuæ sunt, in thronum sibi commutauit; ex cunis eius oritur tua gloria, atque de carnis tuæ contumeliis ordinat vt noua lux ad eius cognitionem enascatur: tantum abest vt hoc sibi ducat dedecori, quinimò oblata occasione se magis hominem quàm Deum manifestat.

D. HILAR L.2. de Trinit.

IV. Nostræ miseriæ Christo fuerunt gloria.

A latere D. Hilarij non recedamus: ingeniosè enim mysterium hoc expendit. Circumstantias in Passione Christi legimus insignes: qui licèt modico tempore passus sit, multo tamen, si pœnas euoluamus, quas Dei solius comprehendit intellectus, ab horto Gethsemani vsque ad crucem. Verumtamē honores notamus inter ipsas ignominias adeò raros & publicos, vt si velimus hos aduertere, illi clarissimè se manifestent. Aduerte D. Hilarij notationem: sanguinem video profusum, carnes laceras, apertas venas & poros, hiantia ora, ex quibus flammæ erumpunt animas accendentes, vestem sordidam, spinas, irrisiones: sed considerationi nostræ fauent spinæ, & aculei ex quibus corona componitur: nam ita illam appellat D. Ioan. Euang. *Exiuit ergo Iesu portans spineam coronam:* vestis licèt vilior, ex cocco seu purpura texebatur: *Chlamydem coccineam:* deinde genuflexiones, adorationes: *Adorabant eum:* acclamationes, si non blasphemiæ: *Aue Rex Iudæorum.* Ioan. 19.

Seponamus igitur nunc ad latus vnum spinas, vestimentum, subsannationes & sanguinem, atque ad aliud purpuram, quam omnes norunt Regium esse signum, & coronam similiter Principibus & Monarchis propriam: genuflectere, humiles exhibendo reuerentias Dominis

Nota. V. Vt patet in corona spinea.

minis debitum est eminentioribus. An non aduertunt qualiter tot tantæque gloriæ sic his immisceantur ignominiis, vt has quasi obfuscent? Meo iudicio hoc latet hîc arcanum: tanti appendit carnem nostram, in quâ patitur, vt ex iis quæ vergunt in hominis non leue præiudicium, ipse sumat gloriæ suæ clarissimum argumentum. Verba Doctoris huius vtique grauissima silentio ne tegamus. *Cæso deinde Domino, imponitur chlamis coccinea & vestis purpurea, & corona spinea, & arundo dextera, & genu posito adoratur, illuditur, susceptis videlicet omnibus corporis nostri infirmitatibus.* Ecce qualiter coniungat ignominiosum & gloriosum: & statim adiungit quòd istis actionibus præparet & disponat coronã & gloriam Martyrum, eorumque omnium qui pro eius nomine paterentur: vt enim regnum ipsius, nostrum erat, voluit illud in nostris delineare contumeliis: quæ in ipso receptæ, fuerunt ei hominique præclarissimi triumphi. *Omnium deinde Martyrum quibus regnum secum erat debitum, sanguine in cocci colore perfunditur, pretiosaq́; Patriarcharum ac Prophetarum in purpura honore vestitur.*

Nota verba.

Eduxit Christus discipulos suos ex confinibus Iudææ ad latissima campestria vrbis Cæsareæ, & velut duodecim optimates elegit: in quorum cordibus suam intendit describere diuinitatem: de quâ D. Petrus eo loco hanc altissimam edidit fidei professionem. *Tu es Christus filius Dei viui.* Sistit D. Chrysost. in terminis interrogationis: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Quid concipiunt de filio hominis, quid de me opinantur? Mouit phrasis hæc illi quæstionem. Quæro, ô Domine, an concionem eò dirigis, vt te tanquam hominem suscipiant? vel vt tanquam Deum agnoscant? quoad primum, non iudico necessarium: quandoquidem videri te, versari te inter homines, & humanæ actiones te hominem testentur. Si verò vt diuinitatem venerentur, ad quid de humanitate sermo intercurrit, & cùm sufficiat dicere, quem me esse dicunt, addis *Filium hominis?* Vel desideras occultos reuelare radios, vel illos abscondere. Si hoc secundum in quem finem prætendis, vt te Deum agnoscant? si primum: sentio non inferri, cùm hoc nihil aliud esset, quàm humili & abiecto deprimere sublime, magnum & excellens. Loquatur modò os illud aureum, & Christi exponat in hac interrogandi formula, intentionem. *Vt autem ostenderet quàm valde vellet humanitatis suæ dogma, filium hominis inquit: Deitatem enim suam sic solet appellare: nullus enim, ait, ascendit in cælum, nisi qui descen-*

Matth. 16.

VI. Et ideo diuinitatẽ per humanitatem vocat.

D. CHRYS. Hom. 55. in Matth. To. 2.

dit de cœlo, filius hominis. Et rursus: *Cùm autem videritis filium hominis ascendentem vbi erat prius.* Patefacit quanti nostram faciat humanitatem: cùm vt illam extollat, diuinitatem suam titulo appellet *Filij hominis.* Dictum hoc enucleemus.

Ioan. 3. Ioan. 6.

Matth. 16.

Fide docemur Catholica, quòd licet Christus humanam assumpserit naturam cùm esset Deus, hoc tamen non eo modo factum est, vt quidquam dignitati suæ deperiret, aut humilitas attributis suis derogaret: ita quippe profitetur D. Leo Pontifex: *Ita vt nec superiorem minueret assumptio* &c. Quamuis in vna persona & hypostasi, nempe diuina, confiteri debeamus & Paterni pectoris diuinitatem, & maternorum viscerum humanitatem. Sed hanc in tanto habet pretio, vt terminos mutet, & diuinitatem nominet humanitatem, vt patet, quandoquidem de triumpho Ascensionis suæ sermonem inferens, scribâ D. Ioanne, dicat: *Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius*, ad dexteram Patris: non quòd vsque ad illum diem eius humanitas ibi permansisset, quam inde non adduxit, sed hîc eam illi Maria concessit: verùm propter prædictam eius æstimationem. *Vt ostenderet quàm valde vellet humanitatis sua dogma* &c.

D. Leo ser. de Natiuit.

VI. Et ideo diuinitatē per humanitatem vocat.

Ioan. 6.

D. Chrys. Hom. 55. in Matth. To. 2.

D. Paschas. Abbas duas conciliat sententias duorum Prophetarum, vt videtur contrarias: prima est Regis, altera oriundi ex Regibus. Dauid Christum sic depingit: *Speciosus formâ præ filiis hominum.* O Messia pulchritudine reliquos euincis filios hominum: quamuis enim essentiæ tuæ non omnis deberetur adoratio & reuerentia, propter corporis tamen venustatē, honorabilis tibi cultus competeret: (idem hoc de Priamo dixit alter: *Species Priami digna est imperio.*) Effundis gratias, & rapis animas vt dulciter ita efficaciter. Isaias spiritu præuidens illum sic ait: *Non habentem speciem neque decorem.* Luridus & pallore mortis obsitus: *vnde nec reputauimus eum:* Maiestas illa vilipendebatur. *Debitum honorem nō ei impendendo:* ita Doctor Angelicus interpretatur. Et si de Christo pro temporis diuersitate loquerentur, facilis esset & aperta solutio: vbi namque deformior & omni priuatus pulchritudine quàm in passione sua: & vbi formosior & omni dotatus pulchritudine quàm in gloria sua? Verumtamen aduerto, quòd Doctor ille dubium proponens, vtramque sententiam de vno eodemque tempore intelligat. *Quomodo ergo pulchrior sit cunctis filiis hominum, quando legimus in Isaia: Vidimus eum non habentem speciem?* Christus in se quàm formosus, & propter

Ps. 44. VII. Conciliantur duæ sententiæ.

Isa. 53.

D. Pasch. L. 2. in Ps. 44. Eructauit.

cruciatus quos assumpsit in criminum nostrorum satisfactionem, quàm difformis quoad externam speciem: verumtamen per amorem quo fertur in nos, ignominias sibi honori ducit, & id quod in nobis est maximè indecorum, vocat ipse decorem suum eminentissimum: quocirca bene quadrat, vt etiam eodem tempore dicatur: *Speciosus formâ, & non habentem speciem.* Quid ipse? *Si bene consideras nulla scripturarum dissonantia generatur: quoniam ibi corporis ignobilitas, non propter se, sed propter flagella, sputa & alapas, & propter clauos quoque & irrisiones atque iniurias patibuli, & alia quamplura quæ pertulit probra, benignissimus Saluator propter nos: & ideo iure pulcher in omnibus veneratur & prædicatur.*

Porrò quamuis Saluatori nostro probrosa fuisset fuga, illam tamen honorat maternis deferri brachiis: vnde ad illud verbum *Et matrem eius*, adiungit Angelus: *Fuge.* Et vbi mater tam multiplici præfulget luce, sufficit hoc vt filius in opprobriis honorem decusque inueniat. Quod ita confirmatur. Accedunt tres ab Oriente Reges Bethlehem superni fulgoris ductu occultam adoraturi Dei nostri Maiestatem, sed illis per fidem reuelatam: ait autem Euangelista: *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Non hæreo, licet calamum possem extendere, in eo quòd Virgo Maria via sit immediata quâ Deus inueniatur, vt eleganter dixit Richard. *Qui igitur quæris Saluatorem, quære ipsum cum ea: vnde de Magis dicitur: Inuenerunt puerum cum Maria matre eius: vt cum ipsa semper quærendus nobis ostenderetur.* Sed huic incumbo vt munera Magorum & eorum ordinem exponam: *Obtulerunt ei munera, aurũ thus, & myrrham.* Aurum vt Regi, thus velut Deo, myrrham tanquam homini mortali. Notandum autem quod maximè vicinum & vltimum cuius recentem seruet memoriam, sit myrrha: vt hâc oblatâ (sit venia verbo) aliorum velut obliuiscatur. Quæro, ô Sanctissimi Reges, an non expediuisset præmittere myrrham, amarum illud, vt ex pretiositate metalli omnisũ dignissimi, auri scilicet & thuris Sabęi odore prioris abiiceret memoriam, quod non nisi fatales refert angustias? Si quid sapio, præuenit interrogationem Euangelista his verbis: *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Dum Christus materno recumbit sinu & Mariæ suspenditur vberibus: tantum illi hæc sapit dulcedo, tantum hac gloriâ honoratur, tantumque tali sibi matre complacet; vt ad latus suum nulla sit myrrha quæ sepulchrum redoleat, quæ sonet amaritudinem, quæ mortem denotet,

VIII. Per Mariã Iesus inuenitur.

Matth. 2.

RICHARD. A S. LAVRENT. Lib. 1. de laud. Virg. c. 5.

IX. Cur myrrha vltimo præsentetur.

notet, nec gaudium suum amaricet, totus alacer secedit in Ægyptum, nec fugam recusat vt ignominiam tantâ recreatus gloriâ.

RICHARD. A S. LAVRENT. Lib. I. de laud. Virg. c. 5.

Modò patet mihi D. Augustini verbum aliquod: Sapienter & dulciter recreatur ex filio & matre eius cuius lac & sanguis eius labia rubricarunt (quid miramur si scripta eius inflamment, & tot sapientes nutriant & Magistros?) & ait: *Lacta eum qui talem fecit te, vt ipse fieret in te.* O Virgo Domina & Regina ter maxima vbera præbe filio quo cum æterno Patre gaudes: suauem illi liquorem infunde, eumque nutri qui talem te fecit, vt talem quoque se diuina Maiestas in te faceret. Quales sunt hæ tam mysticæ permutationes.

D. AVG. Ser. in Natali Domini.

Da veniam ô Doctor Ecclesiæ, vt tenebræ meæ, licèt transeunter, sequantur, vt aliquid de luce tua videam & explicem id quod ingenij tui acumine non dixisti, committens illud alienæ pietati. Erit igitur hic sensus: Talem se Deus in Maria fecit, qualem opus habebat humanum genus: vt autem illi conueniebat pati contumelias & ignominias, in decorem & honorem illas commutando: illas elegit quas homines vt tales iudicarent, & in coronas regiaque transformauit diademata in Maria, per quod barbara Ægypti regio ita extollatur, vt arua arentia mutentur in hortos voluptatis, & paradisos gloriæ Dei huius: quia sibi decori nostras iudicauit ignominias.

IX. Cur myrrha vltimo præsentetur.



CONCIO
DE TRIVMPHANTI
ASSVMPTIONE ANGELORVM
REGINÆ VIRGINIS
ET MATRIS DEI MARIÆ.

THEMA.

Intrauit Iesus in quoddam castellum &c. Luc. 10.

SALVTATIO.



NEmo miretur, nec enim adeò magnum est, quod in diuinis Imperatricis Dominæq; magnæ Mariæ triumphis dum ipsos penetrat cælos, atque ad altissimam throni empirei sedem ascendit gloriosa, quòd omnes hodie videamus attonitos animoque suspensos, & ipsis Angelis interrogantibus: *Quæ est ista quæ ascendit?* nullus eis hominum sciat respondere, sacri ipsi taceant Euangelistæ, tantæ gloriæ consideratione velut extatici, vbi lucis diuinæ accipit Regina principatum. Certo quodam modo cælum amplius terræ tenetur in Assumptione Virginis Mariæ, quàm 1.
in ascensione filij: in hac etenim restitutio fuit ex iustitia, eo reuertente pignore, quod nobis fuerat inde transmissum: porrò in Virginis Assumptione, cùm ipsa pura esset creatura, totaque nostra, terræ noscitur hîc effusa liberalitas, quæ ipsum obligat cælum: atque ea de causa cælestes descendunt spiritus, celebrantibus eius in terris exequias Apostolis & Seraphinis, aliis cum lachrymis & planctu, aliis cum suauissimis gaudiis chorisque musicorum accinentibus. Sit mihi Deus, obsecro, subsidio, quo tantum verbis exprimam mysterium, vt non audax loquar de illa, quam supplex

Mariæ gloria in Assumptione inexplicabilis.

plex adoro: Vereor ne ad ardentissimos huius solis radios lingua mea repulsa comburatur; mihi quasi ex iustitia subueniat sol iustitiæ, quandoquidem in diuinæ Matris eius honorem me velim effundere atque per eius manus orationem offeramus diuinæ gratiæ impetratricem: *Aue Maria.*

Discursus I. *Adeò præclara sunt merita, quæ hodie præmium accipiunt, vt illi tantùm, quos visio Dei clarissima beatificat, aliquid eius intelligant eminentiæ: ad cuius significationem Ecclesia proponit Euangelium metaphoricum & mutuatum.*

I. Mariæ gloria in Assumptione inexplicabilis.

TAntis hodie præclara meritis ascendit Maria, tanta luce fulgida cælorum scandit altiora, tantoque cælestium spirituum pæana canentium sociata choro sursum extollitur, vt iudicauerit Rupertus Abbas, ne fortè diuino quasi suo lumine mundum obcœcaret, dum sibi persuadet ipsam esse lucem per essentiam; rectâ esse edocendũ: vnde cùm dixisset quòd illud verbum ex Canticis: *Electa vt sol* Virgini assumptæ foret dedicandum: *Quandò autem de hoc mundo assumpta atque ad æthereum thalamum translata es tunc tu & ex tunc electa vt sol*, adiungit: *Et quidem naturâ, non tu idem es, quod ille sol, sed nihilominus tanta es vt te honoret ipse sol, honore quo decet filios honorare parentes suos.* Non hoc de te credimus ô Dña, quod ipse sol sis, nequaquam, sed adeò soli similis, vt ipsi radij solis, tui sint filij, & velut Matrem ac solem solis te sol honoret: nàm adeò vicinam, vt est, Deo conspexit illam D. Bernard. quando ait: *Mira omnino vicinitas solis & mulieris.* Et si tanta sit huius gloria, quid miramur quod in terra verba deficiant, calami non sint, sed nec Euangelistarum, qui Virginis describant ingressum, & honoris quo recepta fuit amplitudinem: cuius relationem Deus nullis mortalium linguis fidit exarandam.

RVPERT. l.6. in Cant.

I. Maria sol non est, at solis mater.

D. BERN. Ser. de verbis Apocæ.

Pijssima fuit hæc & elegantissima D. Bernard. cogitatio, circa mysticum illum rubum in quo Deus velut in cathedra apparuit, ex qua Moysi mysterium suæ reuelaret Incarnationis; per quem ex constanti SS. Patrum opinione Virgo intelligitur Deipara, prout fusiùs exponit & probat Iudocus Coccius *L. Catholicæ veritatis.* D. Greg. Nyss. Theodor. Anciranus & Theophanes PP. Græci, Isichius Hierosolymit. Vt ergo Moyses ferüens erat animo pergit per ignẽ spinasque transiturus: porrò transi-

NYSS. Orat. in die Christi Natiuit.

THEOD. Hom 2. in nata. Saluat.

THEOPHA. Hymno in Annunt.

ISICH. Orat. 2. de S. Deipara.

transitus illi prohibetur, nisi prius pedum exuat calceamenta. *Solue calceamentum de pedibus tuis.* Non vulgare habeo hoc mysterium (inquit D. Bernard.) Rubus in quo ardet Deus seque manifestat, Maria est: venit Moyses prærogatiuas virtutum eius inspecturus, quas esset mundo publicaturus: sed hoc indicatur impossibile, cùm homo esset mortalis & terræ incola: quia verò ratio suadet vt viuat Dux futurus generalis populi Israel, saltem aliquam exhibeat verisimilitudinem, formamque moriendi, calceamenta reiiciat, hoc est mortalitatis deponat exuuias, quas calceamenta præfigurant. Audio D. Bernar. *Meritò admiraris Moyses sancte, & curiosiùs desideras intueri: verumtamen solue calceamenta de pedibus tuis, & inuolucra pone carnalium cogitationum si accedere concupiscis.* Ita namque similis est Maria Deo, vt sicut Deum nemo valet intueri vita comite: *Non videbit me homo & viuet*: sic Virginis, nemo potest magnitudinem virtutum donorumque salua salute contemplari.

Exod. 3. — II. Allegoria. — D. BERN. Ser. de Virg. Maria. — Exod. 33.

Nec hoc adeò multum est quòd beati tantùm quidquam in Maria contemplentur: cùm eius intuitu sublimiores illi Angeli cùm spiritus sint, tamen habeantur vt terrestres, illisque Deus eam auferat auctoritatem coram illa adstantibus, ne quis fortè credat, illos posse Mariæ collaterales adstare & coæquales. Indubitatũ est, in materia de Angelis, quòd Seraphini qui primores habentur primæ Hierarchiæ illuminationes à Deo immediatè recipiant: ipse suam illis exponit voluntatem, & de manu ad manum seu de vno ad alterum vsque ad Angelum vltimi ordinis, & de Angelo transit vsque ad hominem. Hoc asserto, supponit Doctor Albertus Magnus, quod paranymphus Gabriel legatus missus ad Virginem Mariam, illam non illuminauerit; nec quidquam aliud egerit, quàm suam illi proponere legationem; fuit autem hoc extra communem regulam & stylum ordinarium, quo Deus homines docet per Angelos velut per eis superiores. *Missio Angeli fuit intimationis, quòd ipsa deberet esse Mater Dei, ministerialis & exterior ad sensum delatio: vnde Angelus non fuit illuminator, sed illuminationis interioris exterior delator & reuelator*: Velut famulus nuntia deferens Domini sui: & hoc manifestè patet, cùm enim Virgo modum inquireret futuræ conceptionis: *Quomodo fiet istud?* non respondit illi Archangelus, sed remisit ad opus Spiritus S. *Spiritus S. superueniet in te:* & ait Albertus. *Vnde Angelus requisitus de modo, transmittit*

III. Gabriel Mariam non illuminauit. — ALBERT. in Mariale quis Missus fuerit. — Luc. 1.

ad Spiritum S. Ex quibus intelligimus eos esse famulos Virginisque Mariæ seruos.

IV. Euangeliũ hodiernum est mutuatum.

Hic est ille spiritus Ecclesiæ dum hodie metaphoricum cantat Euangelium, hoc mutuatum postulans ex historia duarum sororum Mariæ & Marthæ: quia finitum & limitatum per nomina cognoscitur determinata: infinitum autem non nisi per negationes: quia nulla dantur verba proxima & immediata; quæ illius respondeant explicationi. De Deo proloquimur: non est sol, non est Angelus &c. qua ratione Euangelista celebrabit Mariæ Virginis infinitatem, virtutum, & meritorum eius prærogatiuas? Ab illis recedendo in propria persona, atque in alienis exprimens prototypon.

V. Similitudo.

Vt vestis componatur Reginæ tantæ conueniens Maiestati, cùm nullus admittatur sartor, qui ex corporis accessu capiat mensuram, aduocatur de palatio pedissequa quædam primaria. Tales dixero fuisse Mariam & Martham Virginis Mariæ quasi filias honorarias; dicatur igitur: sicut Martha Christum exterioris domus recepit hospitio: sic Maria interioribus animæ suæ penetralibus: & viâ negationis: quod inter animam & corpus Mariæ nulla fuerit sicut inter ambas illas sorores carpenda diuisio, sed summa laudanda pax: cùm enim Maria quasdam haberet Deiformes proprietates, explicari debent terminis negatiuis & omnino nos abstrahendo velut à diuina superexcellentia.

VI. Alllegoria.

Prudentia Iosue Ducis generalis populi Israel in quodam apparuit edicto: dum enim exercitus procederet terræ promissionis capturus possessionem, præcepit populo proclamari, vt spatium relinqueretur medium duum millium passuum inter Arcam fœderis reliquumque populum: & præcepti sui hanc subiungit rationem. *Vt procul videre possitis.* (Iosue 8.) Hoc etenim modo diuina meliùs intelligimus si ea de longinquo consideremus. Detinebatur in vinculis iussu Herodis Princeps Apostolici collegij D. Petrus: mittitur illi de supernis Angelus, qui compedes soluat, carcerem aperiat, viamque sternat egredienti liberam. Accedit, iubetque Petro vestes assumere, liberumque educit de ergastulo: nihilominus Petrus Angelum minimè cognoscit: *Nesciebat, quia verum est quod fiebat per Angelum.* (Acto.12.) Cùm autem Angelus terga verteret & dispareret, Petrus ad se reuertitur sibique redditus recordatur hunc nuntium, & benefactorem suum, ciuem esse & magnatem cælestem. *Nunc scio verè, quia misit* Dñs

Dñs Angelum suum &c. Quis hoc capiat, quod splendoribus eius oculis tuis irradiantibus non eos aperias vt illum agnoscas, dum autem in tenebris noctisque relinqueris caligine quis sit intelligas? hoc est: *Vt procul videre possitis.* Intercapedo oportet vt sit, & ea quasi infinita: quia talis est ipsa dignitas qua gaudet, inter puras creaturas, & Matrem Dei creatoris Mariam Arcam testamenti, quando progreditur possessionem captura Regni sui optimè merita, atque reliquam populi totius vniuersitatem: vt autem non laboremus cominus quidquam contemplari in Maria, vt video, se D. Lucas multum elongat: & Ecclesia nobis præcipit, vt retrocedamus, vtiturque Euangelicâ historiâ vt diximus, mutuatâ: *Vt procul videre possitis* Hoc enim suo iure postulant insignes & heroicæ Mariæ virtutum donorumque prærogatiuæ.

Discursus II. *Martha ex charitate Christum excepit hospitio: nam vir eleemosynarius magnus est, etiam Deo collateralis adstans: agitur de eleemosyna, quam certo quodam modo Virgo contulit Redemptori.*

HOrtatur nos D. August. vt exercitia frequentemus charitatis Christianæ, cuius gratiâ præclaram profert sententiam. Notes obsecro ô homo, quòd dum opus exerces pietatis, teipsum extollas itaque sursum eleues, vt si domo tua egressus sis paruus, ad eam magnus reuertaris. *Charitate amplior domum redisti.* Modus hic loquendi non vulgaris est, illumque ex alio D. Ambros. capiemus: bini namque Ecclesiæ soles sibi manus dabunt familiares. Expendit Mediolanensis Præsul: quòd de Zacchæo tantum, beato illo Principe inter publicanos, qui Christum dignus fuit hospitio suscipere, dicatur & notetur in Euangelio, quod staturâ pusillus esset: res notatu digna: *Staturâ pusillus erat: quid sibi vult quòd nullius alterius staturã scriptura, nisi huius expresserit?* Quia etiã dum Samuel perrexit, vncturus in Regem

D.Aug. l.50.Homil. cio.28.

Luc. 19. D.AMBR. L.8.in Luc.

1.Reg 16.

I. Zacchæus ex eleemosyna fit altior.

gem

gem vnum de filiis Israel ne Eliab primogenitus & corporis statura vatis sibi lumina & voluntatem attraheret, illum præuenit Deus: *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius.* Non te demulceant nec corporis rapiant elegantiæ, sed virtutes allectent animarum. Cùm igitur hoc ita sit, cur modò dicit D. Lucas: *Staturâ pusillus erat?* Respondent ambo: quia quando Zacchæus arborem ascendit Dominum intuiturus accedentem, quem proprio non assequebatur visu, ob turbæ concurrentis multitudinem Christum sequentis, nondum promiserat nec fecerat quod postmodum pollicendo perfecit, dimidium bonorum suorum distribuendo pauperibus: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Vt autem omnibus constet quod hoc charitatis opere creuerit, & qui dignus Saluatoris habebatur ingressu & hospitio, se supra seipsum extulerit, ille qui ante in seipso staturam præferebat adeò exiguam: idcircò notatur quòd staturâ pusillus erat, minimus & humilis, nec se de terra in altum quamuis illustris, erigebat: nunc autem optimè: quando namque accedit aliquis pusillus & humilis, magnus fit & excelsus erogans eleemosynam. Dicatur animo pusillus & corpore, sed eo momento quo se in exercitiis extendit charitatis piisque ampliat operibus, extenditur quoque & ampliatur in statura; Et hoc tibi persuade, quod numquam de pusilla corporis statura mentio facta fuisset, si prius in eleemosynis fuisset, sicut postmodum, liberalis. Audite D. Ambros. vnico verbo: *Nondum promiserat cum ascenderet.* Idcirco dicitur: *Staturâ pusillus erat.* Confirmat hæc acumen D. Chrysologi: nam agens de eodem Zacchæo, asserit, quòd postmodum ab Apostolis vnctus fuerit in Episcopum. Insigne latet hîc mysterium, & reuelatum significat, quòd quicumq; domú mensamque suam Deo communicat, quem in illa omni charitatis officio hospitem excipit, eo modo Deus illi remuneret, vt de publicano extollat in Pontificem, de sedili negotiorum ad cathedram promoueat, & Ecclesiæ suæ tradat ei talēta: tanto quippe honore rependit eleemosynam. *Zacchæus Episcopali honore fultus à mensa publicani quæstus ad mensam Dominici corporis peruenire meruit.* Sacerdotem & Episcopum consecrat, eius se tradit manibus, nec illi satis est vt eum sibi socium sumat lateralem: sed præterea vt super SS. corpus suum & sanguinem plenam habeat potestatem. Et ex prædictis mentem capimus D. Augustin. *Charitate domum amplior*

Marginalia: 1. Reg. 16. — I. Zacchæus ex eleemosyna fit altior. — D. Aug. 50. Homil. 10. 29. — Luc. 19. D. Ambr. 8. in Luc. — II. Zacchæus vnctus fuit in Episcopum. — D. P. Chr. Ser. 54. — Luc. 6.

plior redisti. Punctum hoc eloquentissimè considerauit D. Ambr. in viro illo habente manũ aridam, quã Saluator noster sanitati restituit: quod autem illam extendere nequiuerit parcum significat & auarum: sicut enim elargitio extendit ampliatque subiectum: ita manus contracta & arida animæ staturam abbreuiat. Loquitur Ambr. *Sed & tu qui putas manum te habere & sanam, caue ne auaritiâ contrahatur, quin potiùs extende eam pro misericordia frequenter ad pauperes, pro hospitalitate ad peregrinum. Esto misericors, esto largus.* An non vides quantum extendat misericordia? *Extende eam pro misericordia.*

D. AMBR. Ser. 8.

III. Centurio ob elemosynam seruatus.

Tertio loco prodibat Centurio præsidens quinquaginta militibus igne cælesti duobus aliis consumptis, qui præcedentes conati fuerant vatem apprehendere Eliam ex iussu Regis Ochoziæ, quem tamen eiusque milites flammæ non tetigerunt vllumve ei damnum intulerunt, quinimò Prophetæ Deus iniunxit vt continuò se illis comitem præberet, vt fecit, factus illis collateralis. *Descende cum eis ne timeas.* Adstruit Rupertus hunc quinquagenarium à Deo postmodum assumptum in Prophetam, quem dicunt esse Abdiam. Sed quomodo? quòd miles sanguinisque humani effusor ad gratiam gradumque ascendat Propheticum? Vtique: si namque confirmemus quis fuerit; quæque eius studia, omnis cessat admiratio: fuit ille, qui, prout SS. litteris credimus, feruente persecutione sub impia Regina Iezabel Dei prophetarum inimica, cum Abdias regię domus Oeconomũ ageret, centum ex illis abscondit, pauitque lautius: donec commota Reginæ bilis iraque deferueret. Ratio igitur suadet, vt manus diuina remuneret manum adeò liberalem; & humana crescat atque augeatur eleemosynaria; quia verò in mundo ad altiorem nequit dignitatis gradum promoueri, quàm vt illi Regij palatij cura mandetur, eum tamẽ altiùs extollat, suumque creet in Ecclesia & synagoga Ducem antesignanum: *Igitur quia centum Prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, & de Duce exercitus Dux Ecclesiæ factus est.*

4. Reg. 1.

3. Reg. 18.

RVPERT. in Prologo in Abdiam.

Hinc D. Chrysosto. tam præclara veraque dixit eleemosynæ præconia: nec non de beneficiis quæ à Deo recipit qui hoc in se pignus diuinæ sentit gratiæ. *Hæc maior est gratia, quàm mortuos suscitare.* Ne quis autem opinaretur hoc semel tantùm esse dictum & inaduertenter, idem repetit: *Multò namque maius est quàm in nomine Iesu mortuos suscitare, esurientem pascere Christum.* Rationem eius atten-

D. CHR. Ho. 36. ad Popu.

VI. Eleemosyna præstat miraculis. Nota.

atttendite: *Nam hîc quidem tu de Christo bene mereris: illic autem ipse de te. At merces est in bene gerendo, non in bene patiendo: hic enim in signis, inquam, ipse Deo debet: in eleemosyna verò Deum habet debitorem.* O raram veramque sententiam! Miracula patrare, multiplicare mirabilia, sicut à Deo prouenit, si hanc tibi gratiã concedat, huius gratiâ te Deo debitorem agnosce: porrò in dando eleemosynam Deum facis tibi debitorem, liberoque potest ore dicere eleemosynarius: Domine: satisfacito mihi, cùm sim ex charitatis erga proximum exercitio adeò liberalis: teipsum enim debitorem, & hominem tuum constituisti esse creditorem. Ascendit D. Petrus cœnaculum, vbi corpus Tabithæ iacebat exanime & quamprimum pauperes cadauer circumdantes Principi Ecclesiæ vestimenta demonstrarunt atque benefactricis suæ largissimas eleemosynas, nullâ interpositâ morâ in genua procumbit, & vix Deum deprecatus ad pheretrum conuersus ait: *Tabitha surge.* Dicito nobis Apostole sanctissime, numquid expediret instantes primum Deo litare preces, imò Deum deprecari, vt animæ regressum in corpus præcipiat? Nequaquam: quæ ratio? Deus hîc debitor est. *Hic habet Deum debitorem.* Et ostendendo illi litteras obligatorias, ex quibus debitor erat, nempe: *Ostendebant tunicas & vestes quas faciebat illis Dorcas:* Quasi iam certam habebant solutionis securitatem.

Act. 9.

V. Eleemosyna est scedula obligatoria.

Verum enim verò verbum *excepit*, & *in domum suam* ex Euangelio nos cogit duabus aliquantulum circumstantiis, inhærere quas regalis hæc virtus vt talis sit habere debet comites. Prima est: vt illam per teipsum exhibeas, ipse manibus tuis eroges eleemosynam: nonnullos etenim pudet immediatos esse eleemosynæ largitores. Alia vt fiat ex propriis facultatibus non iniustè acquisitis. Primam expendamus: *Excepit.* Fiat propria tua manu. Scripsit D. Ambros. litteras Imperatori Gratiano Augusto, quibus illi gratias refert insignes ob receptam ab eo propria manu scriptam epistolam: quibus hæc elegantissima annectit verba: *Scripsisti tua, totam epistolam manu, vt ipsi apices fidem tuam pietatemq́; loquerentur: sic Abraham sua manu quondam vitulum occidit, vt hospitibus epulantibus ministraret: nec in ministerio religioso aliorum adiumẽta quæsiuit, sed ille primatus aut Dño & Angelis aut Dño in Angelis deferebat: tu verò Imperator dignatione Regali honoras infimum Sacerdotem: sed Domino defertur, cùm seruulus honoratur.* Hoc ipsum explicemus eadem historia quam D.

VI. Duæ conditiones eleemosynæ.

I. Vt propria fiat manu.

D. AMBR. *Epist. 26.*

VII. De hoc laudatur Gratianus Imperator & Abrahã.

Chrysostom. expendit. Admirare sollicitudinem sedulamque curam quâ Patriarcha sanctissimus visis ac receptis hospitibus currit ad armentum, tollit inde pinguissimum vitulum: mulier licèt nonagenaria, pinsit coquitque panem. *Cur mulieri hoc præcepit, cùm esset tam prouectæ ætatis?* Respondet: vt instruat moneatque nos quatenus similia charitatis opera nostris non autem alienis manibus faciamus.

D. CHRYS. Hom. 41. in Gen.

Omittamus hîc Angelos ad mensam recumbentes illis Abraham seruiente: & ad ipsum Abraham accedamus dum dispensatorem domus suæ Eliezer mittit in Mesopotamiam filio suo Isaac sponsam quæsiturum: multa namque nobis hîc occurrunt consideranda. Quæro cur nullum ex tot quot alebat, seruum huic operi destinet, peregrinos aduenas lautiùs excipiendi: matrimonium autem filij sui, posteritatis suæ fulcri, de felici cuius electione in mulierem filio suo & sociam, non minima pars solatij sui dependebat (prægrandi namque parentes solatio recreantur dum filios suos ad gradum gratulantur altiorem promotos, nec à parentum suorum nobilitate degeneres) familiæ suæ seruo committat? Quia cùm hoc negotium esset temporale, sollicitudo sufficit aliena, sed ad opus meræ charitatis & eleemosynæ, manus aptanda est propria: cùm hoc autem adeò rarum sit in mundo vt diuites & magnates propriis ministrent manibus pauperibus, dignis idcirco laudibus extollit D. Chrysost. manus Abrahæ, & D. Ambros. Imperatoris. Ita congruè prudenterque notauit D. Petr. Damian. *Quoniam Abraham, vt humanitatem exhiberet hospitibus, non hoc Agar ancillæ præcepit, non seruis iniunxit, non hoc quibuslibet domus suæ vernaculis imperauit, sed ipse per se potissimùm, & vxorem suam officiũ pietatis impleuit.*

Gen. 24.

D. P. DAM. L. 7. Ep. 14.

VIII. Similiter & Imperatoris vxor.

Hoc etiam addit: quòd vxor Imperatoris Theodosij piissima, cibum ipsa porrigeret pauperibus, illis ad mensam ministraret, vasa aliamq; elueret supellectilem: stupentibus autem famulis, ad actus adeò humiles, & indignos (eorum sed fallaci iudicio) dignitate ac gradu Imperiali, prudentissimè respondit. *Aurum distribuere, opus Imperij est, ego autem pro ipso Imperio hoc opus Deo offero, bona mihi omnia conferenti.* Beneficia cõferre, dona distribuere, liberalem esse, præstita rependere obsequia proprium est Imperatorum studium: & ego quatenus Theodosius hæc possit munificentiæ magnifica implere opera, satago Deum habere propritium: à quo bona cuncta procedunt: nec aliud iudico medium magis expe-

expediens, quàm si illi in pauperibus meis manibus Imperatrix deseruiam : quòd si ductum exercitus, ciuitatum protectionem Reges suis possint commendare subiectis : porrò eleemosynarum distributio ipsorum impleatur manibus, si suas velint Monarchias perpetuas esse, regnaque semper tuta conseruare. Quantum noui, alludit piissima Imperatrix ad thronum illum Salomonis permagnificum, in quo residens suam ostentabat magnificentiam, de quo sic testem habeo S. Scripturam. *Non est factum tale opus in vniuersis Regnis. Duæ manus hinc atque inde tenentes sedile*, & quasi Rex sapiẽtissimus interrogatus: quis fulcrum est & huius columna principatus? quis authoritatem Regi tribuit? quis subditorum animos ad honorem mouet & reuerentiam? quis sustinet respublicas? quis munit ciuitates? ipse conuersus ad thronum respondet Salomon : illæ manus, atque per eas in pauperes proma distributio.

D P. Dam. L. 7. Ep. 14.

VIII. Similiter & Imperatoris vxor.

3. Reg. 10.

IX. Eleemosyna conseruat regna.

Promouet hunc conceptum Chrysolog. in cæco, quem turbæ coram Christo statuentes, obnixè eum rogabant, vt si placeret, *Tangeret eum*, vel solo digito. Pro instructione tua, respondet D. Chrysolog. diuinam attende pietatem, & breuem habe conceptum largissimæ illius misericordiæ : an instatis humiles vt cæcum tangat? Nescit tam exigua præbere pauperi, totam illi manum exporriget, & cum ipsa, eleemosyna defluet illuminationis : etenim tanti facit indigentem, vt propria manu concedat illi quam desiderat salutem : quo te doceat propria tua manu idem exercere. *Illi rogabant vt tangeret eum: sed Christus qui horrere nescit pauperem, pauperem scit amare : totam dedit pauperi manum.* Quocirca nõ exilis tribuitur Marthæ laus quòd ipsa nulla adiutrice, seruitio dapibusque incubuerit Saluatoris : dicaturque ad eius commendationem: *Martha excepit illum.*

Marc. 8.

D. P. Chr. Ser. 176.

Secunda circumstantia nec minoris momenti ea est, vt fiat *Ex propriis*: quam nobis indicat illud: *In domum suam.* Profert D. Anastas. Episc. Nicen. in quæstionibus suis super S. Scripturam nonnulla verba quæ scripsit D. Isidorus Eusebio ædificanti Ecclesiam, at egenorum sumptibus, notatu profectò digna. *Extruis (vt aiunt) in Pelusio Ecclesiam, ædificiis quidem & molitionibus præclaram : malam autem studiis, iniuriisq́; & contumeliis, pauperumq́; oppressionibus & sumptibus : quod quidem nihil est aliud, quàm ædificare Sion in sanguinibus. Non opus habet Deus sacrificio ex alienis, sed id abo-*

2. Vt fiat ex propriis.

Anast. Nice. q. 11. in Script. To. 1. Biblioth. PP.

abominatur, tanquam canem qui sacrificatur. Hoc quidem ædificium humanis non diuinis placet oculis, floccique facit hoc Deus: quandoquidem quod illi impendis, sanguis magis sit egenorum, quos opprimis iniustè, quàm lapides de fodinis eruti: structura hæc magis ex conuitiis, calumniis, fraudibus exsurgit & iniustitiis, quàm calce & arena: tantum abest vt Deo acceptum sit hoc sacrificium, quinimò illi abominatio est: altare etenim impendiis erectum alienis, alienum est ab eo vt ara sit in qua Patri omnipotenti filius offeratur omnipotens: in illos seuerus inuehitur vates Michæas: quos dicit *Ædificare Sion in sanguinibus:* hoc est templum impendio miserorum: & vnico verbo D. Pet. Chrysolog. *Qui de fraude Deo offert, crimina cumulat, non emundat.* Adeò peruersa est ex alienis raptisque eleemosyna: vt sicut ex propriis culpas eluit, ita facta ex iniustis peccata multiplicat, & accumulat: & quæ Deum deberet datori conciliare, ipsum grauiùs irritat & offendit. Quid hîc D. Augustin.? *Sed talis esse debet ipsa misericordia, fratres, quæ suscipiatur, non quæ repellatur, quæque peccata purget, non quæ animam grauet: de bono, de iusto labore, de propria facultate, non de pauperum egestate.* Finis eleemosynæ hic est, vt à Deo recipiatur, non repellatur: vt purificet animamque subleuet, non opprimat, non grauet: illud effectus est eleemosynæ ex propriis: hoc ex alienis. Martha virtutem hanc colebat studiosissimè, quocirca Christus illi rependit, dum se eius præstat hospitem, ab eaque in domum eius excipi non dedignatur.

X. Deo execrabilis est eleemosyna ex alienis.

Mich. 3.

D. P. Chr. Ser. 54.

D. Aug. l. 50. Homil. Hom. 47.

Verumtamen quæ comparatio huius hospitalitatis cum ea quâ Virgo purissima Deum excepit, suaque illi viscera in domum consecrauit omni exceptione dignissimam? *Domus pudici pectoris Templum repente fit Dei;* cuius deinde cor fieret Deo reclinatorium amantissimum; dicamus autem vno verbo: tales fuerunt illi facultates, vt certo quodam modo misericordiam ipsi filio Dei præstiterit. Quærit Theologiæ Raphel tutissimus: *Vtrum misericordia sit maxima virtutum,* ceterisque palmam eripiat? Respondet: si in se consideretur, talis est: quia illi competit miseriis subuenire, defectus reparare, supplere quæ desunt ex eo quod illi superabundat: proinde sicut illud proprium est superiori, ita perfectè iusteque inuenitur in Deo, in quo absoluta commendatur, quam habet, ab aliis indepêdentia: *Quoniam bonorum meorum non eges,* &

XI. Maria cælo dignior duplici ratione.

D. Bern. Ser. 1. de Assumpt.

D. Thom. 2. 2. q. 30. art. 4.

Ps 15.

XI. Maria cælo dignior duplici ratione.

& patet quàm dependentes sint omnes creaturæ à diuinis eius manibus. Quis ergo in pura creatura audebit asserere, quòd ipsa Deo præstiterit misericordiam? Quænam meritorum excellentia? quænam priuilegiorum altitudo? & hoc tamen ita verum adstruitur, vt D. Bernar. locum conferens, in quo Virgo Deipara recepit Deum de cælo descendentem, cum illo, quo Deus Virginem Matrem honorauit ad sidera tendentem gloriâ decoratam, hæc affirmet: *Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo filium Dei Maria suscepit: nec in cælis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimauit.* Et dignior multò fuit ille ad quem Deum Maria extulit: cùm enim locus vnus altero sit eminentior duabus de causis: vel propter superficiem quâ circumdatur, vt docet Philosophus, vel propter vicinitatem quam habet: videamus an non ambabus de causis, & vtroque respectu cælo dignior sit venter virginalis: quia cælum empireum corpus est cæleste, in quo beati beatifica Dei fruuntur visione, porrò illibata Virginis Mariæ viscera locus fuerunt in quo anima Christi beata ab instanti suæ creationis fruebatur gaudebatque diuinâ essentiâ: nam idcirco cecinit

D. Bern. Ser. 1. de Assumpt.

D. Thom. 2. 2. q. 30. art. 4.

Ps. 15.

Psaltes Regius: *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum*: Tellurem concessit mortalibus in habitaculũ, cælũ autem Angelis: porrò cælum cælorum, nempe Mariam sibi soli seruauit ad inhabitandum. Ratione vicinitatis etiam præcellit, hîc enim Virgo filio adstat à dextris, vt illam conspexit Propheta. *Adstitit Regina à dextris tuis.* Et hic illum in seipsa continuit, in corde suo, aula viscerum suorum, ex sua genitum substantia: appellemus igitur eam: misericordiam Mariæ erga Deum ex dignatione diuina; titulusque hic illi dedicetur. *Mulier quædam excepit illum in domum suam.* Ps. 113. Ps. 44.

Discursus III. *Laudabile erat Marthæ exercitium: sed illud Mariæ præfertur, quæ vtique meliorem partem elegit, ambas vitas, actiuam & contemplatiuam in gradu heroico in Virgine Maria suspicimus.*

V*Num est necessarium.* Respondet Saluator noster querimoniis Marthæ eò quòd à sorore nõ adiuuaretur; quodque ipsa vt prudentior optimam elegisset partem, nempe vacare Deo, studium diuinæ eius conditioni conuenientius, quamuis

in

in humana conditione ſecundum habeat locum. Nouum videbatur D. Ambroſio Doctori Eccleſiæ quod Noë egreſſus de Arca plantaſſet vineam priùs quàm alia eaque multa hominis ſuſtentationi neceſſaria. *Quid eſt quod iuſtus primum vineam plantat, & non aut triticum aut hordeum?* Seminet triticum aliaſque plantas;ad quid vinum, cum abſque eo vitam humanam quis poſſit tranſigere: vt enim Eccleſiaſticus: *Initium vitæ hominis aqua & panis.* Reſpondet D. Ambroſ. *Quia prius quæ voluptuaria quàm quæ neceſſaria ſunt, requirit.* Deliciis ſtuduit non neceſſitati ſatisfacere: cumque vitis non niſi delicias ſapiat, hinc originem traxit filij Adam conſuetudo, effectu perſonæ conformi, quòd ex tali electione ſe inebriaret, & ſolus qui talis eſt, temporale & terreſtre ſpirituali diuinoque anteponit. Glanculum aufugit Iacob duobus ſuis vxoribus Rachele & Lia comitibus ex domo ſoceri ſui Laban ipſo fugam ignorante, nec petita à Laban paterna benedictione. Ingreſſa eſt Rachel patris oratorium ſecumque nonnullos abſtulit Deos: non quòd mulier adeò ſancta illis aliquam ineſſe crederet diuinitatem, ſed ob rationem in antecedenti concione productam. Excandeſcit vltra

D.AMBR. l. de Noe & Arca c.24.

Eccli 29.

I. Noë malo omine primo vineam plantat.

Gen. 31.

modum furto cognito Laban, generum furens inſequitur, ſarcinas & vaſa diſſoluit, idola ſua minimè inuenit:nec mirum: Rachel enim illis ſuperinſidebat, quæ nec patri tranſeunti aſſurgens debitam exhibuit reuerentiam; quinimò ne hoc faceret muliebrem quandam protulit indiſpoſitionem & excuſationem. D. Ambroſ. factum hoc Rachelis admiratur. Quid hoc ô Domina ingredienti Patri, cui debes reuerentiam, num ſedes? Reuerentia cultuſque quem natura in corde gignit geniti, nempe vt genitori ſeruiat, terram oſculando, quam pedes eius calcarunt vbinam eſt?cur non ſeruatur?Quieta ſedeat illa, reſpondet D. Ambroſ. contra parenti debitum non peccat obſequium; non aſſurgat tranſeunti: Rachel idola abſcondendo idololatriæ impediebat cultum: & vbi cauſa agitur Dei, ſit oportet aliquis eius propugnator, licèt filia, quę ſuperiorē obtineat locū quam pater Deum offendens, quia primo loco ſtatuendus eſt Deus, prior Deus eſt, quàm parentes: & vbi pater Deo debitam non ſeruat reuerentiam, meretur vt eandē illi deneget detrahatque filia. Ipsâ Ambroſianâ eloquētiâ nihil iucūdius. *Nemo credat paternæ pietatis læſam eſſe reuerētiam, quod ſtante patre ſedit: quoniam ſcriptum*

II. Rachel iuſtè patri idololatræ honorem non ſeruat.

D.AMBR. l. 2. de Iacob & vita beata c.4.

ſcriptum eſt, qui plus diligit patrem aut matrem quàm me, non eſt me dignus: vbi cauſa agebatur religionis, fides debuit habere ſedem iudicij, & quaſi rea ſtare perfidia. Ex hoc loco veteris teſtamenti, ſolutionem alterius ex nouo intelligo. Præcipit generis noſtri Redemptor adoleſcenti: *Sequere me*: cui ille: nihil mihi Domine gratius: at: *Permitte mihi primum ire & ſepelire patrem meum.* q. d. meô iudiciô, Domine, pater meus vir eſt capularis, mortique proximus: hanc mihi concede licentiam, vt mortuo claudam oculos, & ego vt filius optimè educatus vltimum illi nequaquam ſubtraham pietatis obſequium, honoremque præbeam extremum ſepulturæ: & nullâ aliâ interpoſitâ morâ, vel obiecto impedimento, feſtinus te ſequar. Nemo petitionem vt iniuſtam arguat & imprudentem: filium agit illi gratum à quo recepit eſſentiam: ſed Chriſti reſponſum audiamus. *Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Dimitte patrem & ſequere me. D. Aug. lux Eccleſiæ mihi lucem miniſtrat. Explicat hanc adferẽs hiſtoriam verba illa Cantici: *Ordinauit in me charitatẽ*, vel vt ipſe legit: *Ordinate de imperatiuo.* Quid per hoc innuit, ordina charitatem, amori regulas præfige? An fortè nos monet vt gradatim has aſcendamus obligationes & debita, ac principaliori primò ſatisfaciamus, & minùs principale ſecundo loco habeamus? ſic eſt. Ita namque ait: *Quid eſt ordinate in me charitatem? facite gradus & cuique quod debetur reſtituite: nolite anteriora poſterioribus ſubdere. Amate parentes ſed præponite Deum parentibus. Attendite matrem Machabæorum: filij, inquit, neſcio, quomodo apparuiſtis in ventre, concipere vos potui, formare vos non potui, illum ergo audite, illum mihi præponite.* Parentes colite carnales & humanos, modò non repugnet illi quod ſpirituali & diuino debetis. Exemplum ſequimini Matris Machæorum, quæ à tyranno & Rege Antiocho inſtanter rogata, vt filio omnium minorenni, cruciatibus iam examinando ipſa matre ſpectante, cultum perſuaderet idololatriæ, ſpopondit ſe facturam: atque ad filium conuerſa ſic ait: *Fili mi miſerere mei*, miſerere matris, miſerere canitiei meæ, meas abſterge lachrymas, quietam mihi tribue ſenectutem: & hoc feceris, ſi mei licèt matris oblitus, Deum eiuſque cultum mihi præpoſueris. Hoc eſt. *Ordinate in me charitatem.* Et in præcedente Sermone dixerat idem D. Aug. quòd licèt pietatem ſpiraret patrem ſepulchro recondere: verumtamen Dei mandatum huic eſſe præponendum. *Pium erat quod volebat facere, ſed docuit*

[Margin notes:]
Matth. 8.
III. Deus parentibus anteponendus.
Cant. 1.
D. AVG. Ser. 7. de verb. Dom.
IV. Ita filium docuit Mater Machabæorum.
2. Mach. 7.
D. AVG. Serm. 6. de verb. Dom.

docuit Magister, quid debuisset præponere D. Pet. Chrysol. aureo planè lepôre defectum arguit in illo verbo *Primùm. Permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum.* Et ait: *Hoc ei primum non debuit esse, sed secundum: terrenus pater postponendus est patri cælesti.* Deo primùm satisfaciendum.

D. Pet. Chrys. Ser. 19.

His adiunge non minùs grauia D. Ambrosij verba, perpendentis Saluatoris nostri edictum apud D. Lucam: *Siquis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem &c. Non potest meus esse discipulus.* Difficultatem mouet. *Tu Domine dixisti: honora patrem & matrem, & quomodo sibi conueniunt illa duo præcepta? Non possum saluo pietatis iure odisse patrem, cui debeo quod creatus sum: nec matrem longo decem mensium fastidio pij fetus onera portantem* &c. Iam, inquit, intelligo quid tibi sit agendum: vt ab illis velut ab inimicis fugias, quando te à diuino retrahunt famulatu: & si non dicito mihi: quot filios superatis viriliter tormentis, despectis equuleis, derisis scorpionibus, spretis ignibus, materna pectora reddiderunt à fide apostatas, & in fidei agone deficientes muliebribus blandimentis emollitos? Quoties non vxor maritum in stadio certantem charissima proponens tenellorum pignora puerorum labefactauit, & iam martyrij coronæ proximum in turpissimam traxit idololatriam? Ambrosium testem reproduco. *Quamplurimos à martyrij consummatione sæpe reuocauit? Denique sæpe cognouimus, quoniam quem formidolosa carnificum pompa non terruit, nec diuisi lateris sulcus infregit, nec ardentes laminæ à triumphalis fortitudinis rigore abducere potuerunt: eum inter sacra iam præmia constitutum vxor teneræ sobolis oblatione, miserabilis vnius lachrymæ miseratione decepit.*

Luc. 14. D. Ambr. Ser. 15. in Psal. 118. ad hoc: Iniquos odio habui.

Ex prædictis colligo cur tam citò latronem Christus exaudierit: quia nimirum Saluatoris honori priùs consuluerat: *Hic nihil mali gessit*, quàm sibi; & corporis dolorum quasi oblitus, propriam quæsierat animæ salutem, peruersus autem latro fecit omnino contrarium. Libera temetipsum & nos ex his, quos patimur, eripe cruciatibus. Explicat hoc D. Maximus: *Potuit enim, nisi de futuris amplius cogitasset, qui in Christum semel crediderat, de præsenti magis supplicio deprecari.* Proinde cõspicimus, quòd Christus infirmis ad illum adductis primò de medela animabus prouiderit, illas iustificans, quàm corporibus illa sanitati rogatæ restituens: vt patet in paralytico, cui dixit: *Fili, remittũtur tibi peccata tua.* Quid hoc Domine, nullus hîc à te remissionem criminum illius expostu-

Luc. 23.

D. Max. Ser. de S. Latrone.

Matth. 9.

postu-

V. Christus vt Deus animas primò, deinde corpora sanat.

postulat; bene quidem membrorum debilium soliditatem. Ex illo ordire, & alterum postmodum adiunges. Nequaquam ita faciendum: auctoritas enim eius periclitabatur, & quis facile potuisset diuinitatem eius in dubium reuocare, si notasset illum corpori priùs quàm animæ subuenire, iudicans non esse Deo propriam curationem, cui proprium est intendere principaliori. Conceptum hunc insignem debeo Victori Antiocheno. *Etenim si Dominus primùm exterius paralyticum sanasset, atque deinde illi peccata condonasset, rati fuissent, primum quidem fuisse præstitum, secundum verò manere incertum.* Signum incertum, & ambiguum diuinitatis indicium fuisset, si corporis medelam animæ prætulisset: quocirca intelligant quòd primò animam iustificet, & continuò corpus instauret: quo nulli remanet dubium, sed potiùs vt cancellatis manibus miraculi magnitudine conuicti fateantur omnes Christum esse Deum, dum eo curat ordine infirmos quo solus Deus curare consueuit.

VICTOR ANTIOCH. c.2. ad c.5. Marc. To.1. Bibl.PP.

Luc.23.

D.MAX. Ser.de S.Latrone.

Enarrat D.Matthæus potestatem à Christo traditam Apostolis suis super quoslibet languores, cunctaque dæmonia, *Dedit illis potestatem super omnia dæmonia.* Caietan. argumentum hîc profert quo prædicta mirum in modum elucidantur. *Hîc non refertur electio, & institutio duodecim Apostolorum.* Notat subtilissimus Caietan. non enim locus hic tempusque huic electioni opportunum: vnde autem hoc colligis? Respondeo: quia illos tunc ad tantam non elegit gloriam: quia tribuebat eis potestatem curandi infirmos, expellendi dæmones, suscitandi mortuos: sicut autem hæc omnia extrinseca sunt homini, & multi peruersi simili præfulserunt auctoritate, non miscet temporali spirituale, tantique momenti: quamobrem dum Apostolos eligit, huic tantùm vt primario attendit, atque in electione sua terminis non vtitur verborum, quæ primariò & immediatè corpora concernunt, sed animæ subseruiunt. Hoc agnoscimus in Ecclesiæ Dei Principe priuilegium, quod vmbrâ suâ variis potenter mederetur languoribus: ita vt illo per plateas transeunte publicè in grabatis infirmos exponerent: *Vt veniente Petro saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum.* Quis hoc non miretur quòd Deus rei tantillæ, qualis est vmbra, (quam describit D. August. *Inanis est quædam species vacuæ imaginis*) alligauerit potestatem tot tantaque faciendi prodigia? Hoc mihi videtur à nonnullis responderi: cùm Petrus esset

Matth.9.

Matth.10.

CAIETAN.

Act. 6.

VI. Pulchra consideratio de vmbra Petri.

D. AVG. Serm.28. de Sanctis.

Christi Vicarius, Pastor mundi totius vniuersalis tam ampla atque extenta iurisdictione Dominus, caputq; Ecclesiæ, noluit Christus vt lingua manusque tanti Principis negotiis occuparetur adeò terrenis, corporali scilicet salute: quòd si verò in illa atque circa illam patrandum sit aliquod miraculi beneficium, sola huic intendat vmbra, hæc enim sufficit, imò plus satis efficax est. Distribuendos habet cælestis gloriæ thesauros, cura verò terrenorum accessoria est, quæ turbat principale, eoque modo distrahit, vt quamuis talia sint, veluti quibus occupabatur Martha, necesse tamen sit vt qui illis distenditur & turbatur, quatenus intendat, audiatque Deum, bis eum Deus compellet, Martha, Martha.

VII. Martha bis vocatur ob curam temporalem.

Hoc singulariter in Euangelio notat D. Aug. à Christo Domino repetitum Martha, Martha. Nec mirum, cum illi dicat: *Sollicita es, & turbaris erga plurima.* Quandoquidem anima tali sollicitudine & turbatione inquieta opus habeat semel ac bis appellari. Duo hîc ex D. Augustin. consideremus: Repetitio nominis Martha, Martha, vel indicium est amoris, quo Christus illi vt hospitæ suæ bene afficiebatur, vel signum quo vrget vt attentiùs illum & quidem solum audiat loquentem: vnde duplicat nomen Martha, Martha. *Est indicium dilectionis: aut fortè mouendæ attentionis vt audiret attentiùs, bis vocata est Martha.* Ex præfatis doctrinam infert salutarem D. Bernard. curam habentibus animarum, aliorumque directionem: ne vnquam ita vacent aliis vt sui sint immemores: adducit autem Iudam detrahentem Magdalenæ Christum Saluatorem pretioso balsamo vngenti. *Vt quid perditio ista vnguenti facta est?* Iudicauit enim auarus proditor incassum frustraque tantam profundi vnguenti copiam in caput pedesque Redemptoris. Quoties audio (inquit D. Bernard.) auribus meis obmurmurari: vt quid Abbas cùm sis & Prælatus, cuius sollicitudini commissæ sunt oues, subditique regendi, tantus ille ad interiora secessus, & familiaris in oratione cum Deo collocutio? O Iudæ progenies, & genimina proditoris, qui crumenæ suæ optabat omnia, animæ salutis quod erat principale, oblitus: bonum non censeo lucrum, si mei iacturam faciam vt saluti prospiciam aliorum. Numquid non Christi suffragium est & iudicium: *Quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, seipsum autem perdat?* Concludit igitur Doctor mellifluus: *Sed non bonum mercatum mihi est, etiamsi vniuersum mundum lucrer meipsum perdere, & detrimentum mei facere.*

D. Avg. Ser. 26. de verbis Domini.

Marc. 14.

VIII. Prælati etiam sibi vacent, non autem semper subditis.

Luc. 9.

D. Bern. Serm. 12. in Cant.

re. Subiungit autem hanc fuisse fatuarum quinque virginum petitionem planè imprudentem, qua à prudentibus oleum sibi postulabant erogari, quibus lampades iam nunc extinguendæ fouerentur. *Date nobis de oleo vestro:* cùm ipsæ illo indigerent: vnde metuendum ne dispertitum & his & illis non sufficeret, & consequenter nec hæ nec illę saluarētur. *Stulta petitio: vix iustus saluabitur, & vix etiam sanctis iustitia sua oleum sufficit ad salutem: quantò minùs sibi & proximis.* O auream verè sententiam. Finem imponat tanto præceptore dignus discipulus Gillebert. Abb. *Amor occupationum externarum impatiēs est, suis satis habens inseruire negotiis.* Explico: qui diligit Deum occupationibus sæculi & exterioribus occupatus, viuit impatiens, nulla sedatus quiete, & Magdalenæ contemplatur quietudinem ad pedes Domini, eius tranquillitatem, & turbationem Marthæ, cùm secundum exteriorem hominem etiam Christo famulatum exhibeat. *Maria ad Domini sedens pedes id ipsum tenebat: turbatur Martha circa plurima. In multis turbatio. Porrò vnum est necessarium: in pace in idipsum dormiam & requiescam.* Verum quidem fateor duas has vitas seu bina ministeria Deo tantopere accepta, esse copulanda, vt hîc videbimus.

Matth. 25.

D. BERN. *Serm. de decem Virginibus.*

GILLEB. *Ser. XI. in Cant.*

Vidit, D. Ioann. quòd dum tertius Angelus ex septem (ad cuius mysticum tumultum magna apperuerunt in cælo prodigia) tubâ caneret, *Cecidit de cælo stella magna, ardens tanquam facula,* & terræ proxima appropinquabat. Quis talem vidit in cælis stellam fixam, descendere in terram? & quidem cadētem: cadere namque naturalem significat inclinationem & grauitatem ad descensum: quis te ô lucidissimum astrū de hoc splendidissima dissoluit rota? quis te de clarissima illa expulit regione, & ad tenebrosam nostram damnauit habitationem? Respondet D. Ambros. Stellam designare viros Apostolicos, qui vt contemplationi dediti, ciues habentur cælestis gloriæ. *Conuersatio nostra in cælis est.* Fixi firmatique in Deo: verumtamen vt eorum erat muneris homines instruere; perspecta horum necessitate, se deorsum in ima præcipitant, nec tamen descensus hic stellæ adimit splendorem: Moyses etenim tantô in vultu splendore radiabat, Deo cohabitans in monte, quantô cum Israelitis in valle conuersatus: & aliquando præclariora sunt merita vitæ insudantis actiuæ, qui ex charitate seu obligatione proximo succurrit, quàm vacantis contēplationi, qui suauissimè diuinis fruitur oblectamentis. Ne verba D. Ambrosij, silentio prætereamus, *Significat stella Prophetas; sed*

Apoc. 8.
IX.
Vtraque vita coniungenda.

D. AMBR. *in Apoc. 8.*

ſed quærendum nobis eſt, quomodo de cælo in terram decidiſſe dicatur. Reſpondet: *Sancti in cælo quodammodo conſcendunt, cùm eos amor diuinus ad cæleſtia contemplanda eleuat: cadunt in terram, cùm eos amor proximorum ad ima retrahit, vt prædicatione ſua deuiantes ad viam veritatis reducant.* Amore Dei feruent viri iuſti dum in altiora ſe attollunt, nec non cùm ad ima ſe demittunt. Amor illos ad ſidera ſubleuat, amor ad terræ viſcera deprimit: per contemplationis gratiam ad Deum aſcendunt: at per actionis charitatiuæ exercitium ad fratres ſuos deſcendūt: & vtrobiq; erant Angeli & qui per ſcalam deſcendebant, ad cuius infimum gradum homo dormiebat, & qui per eandem aſcendebant vſque ad Deum ſummitati eius innixum & vigilantem. *Gen. 28.*

X. Maria cypreſſus & oliua.

Sola Domina noſtra Maria ipſa fuit, in qua Deus coniunxit deditque vitam duabus his vitis: ex contemplatiua ſurſum agebatur in Deum extatica: *Chariſſima in delicijs:* per actiuam Deo ſeruiuit hoſpitioque excepit peregrinum: nec enim in Virgine conqueri poteſt Martha, id eſt corpus expoſtulare contra Mariam, id eſt animam. Cypreſſus & oliua vocatur à Spiritu S. *Cypreſſus in monte Sion, & oliua ſpecioſa in campis.* *Eccli. 24.* Videntur hæ plantæ ſibi oppoſitæ, nec ſibi in Maria poſſe conuenire. Quàm pinguis, quàm fertilis oliua? *Filÿ tui ſicut nouellæ oliuarum.* *Pſ. 127.* Quàm ſterilis, quàm infecunda Cypreſſus: oliua vitam denotat: liquorem enim nobis miniſtrat in quo lux & accenditur & fouetur, lux, inquam, vitæ ſymbolum. Cypreſſus vt funeſta reprobatur, ſepulchris mortique conſecrata; ſi ſemel eradicetur, alia non reſurgit: Oliua præſcinditur, ramus ex illa plantatur, nouellas producit breuiſſimo tempore: & ſicut ramos ſuos recolligit Cypreſſus, atque in vnum conglobat, vt in acumen ſurſum extendat, eo modo oliua ſuas quaquauerſum nouellas extendit. Quis illas, & in quo ſtricto coadunabit amplexu? Deus. In Maria religioſa conſpicitur Cypreſſus, & formoſa floret oliua: num ſpectare iubet Cypreſſum? Quales ſpiritus ardores, quæ dilectionis incendia, quæ flammæ? Corpore dormiente vigilabat anima: ſic D. Ambroſ. *Et tamen cùm quieſceret corpus, vigilaret animus.* *D. Ambr. l. 2. de Virg.* Oliua prædicatur, quia Mater eſt Dei, illius in peregrinatione ſocia, & moleſtiis comes indiuidua eius neceſſitati perpetuò ſeduloque proſpiciens.

D. Ioannes deſcribit ſe in Maria notaſſe vtrumque idque in ſummo gradu admirabile: talis namque mulier, quæ magnum fuit in cælo ſignum, tantiſque donis irrigua, vt ſole amicta ſplenderet, ſtellatum diadema in capite portaret, lunam pedibus preme- *Apoc. 12.*

ret vt subsellium, Maria est. Hunc sicut Aquila solem nequaquā præsumpsero intueri; videbo tamē Lunam mille significationibus Virginis figuram, vt soli proximam, & quâ post solem nulla nobilior. Rara est & singularis in cursu suo & mobilitate; vt enim docent Astrologi; cùm alij planetæ tardiori motu suos percurrant orbes, sic vt annos integros conficiant; cursus Lunæ per dies consideratur. Omnes electi cæli Ecclesiæ tardiùs has duas vitas combinarunt, raroque Deo seruierunt & hominibus; porrò Virgo dignissima citissimo motu cursum perficit; vno eodemque instanti Christo famulatur homini; eumque Deum attentissimè contemplatur; sit eius hæc epigraphe *Phœnix*, & subscriptio: *In vtroque Phœnix.*

Discursus IV. *Talis est cuiusque mors, qualis vita: Et sicut Maria Deum diligendo vixit: ita diuinis inflāmata ardoribus moritur.*

D. AMBR. 2. de Virg. MIraculum asserimus diuinæque assistentiæ prodigium Mariam tot annis superuixisse. D. Paulum considera, vel semel tantùm diuina pastum clara visione, quàm ardenter egressum de hac miserrima vita desideret. *Desiderium habens dissolui & esse cum Christo.* Si D. Petrus in Philipp. 1. gloria montis Thabor exiguâ Matth. 17. collustratus luce, locum mutare renuit, alioque migrare; quid de illa sentiendum, quæ clariori longè notitiâ, & iterato, sæpius diuinam contemplabatur essentiam; vbi desiderabat constanter eo perfrui quod transeunter possederat, cum illi ea conditio adhæreret quâ hic eo potiri fas est? & cùm in virtutibus eius & meritis nulla esset interruptio, affectus tamen hi producebant in anima eius perpetuas flammas, quæ laqueos nodosque possent incendere, quibus anima & corpus sibi inuicem vniuntur & irretiuntur: vt experientiâ constat in multis Sanctis, in quibus considerationis & amoris impetu anima leuissima post se trahit graue illud corporis pondus; quasi ipsa confunderetur, quod in hoc ad Deum itinere à corpore retardetur, veloxque ei transitus impediatur.

Mortua est Maria non ex accidenti morte consumpta, sed amoris flagrans incendio. *Beata Virgo præ amore & sine dolore mortua est.* Testatur D. Albert. Mag. & confirmat Abb. Gaugericus. *Vt minùs miremini languorem meum, amore langueo, plus impatientia amoris, quàm passione doloris, plus vulnerata charitate, quam aggrauata infirmitate.* Deinde quòd si Martyrum inuictissimorum mors, quam tyrannorum intulit potestas & gladius, pre-

GAVGER. Ser. 2. de Assump. I. Maria ex amore mortua est.

Apoc. 12.

pretiosa sit in conspectu Domini, vtpote eius amore tolerata: qualis erit illa Virginis cùm diuinus ipse amor vt gladius illi vitam abstulerit? quid miramur quòd præ amore mortua sit, quæ in illo viuebat: cùm iuxta regulam ordinariam: talis quisque moritur, qualis vixit? Hanc igitur veritatem adstruamus.

Illam nobis afferat Præsul illustrissimus Mediolanensis ratione sua valde subtili. Disputans de morte Moysi eiusque sepulchro, quem Deus suis voluit manibus sepelire, diutiùs inhæret illi quod ait S. pagina: *Et non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.* (*Deuter. 34.*) Cuius corporis occultationis variæ ab Expositoribus adferuntur rationes: nonnulli dicunt: ne qui illum viderunt viuentem radiis adeò splendidum, postmodum viderent mortis pallore tenebrosum. Doctor Angelicus sic ait: *Ne Iudæi ad idololatriam proni, eum vt Deum colerent.* (D. THOM. *in Ep. Iudæ*) Audiamus D. Ambros. *Nemo scit sepulchrum Moysi: quia vitam eius omnes nouerunt.* (D. AMBR. *l. 1. de Cain & Abel c. 2.*) Hæc causalis particula (*Quia*) mouet difficultatem. Vnde namque hæc infertur consequentia: cognouerunt illum viuum, ergo non possunt cognoscere mortuum? imò ego contrarium inferrem: quo cum enim familiarius egimus in vita, meliùs eum in morte cognoscimus, firmior inhæret nobis eius memoria, nostræque imaginationi tenacius impressum manet eius simulachrum. Acumen attendamus planè egregium quod arbitror D. Ambros. voluisse indicare. Vitæ series eximij huius Legislatoris Moysi tota fuit lux: nã etiã ex familiari cum Deo communicatione splendens in vultu suo apparuit; mors autem quid, quæso, aliud est quàm vmbra, horror & caligo? Homo igitur qui vixit radiis & splendoribus circumfulgens, cum illis etiam occumbat, & cùm vrgeat necessitas soluendi tributum humanæ debitum naturæ, Deus occultet morientem, ne dicatur, quòd viuens tanta luce fulgidus, talis mortuus non sit: cùm semper vitam mors sequatur, & qualis illa fuerit, & talis quoque hæc esse censeatur.

II. Moysi sepulchrum occultum ob varias rationes.

Maior inter natos mulierum prodromus Christi D. Ioannes siquidem in causa mortis suæ, pro defensione scilicet sanctitatis matrimonij, plures habuerit sibi coæquales, modus tamen rarus fuit & stupendus. Impudica Herodiadis filia à matre sua scortatrice edocta in tripudij sui præmium caput poposcit Baptistæ in hæc verba. *Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* (*Matth. 14.*) Comprime linguam crudelissima mulier: quem de inimico tuo tali modo refers triumphum? An tibi fortè hoc seruit recreationi fauetque

que deliciis? An non perpendis quod viuentis guttur tuas tibi voluptates amaricauerit illa feruens reprehẽsione: *Non tibi licet habere vxorem fratris tui*, quâ Herodem corripuit & quod modò gladio diffectum suo te conspectu cruciabit amariùs? Iube si videre caput lubet tibi hoc adferatur è cuspide lanceæ suspensum, vt pro more habent Duces de hostibus suis triumphantes: sed cur in disco? Vtique: ferculum petit, iubetque sibi in disco proferri: & si mysterium ignoras, illud assero fuisse: quasi clarè protestetur: tota Baptistæ vita quid aliud fuisse creditur quàm vehemens quædam inuectiua, aspera satis & digna in delicias, voluptates & epulas; vt ipsa est abstinentia. Vir igitur qui viuens epulas dapésque reprehendit, eodem mortuus fungatur officio: quia verò pedibus nequit adesse reprehensor, adferatur in disco: taciturna namque sua mortis imagine, luxuriosam opulentamque mensam Herodis confundet conuiuarum: & quisque eo mortuus quo viuens munere fungatur. Moriatur ergo Maria amans, quæ vixit amans.

III. Ioannis caput in disco profertur, vt etiam mortuus delicias reprehendat.

Matth. 14.

Vaticinium profero celebre Videntis Iob: *Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igni subuersa est.* Quorundam opinio est hîc mentionem fieri montis Æthnæ ex suis flammis notissimi, qui continuas exhalat ignis scintillas, quibus terram circumuicinam perpetua damnat sterilitate: alij censent hîc intelligi Pentapolim, illam scilicet regionem, quam Deus in iustam scelerum eius pœnam, igne & sulphure momento temporis vastauit: vbi priùs Sacerdos Melchisedech panem & vinum obtulit Patriarchæ Abrahæ de quatuor cæsis Regibus inclyto victori. Verùm hodie sic capiamus per terram cælestem intelligamus Reginam nostram Mariam: etenim frequentissimè hoc nomine à Sãctis PP. inscribitur: si namque terra elementum sit ceteris humilius & magis infimum; (atque in oculis suis se Virgo nuncupet ancillam) est attamen à Creatore suo reliquis magis ornata, & ditata montibus, vallibus, pelagis, fontibus, fluminibus, fodinis, plantis &c. Et eo modo decoratam veneramur SS. Virginem. Hæc igitur tellus diuina, quæ nobis panem protulit vitæ, in morte sua *Igni subuersa est*.

Iob 28.

IV. Allegoria.

Numquid non ipsa tale de se perhibet Imperatrix testimonium apud Ecclesiasticum? *Ego quasi Libanus non incisus vaporaui habitationem meam.* Exhalo quod in me habitabat, nempe animam, cuius domus corpus dicitur: ita Apostolo teste: *Domus nostra huius habitationis*, sicut in monte Libano balsamum non incisum. Duobus temporibus

Eccli. 24.

2. Cor. 5.

V. Maria balsamum non incisum.

bus ex his arboribus euaporatur liquor ille odoriferus; anticipatiuè, dum cortex illi cultello violentè diffinditur; nec est is adeò pretiosus, qualis ille qui gratuitò ex ipsa natura, solisque efficaciâ mense defluit Augusto. Reliquis proprium est hominibus dare spiritum, sed quem annis fatigata elicit senectus, quem violenta exprimit febris, quem morbi producunt, & cultelli seu lanceolæ sententiæ prolatæ in patrem eorum Adam: diuinum verò balsamum *Mariæ non incisum*: non anni, non dolores, non accidentia, non infirmitates expresserunt, sed in Augusto moritur, inflammata moritur, præ amore moritur, & odorem spirans suauitatis exspirat.

D. Ambr. Ser. 31. in Ps. 118.

Mariam manna nuncupat D. Ambros. *Mariam enim manna dixerim*: de veteri quod de nubibus cecidit in deserto asserit Sapientiæ princeps, quod nequaquam ictibus contusum, aut malleis contritum, aut aliqua emollitum industriâ, sed ad exiguum solis radium liquesceret. *Quod enim ab igne non poterat exterminari statim ab exiguo radio solis liquefactum tabescebat.* q. d. Solus & vnicus solis iustitiæ intuitus liquefecit Mariam, in cuius amplexu sanctissimam exhalat animam. Ex præfatis sensum capio sententiæ D. Andreæ Cretensis, Patriarchæ Hierusalem: Notate verba.

Sap. 16.

Erat tunc quoque præsens (ecce solem ad manna) *verbum quod legem fecit cessare, legem, inquam, mortis, cui nihil poterat adferre ditrimenti. Erat autem spectaculum verè nouum, & quod non poterat consequi cogitatio: mulier quæ cælorum superauerat naturam puritate, in adytorum quæ sunt in cælis, Sancta commeans.* Adfuit Dei filius Patris Verbum nec eum in transitu Matris sibi dilectissimæ poterat abesse, vt ipsũ redderet tantò suauiorem; & cùm esset Deus, mortis legem suspendit in muliere cælesti, quæ cælos ipsos & ardentissimos Seraphinos puritate præcurrebat. Et quæ in partu Bethlehemitico nullum sensit dolorem, nullam corruptionem intacta manens puerpera, sic & sacratissimum eius corpus mortuum, non est mortuum. *Sicut enim non fuit corruptus parientis vterus, ita mortua caro nõ interiit.* Vltimum trutinemus verbum. *Mortua non interiit.* O Doctor sanctissime; quomodo in vno possunt hæc duo contraria verificari subiecto? *Mortua caro non interiit.* Ipse se exponit. Mortua est: quia mortis legem subiit: non tamen mortua est: quia vitam vlnis suis amplectebatur: esse desiit, quia permisit vt vinculum dissolueretur nodusque detexeretur: non tamen esse desiit, cùm tempus fuerit adeò pusillum. Mortua est, quia ex corpore cõstabat: non mortua

VI. Maria mortua est, & non mortua.

mortua est; quia corpus animæ gaudebat immortalis priuilegio. Qua fide mortem dixeris, quæ victoria celebratur: cùm illi Gabriel ramum deferat palmæ victoriæ symbolum? Isaias huius testis est: *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent*. Mariam alloquitur: sensus illi, Domine meo quidem iudicio, deficiunt oculi illi, cælestia lumina clauduntur, & tristem patiuntur eclipsim, manus illæ præclarissimæ contrahuntur, lingua illa lactea & mellea obmutescit, hæc omnia mortem referunt: sed sicut te ros inebriat: *Ros lucis, ros tuus*. Lucis filij tui, in cuius splendoribus animam tuam exhalasti, & somno mortis requiescis; & mortem cohibet.

Isa. 26.

VI. Maria mortua est; & non mortua.

VII. Ratio huius ex Tertulliano.

Perpendit Tertullianus Deum in principio formantem ex luto primæuum hominem, nec solis inhærentem verbis, sed opera coniungentem. Quid inde (quærit) commodi, quid vtilitatis si creator puluerem manibus tangat? Respondet; honore vult illum afficere, diuinoque suo contactu nobilitate & stemmatis efferre ingenuitate. *Itaque toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur*. Si verò caro Adæ contraxit ex Dei contactu nobilitatem; ita vt originalem seruans iustitiam quamuis ex natura sua mortalis, mortem tamen non sentiret; quid sentiendum de virginali carne, quæ postmodum Dei fuit, ex qua tela formata fuit quâ Deus ipse vestiretur, Regali suæ purpuræ intertexta? An non corpus illud animæ sortiretur conditiones? Ipsa Virgo clarius de hoc profert testimonium: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo*. Luc. 1.

Tertvll. l. de Resurrect. car. à n. 5. vsq. 10.

Discrimen quod est inter animã & spiritum est vel animare corpus, sicut forma, vel intelligere cum puritate sicut spiritus; quomodo igitur Virgo suum non nominat corpus, & carnem? An fortè in carne Deum suum non magnificat? vtique magnificat: de se namque Dauid confitetur; *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*. Et quod viri huius sanctioris fuit exercitium an deesse potuit Sanctorum omnium sanctissimæ? Respondeo, quòd linguâ suâ corpus non exprimat; quia licèt corpore constaret; tamen vt purissimus hoc erat spiritus: & D. Ambros. ait: *Corpus Virginis Dei templum est*. Igitur plana & euidens patet ratio, quâ motus dixit Andreas Cretens. quòd mortua non interiit. Ps. 83. D. Ambr. l. 2. de Virg.

Salomon in Prouerbiis suis, de nostra testatur Regina, quam mulierem nuncùpat fortem; *Ridebit in die nouissimo*. Erit dies illius vltimus adeò festiuus illi, morsque adeò iucunda, vt præ risu sit moritura, nullas patietur moribunda angu- Prou. 31.

angustias, sed dulcedine reficietur ineffabili, non pœnis subiacebit, sed gaudio tripudiabit: non à morte victa superabitur, sed hanc feram parcam potiùs suis gaudebit pedibus prostratam. Ex verbis Canticorum ratio innotescit ob quam Deus Matris suæ mortẽ decreuerit. *Coma eius sicut elatæ palmarum, nigra quasi coruus*: huic addamus translationem moderni Auctoris. *Capilli eius texus, nigri quasi coruus.* Texus arbor est durissimæ materiæ: quia inter corticem & truncum nonnulla nutrit fila intertexta, quæ veteres ad bella proferebant, & ex durioribus vincula captiuis victisque texebãt: atque ex mollioribus & tenerioribus sibi victores quasi coronas plectebant: ita vt & vinculis & coronis esset apta materia. Hoc dato, Domine, cogitationes tuæ nigræ & obscuræ (quãdoquidem transeat per mortem lux Mariæ) vinculis constringunt & coronant. Hodie dulcissimam suam coronaturus matrem, prius illam vinculis adstringit: cùm mors in morte Mariæ vinculum sit, quo mors superata vincitur: & mors in Maria corona sit, eiusque gloriosissimus triumphus. Breuiter hoc D. Augustin. ad illud Psalterij: *Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico*. Quærit. *Quid est: sunt reliquiæ*? Quia si significent aliquid quod velut veneratione dignum pectori appenditur, quid indicat?

Cant. 5.

D. CYPR. Cistercien. in Cant.

VIII. Texus arbor qualis.

Psal. 36. D. AVG. Ser. 3. in Ps. 36.

Respondit. *Cùm fueris mortuus, non eris mortuus, hoc est, sunt reliquiæ*: quia Dei amicus licèt moriatur dum moritur, non moritur tamen: quandoquidem ipsa mortis vincula, quæ seruitutem denotant, reliquiæ sint, quæ venerationem, honorem inuoluunt & æstimationem. Hoc esse dicimus in Maria mori & non mori vno eodemque tempore: quia verò dare vult faustum morti suæ diem, patitur se vinculis innecti, & hac mediante consecuta præmium quod beata nunc possidet, eâdem ipsâ morte se coronat. Cùm autem ex se mors terribilis fit & formidabilis: *Omnium terribilium terribilissimum mors est*: dispensat in hoc cælum, & mors quæ passim omnibus apparet terribilissima, & vmbris amicta tenebrosis, lucidam se Mariæ demonstrat & gratam, quia nulla prorsus agonia coarctata moritur fatalis aciem falcis retundens. Non hìc planctus audiuntur, non lachrymæ, non suspiria: & si nonnulla hìc in terra fundantur, & in cælum sursum efferantur, Apostolorum sunt threni quos nubes lucidæ velut currus ad cælestem eius exitum transuexerũt, quia dolebant sibi bonum suum auferri, lunam suam obtenebrari, solẽ occidere, nam quoad cetera non nisi opprobria sunt, cauilla, mortique inusta scommata: *Vbi est mors victoria tua?*

IX. Sancti mortui adhuc viuunt.

Discur-

Discursus V. *Immensam exponit gloriam, quæ ascendenti in corpore & anima Virgini communicatur: ad cuius ingressum patria illa cælestis perfecto tripudiat gaudio: cuius non exiguam partem in visione Mariæ constituit.*

HAnc vnam inter alias S. Theologia profert rationem, cur Sancti corpore & animâ ad cæli gaudia capienda non rapiantur, vsque ad vltimam resurrectionis diem: vt cùm continuo certamine inter se corpus & anima decertauerint: hoc enim est quod deflet Apostolus: *Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati*: soluat caro hanc rebellionem pœnâ *Incinerationis* vt aiunt Theologi; & ita loquitur eorum præses primarius, quòd mortis tributum soluamus non tantùm diuisione corporis ab anima, sed etiam purgatorium subeamus vermium. Porrò cæleste Mariæ corpus, quod dicere poterat: *Carne seruio legi Dei*, diuinum subiectum, à rustico vilique tributo liberetur. Princeps & Augusta legibus non tenetur, à communibus excipitur: & sicut arbor ad terram inclinata, maiori se attollit sursum impetu, triduo mansit inclyta hæc arbor, dum cælum hanc terræ communicat, vt festa eius præueniret, & illique corpus hoc tantillo licèt tempore inuidens deinde sursum attollit: etenim sine corpore Mariæ, non habet quo Mariæ recipiat animam.

Rom. 7.

D. Thom. in 4. Dist. 43. qu. vnica ar. 4.

I. Maria in corpore & anima assumpta est.

Id quod contigit Iacob egregiè hoc declarat. Appulit in Mesopotamiam ad ciuitatem Haram iuxta puteum, ex quo pastores fertilis illius regionis potum dabant ouium suarum gregibus: sed clausum erat os eius lapide prægrandi, ad cuius eleuationẽ aliorũ opilionum vires exigebãtur. *Et os eius grandi lapide claudebatur.* Vidit ille à longè accedentem Rachel, postmodum vxorem suam, & amore brachio vires ministrante, solus lapidem sustulit quem omnes priùs amouere nequiuerant, quum omnes, vt moris erat, in vnum ad hoc conuenirent. Omnes beati vltimum præstolantur diem communis resurrectionis, vt anima & corpus ex fonte deliciarum Dei pleno reficiantur haustu: nam ad illud vsque tempus sola anima torrente satiatur voluptatis domus Dei: tempus illud est in quo tollendum est graue illud saxum corruptionis: nam etiam ipsis Martyribus poscentibus hanc sibi prorogari mercedem, respondetur: vt audiuit D. Ioannes: *Dictum est illis vt requiescerent adhuc modicum*

II. Allegoria.

Gen. 29.

Apoc. 6.

dicum donec compleantur conserui eorum. Porrò diuinus ille Iacob Christus, à D. Petro dictus Pastor pastorum: *Princeps pastorum*: hac matrem præuenit liberalitate; nec patitur vt tãto tempore Rachel formosissima, expectet, lapidem tollit, quo fontis huius aquæ conteguntur, vt corpus id quod tantopere desiderauit anima, possideat.

1.Pet.4.

Ex quo dicere nobis liceat cælum suam accepisse perfectionem. Conceptus hic Albertum Magnum agnoscit præceptorem: considerat enim ab Ecclesia huic virgini hos adscribi titulos: *Porta cæli, fenestra cæli:* domus namque ædificium, nisi portæ statuantur, & fenestræ aperiantur, nequaquam potest dici consummatum. Cælum Deus operatus est: *Opera manuum tuarum sunt cæli.* Mariam expectabat, & in ipsa sperat cælestis gloria gloriæ suæ perfectionem. Vnde D. Bernar. hanc singularem addit exaggerationem, hodie in cælo nouam suspendi lampadem, quâ cælum illuminetur: quamuis enim lux eius essentialis, Agnus sit: *Lucerna eius est agnus*: voluit tamen Deus electos suos alia luce gloriæ accidentali illuminare: quam statuit in gratissima Mariæ visione, sine cuius præsentia cuncta videbantur, esse minùs formosa. Audiatur. D. Bernard. *Maria præsentiâ totus illustratur orbis: adeò vt & ipsa iam cælestis patria clariùs rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore.* Sed quis sermone potens explicet quid de diuina eius manu in hac gloria recipiat, si in terris tanta Deus à Maria receperit. *Felix planè Maria & multipliciter felix, siue cùm excipit Saluatorem, siue cùm à Saluatore suscipitur.* Sorte gaudet & gloriâ non solâ nec simplici, sed ex multis cõposita sortibus, & multiplici decorata gloria. *Multipliciter felix.* Tertiò inuitat illam Spiritus S. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Quia primam possidet beata gloriam; diuinam scilicet essentiam; secundam, humanitatis Christi: ex cuius intuitu maiorẽ homo quã Angelus haurit voluptatem: quia secũdum Theologos in gloria hominis specialiter numeratur iucundum Incarnationis mysterium, & homo contuens Deum factum hominem, ampliorem huius gloriæ partem sibi vendicat quàm spiritus Angelici. Huius habes figuram in Ioseph, qui Beniamin fratri suo vterino ex eodem patre ac matre duplicem in conuiuio quo fratres suos excepit, portionem erogauit.

D. ALBERT. *In Maria c.186.*

III. Maria dicitur porta cæli.

Ps.101.

Apoc.21.

D.BERN. Ser.1. de Assumpt.

D.BERN. Ibid.

Cant.4.

IV. Mariæ triplex gloria.

Tertiò, *veni*: quia præclarior multò illi accrescit gloria ex sanctis-

V. Mariæ in cælum ascensus.

ſanctiſſima filij ſui humanitate, in obiecto beatitudinis, quàm ceteris Sanctis omnibus: eò quòd mater illius ſit hominis, & Dei. Itaque gloria potitur ſpectatrix diuinitatis, gloria humanitatis, gloria Matris huius humanitatis. Pater eam laureandam in ſe ſuſcepit, vtpote qui quaſi ſolus inter tres diuinas perſonas ſciebat expertus quid ſit eſſe Patrem Dei: proinde eius muneri incubuit dotare creaturam quæ erat Mater Dei. Filius coronandam ſuſcepit eam cuius ſollicitudine ac curâ fuerat educatus. Spiritus S. beare voluit gratam illam pulchritudinem ob quam ſibi eam in ſponſam elegerat amantiſſimam. Iam cælum nobis velum oppandit ne plura videamus.

D. BERN. Ser. 1. de Aſſumpt.

D. BERN. Ibid.

Cant. 4.

IV. Mariæ triplex gloria.

V. Mariæ in cælum aſcenſus.

Aſcende Domina inter alitum cæleſtium numeroſiſſimas legiones, ſtella matutina, quæ cælos omnes luce glorioſior antecurris. Aſcende ſupra cælum lunæ, lunâ formoſior: *Pulchra vt luna.* Supra cælum Veneris: cùm amoris mater habearis. *Ego mater pulchra dilectionis.* Supra cælum Mercurij, tu cæleſtis ſchola ſapientiæ. *Virgo prudentiſſima.* Supra ſolem ardentiſſimum, ſolis mater iuſtitiæ. *Ex te ortus eſt ſol iuſtitiæ.* Supra bellicoſum Martem: tu namque bellatrix illa tartareis legionibus terribilis: quarum inflata colla, humiles tui proterunt calcantque pedes. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Supra Iouem patrem dignitatum: tibi namque omnes debentur, & ſunt huius arboris flores. *Flores mei fructus honoris.* Supra triſtem Saturnum: tui namque oculi tuuſque conſpectus ſolamen adferunt accepriſſimum. *Gaudium annuntiaſti vniuerſo mundo.* Sancti omnes inſtanter deprecantur illam vt cum ipſis fida remaneat: ius adferunt & rationem, quam ad tantam læti habent prætenſionem Patriarchæ & Prophetę, qui tanto flàgrarunt æſtu Deum videndi à mundo per Mariam receptum: Apoſtoli illam remorantur vt magiſtram ſuam & coronę ſuæ lucidiſſimas ſtellas; Martyres vt fortitudinem ſuam: Virgines vt primiceriam ſuęque puritatis anteſignanam. In duo diuiſi cantantium Angeli choros interrogant: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit?* Quibus reſpondent homines. Ea eſt (inquit Adam) coſta quam ad fundationem Eccleſiæ in Chriſto mihi abſtulerunt. Ea eſt (reſpondet Noë) arca in qua ab aquis diluuij diuinaq; iuſtitia homo ſeruatus eſt incolumis. Ea eſt (ait Iacob) myſtica per quam deſcendit Deus formam humanam induiturus. Ea eſt Virga (loquitur Moyſes) mirabilium

VI. Eius figuræ.

biliũ tantorum effectrix. Ea est (testatur Gedeon) vellus pulcherrimum, quod in se totum comprehendit Deum. Tristitia luctuque tanto terra squallet, quanto cælum gloria triumphat. *Plangendum nobis magis quàm gaudendum esse videtur.* Quamuis opinetur D. Bern. rationem nobis adesse luctus vt videtur, & tristitiæ: verumtamen fratrem suum Gerardum defunctum allocutus, mœrorem temperat verbis proposito conuenientibus. *Ergo & te necesse est misericordem esse, qui inhæres misericordi, & qui non pateris, compateris tamen.* Et infrà. *Nec quia Deum induisti, nostri te cura exuisti.* Oportet ô Regina diuinissima modò sis vltra modum misericors, immersa & vnita fonti misericordiæ, & quamuis quia gloriosa, nihil patiaris, nostris tamen compatiaris benigna necessitatibus. Et non quia Deum induisti, diuinosque hausisti affectus, amore te erga homines, affectuque denudasti. His feruens plenaque ascendit. Amor ignis est, & velut medium cælum inter & terram: ignis qui ab vtroque participat extremo ligno adhæreat in quo hic ardet, eiusque flammæ in altum ascendant, quo aspirat: ascendat ad sphæram suam Maria, nempe Deum, & sollicitudine impigra descendat, quâ velut mater amantissima nostris consulat gnaua calamitatibus. *Aduocatam præmisit peregrinatio nostra* (ita Bernard.) *quæ tanquam iudicis mater & mater misericordiæ, suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.*

D. BERN. Ser. I. Assumpt.

D. BERN. Ser. 26. in Cant.

D. BERN. Ser. I. Assumpt.

Feruentibus igitur Reginæ cælorum Mariæ vocibus acclamemus: *Reuertere, reuertere Sulamitis.* Quod felix faustumque sit, ascende ô Domina, debitum meritis tuis præmium laurumque adeptura, cui toto congratulamur affectu. *Reuertere:* nam in oculis tuis nostras animas, nostra trahis pectora. *Reuertere,* benigna mota compassione, cuius pectus nostræ passiones, nostræ semper tribulationes inuocarunt. *Reuertere* tandem per gratiam, quatenus efficaci tua mediante intercessione, ô Regina, ô Domina, ô Virgo mater, gloriam assequamur æuiternam. *Ad quam nos perducat &c.* Amen.

Cant. 6.

Discur-

Additus. Diſcurſus VI. *Donec. Virgo Maria ad altiſſimum vſque ſolium coronata eleuaretur, in cælo accidentalis deficiebat gloria : nam & ipſe Deus ſummo recreabatur gaudio, dum Matrem ſuam ſacratiſſimam ad dexteram ſuam cernebat aſſidentem.*

I. Maria aſſumpta eſt eſt in Augusto.

RElceptâ iam in gloria Virginis Maieſtate Imperiali poteſt ipſa gloria perfectiſſimè eius gloria gloriari: iam cæli eiuſque orbes totali ſuo lætantur ornatu, dum illos ſol hic formoſiſſimus ingreditur. Moritur in Auguſto, quod ſi menſis hic ita nominetur : Auguſtus de augmento : quia Auguſtus Cæſar, cuius intuitu nomen hoc ſortitus eſt, fines Romani dilatauit imperij: vel quia in eo natus refertur : vel quia in eo Marcum Antonium & Cleopatram ſuperauit, & bella ciuilia finem acceperunt, totuſque orbis pace lætatus eſt optatiſſima. Verùm ſi mundum intueor eiuſque indigenas: dicam Auguſtus fuit, vel potiùs Anguſtus, quia beatitudinem noſtram anguſtauit, dum nos ex abſentia Reginæ noſtræ lachrymis oppreſſos dereliquit.

Iam confirmo Mariam eſſe cæli gloriam: creauit illud Deus in principio, ſed non illo decore quo poſtea additis illi fulgentiſſimis aſtris potiebatur. *Nec- dum enim decentem ornatum obtinebat: quippe quòd iam non ſplendeſcebat radioſiſſimo Sole luna circumfuſum : at neque ſtellarum choris tanquam ſertis redimebatur ; à veritate igitur nihil aberraueris cælum quoque fuiſſe inconditum :* ita cenſet D. Baſilius. (D. Basil. Hom. 2. in Hexam.)

II. Cur cælum imperfectè creatum.

Modò probemus: cùm Dei opera perfecta ſint & abſoluta, nec diſtantiis ſeu interuallis indiguerit vt vltimam eis manum apponeret, quæ ratio fuit cur (Ratio 1.) cælo in ſui creatione totam ſimul non tribuerit perfectionem? quænam ſunt hæ ô Domine detentiones & procraſtinationes? Nouit D. Anaſtaſij Sinaitæ reſponſum eam ſcilicet fuiſſe rationem : cùm enim populus Iſraël ad cultum falſorum Deorum ſupra modum inclinaretur, voluit Deus vt creationis mundi hiſtoriographus Moyſes, deſcriberet qualiter in principio cælum eſſet inconditum, ne illud tanquam Deũ adorarent. (Anagogica contemplatio. de Hexam. l. 6.) Si quis quærat quid tanti referebat ne adoraretur, vt eius tegeretur præcedẽs ſquallor, imperfectio, nulluſque ornatus ? Concinnè reſpondet : quia tale ſibi (cùm prudentes eſſent) formarent argumentum Illud quod principio ortum eſt adeò vili, quodque priùs ſordidum ſquallebat, licèt modò venuſtiſſimum appareat, Deus eſſe non poteſt: hic

enim Deus æternam habet essentiam, fixam, permanentem, & semper idem esse creditur.

Porrò rationi meæ vnico verbo rationem mihi dedit D. Ioannes Damascen. quâ victor dubium illud absoluam. Insignes vir hic Virgini deuotissimus titulos adscribit, & hunc potissimum: *Cælum animatum.* Acumen audiamus. Ad primam hominis accedamus creationem, quâ ex puluere lutoque de campo Damasceno composito surrexit ad vitam: & si statui nolint exemplum in Adam, cùm certum sit, quòd vno eodemque tempore Deus illum de terra creauerit, & spiraculo animam illi infuderit: aliud eligamus cadauer nimirum exanime vel aliquid quod præter visum nullam aliam habeat rationem, cùm sit in omnibus vt truncus, si Deus illud resuscitaret, ei animam tribueret, quâ de nouo esse inciperet, id quod ante nec corpus erat nec viuebat. Quid est Maria? Anima cæli: cùm ergo in illud non intrasset, erat velut examine, sordidum, obscurum, simile cadaueri: Penetrat Virgo cælos, & singulos orbes viuificat, animamque eis infundit: vnde nec miror, quòd quamuis cælum Dei manus eduxerit, prodeat tamen obscurum & horridum: si namque Deus Virginem creauerit vt animam & spiritum cælo infunderet: absque Maria spiritu non gaudet, cum illa verò iam animâ potitur, & modò, non anteà dicatur: *Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum:* hoc est esse *Cælum animatum.*

DAMASC. Orat. 2 de Dormitio. Virg.

III. Ratio 2.

IV. Maria cælo tribuit animam.

Gen. 2.

Mysterium hoc latiùs explicemus ratione S. Ildephonsi Archiepiscopi Toletani. Credit hic (fateor communem non esse & minus certam opinionem) Virginem Mariam post filij sui Ascensionem modico tempore superuixisse: rationem autem hanc arbitratur esse amorem filij quo Matri afficiebatur, affectus & desideria Matris. Quòd si D. Paulo ob diuinam à se visam essentiam, vita hæc diuturna nimis tædium adferebat, suaque verbis his explicat desideria: *Cupio dissolui*: quid de Virgine cogitabimus? Porrò certior opinio tenet eam viginti quatuor annis Ascensioni filij sui superstitem in terra fuisse Sic instructioni conueniebat Ecclesiæ, cuius erat ipsa Dux & Magistra, & fidelium consolatrix, cuius diuinum oraculum gratiæ eius cumulum adaugebat, cui immensa in cælo gloria corresponderet. Loquatur igitur D. Ildephonsus iuxta sententiam suam: *Nec diu hæc sancta sacratissima Virgo post Domini Ascensionem in terris potuit remanere, quam desiderabant Angeli, cælum etiam ipsum de eius Ascensione querebatur.* Reginæ suæ aduentum Angeli desiderabant

V. Cælum Virginis assumptionem optabat.

ILDEPHONS. Ser. 6. Assumpt.

bant, ex cuius conspectu continua illis gloria accresceret accidentalis: imò & ipsum cælum querimonias effundebat, quòd eam inter luminaria sua velut ornamentum eorumque perfectionem non intueretur.

VI. Imò querebatur. Vim verbi *querebatur* expendamus; vnde queri poterat cælum eamque ex iustitia postulare? Quod ius illi in corpus animamque Virginis, vt tanto rigore eius vrgeret ascensum? Quâ formulâ procedit, offertque petitiones? Premit me fortiùs, quod conqueri & dolere, actiones sint viuentium & ratione vtentium, quibus cælum non fruitur: quomodo igitur *querebatur?* Quærit D. Thom. *Vtrum luminaria cæli sint animata?* Postquam varia adduxerat ad reprobandam opinionem Platonicorum illud asserentium, & quod quia Philosophus Anaxagoras defenderat Solem esse inanimatum, & qui velut lapis fulgentissimus quaquauersum scintillas emitteret & fulgura, eum morti condemnarant: & Origenes eidem adhæreret sententiæ: concludit id quod certissimum in Philosophia est & Theologia, luminaria cæli esse inanimata, nec habere intrinsecum motus principium quod anima sit: sed metaphoricè & æquiuocè (inquit) dicuntur cæli animati, ob influentias suas & id quod ipsis mediantibus operantur. Nunc sententiam D. Ildephonsi intelligo: fateor cælum esse inanimatum, verumtamen nostro loquendi modo, considerans quòd certo quodam modo splendor eius totaque perfectio sit Maria, clamat, vt potest, querimonias effundit, eam requirit vtpote animam suam, lucem suam, & sine quâ viuere non videtur: optimè igitur ait D. Ildephonsus: *Cælum querebatur.* Detur igitur cælo Maria, est enim cæli cælum: ascendat ad gloriam gloriæ gloria: nullus eam remoretur, ascendat velocissima.

1. p. q. 70. ar. 3.

Orig.

Enucleabimus modò sententiam D. Bonauenturæ & aliam D. Amedæi, quos ambos clientes nouimus Virgini addictissimos. Doctor Seraphicus ita loquitur: *Gloriosissimum Mariæ priuilegium est, quod post Deum est gloria nostra.* D. Amedæus hæc addit: *Maria concipiens fructum gloriæ, fructum vitæ.* Quia verò hæc duo loca in fluminibus Paradisi trutinauimus, vnico tantùm verbo absoluemus: gloria & mater fructus gloriæ vocatur Maria: cùm enim arbor & fructus sint vnius compositi: si fieri posset vt Deus ab aliquo descenderet, quo beatos constitueret, daretque eis gloriam, indubiè à Maria dependeret: hæc etenim de visceribus suis gloriam nostram produxit. Sed multò concinniùs expressit hoc subli-

D. BONAV. in spec. c. 6.

Flumina Paradisi in 4. verbo Regina.

VII. Maria cæli gloria.

sublime D. Alberti Magni ingenium: postquam enim dixerat, quòd Virgo, *Illuminat sanctos in gloria*, & illustrat eos vt facilè iam ad Deum proficiscantur: vno verbo modum hunc declarat, addens: *Splendore Deitatis in eam superuenientis.* Sicut Deus absolutus est gloriæ Dominus, Maria verò eius Deitatis abysso immersa per vnionem cum Dei filio: id quod Deus agit, agere dicitur id Maria, & gloria eo modo tribuitur, vt si Deus eam per se tribuat vt Dominus, etiã vult vt eam tribuat & communicet Maria velut Mater.

ALBERT *in Math. 1. circa illud: Cum esset desponsata.*

VIII. Est ipsi Deo gloria.

Porrò quid esset si probaremus ipsam fuisse ipsi Deo cælum & gloriam? Aures arrigite. Mortalis ille nodus dissoluitur corporis & animæ Virginis Mariæ in suauissimo eius trãsitu potentiæ incendium excitarunt, memoria, intellectus & voluntas, & tale quidem vt tandem ad patriam suam Regina profecta sit coronam acceptura vniuersalem inter Christi brachia (currus hic est tantæ dignitati non inconueniens) & inter verba suauissima quibus filius vltimum & vitale matris recipit spiraculum, introducit Abbas Gaugericus Christum hæc proferentem. *Communicasti mihi quòd homo sum: communicabo tibi quod Deus sum:* & statim addit: *Nec satis glorificatus videbor, mihi, donec tu glorificeris.* Ratio requirit ô dilectissima mihi, vt cùm à te humanitatem acceperim, à me diuinitatem accipias, (vt possibile fieri est) ita vt arbitrio tuo vt voluntati cuncta remittantur. Tantùm desidero corporalem tuam in cælo præsentiam, vt me perfectè gloriosum non arbitrer (cum sim tamen) donec te brachiis meis constringam, & assidere mihi videam lateralem sub vmbella mea in throno meo gloriosam. Quis hoc non admiretur, quis his non rapiatur verbis? Vt Deus puræ creaturæ dicat: Deus es, Dea es? Et si hæc ipsi desit, illi cælum deficiat, quia in ipsa cælum suum collocauit? O quanta hæc Dei dignatio, quanta beneuolentia! O quanta talis Matris dignitas, sine cuius aspectu, quasi Maria Dei Dea foret, dicit ipse Deus, quòd Deus esse sibi non videatur! verè etenim recordor quòd Deus hoc euulgabat quod nullius nostri indigeret: *Si esuriero, nõ dicam tibi: meus est enim orbis terræ* &c. Quinimo in hac eius independentia signum statuit Dauid Deitatis: *Dixi, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Modò autem cùm sit ipsa gloria, ipsam gloriam ad portas emendicat alienas. Quid hoc?

GAVGER. *Ser. 2. de Assumpt.*

Nota.

Ps. 49.

Ps. 15.

Explicabit hoc nobis Clemens Alexandrinus: *Neque enim Deus quatenus est natura bonus, ea ratione est beatus, sed propriè*

CLEM. ALEX. *lib. 6. Strom.*

IX. Qua ratione Deus fit beatus. *propriè benefaciens*, Deum non voco beatum ob suam bonitatem tantùm, sed quia se communicat, extendit, dilatat, & diuinè Angelis hominibusque liberalis est. In hoc se declarat Deū, nec cognoscitur dū vsu caret benefaciendi. Diues propriè diues appellabitur ex multa, quā possidet, pecunia: sed si illis nequaquam vtatur, eamque dispertiat, titulus hic ei non debetur, cum ipsum pecunia teneat, & ipse pecuniam: in nullo casu pauper & indigus est nisi in tantum quod diuitiis non vtatur. Vt Deus omnipotentem se proclamaret & diuitem, illud requirebatur, vt omnes cistarum suarum thesauros Matri suæ consignaret, eam corpore & anima glorificans: meritis illius congruenter, quod hactenus non fecerat. Igitur quamuis fuisset Deus (more loquar humano) dicerem quòd certo quodam modo illi deesset, talem esse, quia hoc in Maria non ostēderat & exercuerat: nunc autem cùm illud agit, valde bene: est enim gloria tua ô Domine omnimodo perfecta: *Nec satis glorificatus*.

D. BONAV. In Opusc. c. 7. X. Alia ratio. Nec hæc sufficit responsio: nam D. Bonauentura aliter respondet: *Gloriam enim de restauratione facta in cælo: gloriam de redemptione facta in mundo: gloriam de liberatione facta in inferno habet Dominus per Mariam.* Hoc igitur concesso ipsa Deo has omnes tribuit glorias: & quamuis Dei essent, illas tamen sine Maria videtur non habere. Alium insuper modum proferamus. Ad Dei visionem consequitur beatitudo: sed donec quis permanenter Deum contemplatur fixusque ac constans in cælis habitat, non perfectè dicitur beatus. Contemplatus est S. Paulus diuinam essentiam in admirabili illo raptu seu extasi, quam ipse describit: *Siue in corpore, siue extra corpus, nescio* &c. Quæro, num Apostolus per excellentiam beatus fuerit, & hunc ei titulum liceat adscribere? Respondet D. Thom. quòd simpliciter, & sic vt nihil ei deesset, nequaquam, nisi secundùm quid: (vt loquuntur Logici.) Sic igitur argumentatur D. Thom. *Si ergo vidit Dei essentiam sicut Angeli superioris Hierarchiæ, ergo bene videtur quòd Apostolus fuerit beatus & per consequens fuerit immortalis.* Audiamus eius solutionem. *Respondeo: quòd licet viderit Deum per essentiam, non tamen fuerit beatus simpliciter, sed solùm secundùm quid: quia claritas illa & gloria non fuit deriuata ab anima in corpus, nec in hoc statu perpetuò permansit: vnde solum actum habuit beati in ipso raptu: sed non fuit beatus.*

Nota totum. 2. Cor. 12. D. THOM. Ibid. Lect. 7.

Repetamus argumentum.

Quis Deo negare potest essentiam suam & beatitudinem? Sed sicut in quantum homo, illi gaudium deberet excitare, gaudere ad oculum & in conspectu Matris suæ, eius triumphis, idcirco dicitur, vsque dum Maria cælos gloriamque possideret, quòd loquatur quasi sibi hæc deesset. *Nec satis glorificatus mihi videtur.* Hoc nobis diuinus ille spiritus significauit quando in Canticis vterum virginalem aceruo comparat tritici liliis circumuallato. *Venter tuus sicut aceruus tritici, vallatus liliis.* Richardus de S. Laurentio interpretatur hoc de abundantia, quâ Christus semetipsum tradidit in SS. Sacramento panem deliciarum animabus: & comparat illum Ioseph, qui fami subuenit Ægyptiacæ, & ait: *Horreum repositorium est frumenti & Maria continuit in se frumentum, quo in Sacramento Altaris reficiuntur homines & Angeli: vnde & ipsa designantur per horrea Ioseph, quæ fecit in Ægypto.* Rupertus intelligit de Virginitate & fecunditate Mariæ: hæc in fertili & fecundo tritico: illa ob Virginitatem in farina mundissima. Porrò proposito meo conuenienter dico Christum esse triticum: hoc quippe nomine seipsum inscribit: *Nisi granum frumenti* &c. Designans in eo

Cant. 7.
XI.
Locus hic explicatur.

RICHARD. DE S. LAVR. *de laudat. Virg. l. 10.*

RVPERT. *in Cant.*

Ioan. 12.

quòd sub rudioribus terræ cespitibus occultetur, mortis suæ ignominias quam excepit triumphalis Resurrectionis suæ gloria. Lilium symbolum est beatitudinis notissimum. Loquitur pro me Dauid qui Psalmo 44. titulum præposuit: *Pro iis qui commutabuntur:* in Hebræo legitur: *Pro liliis.* Loquendo de Sanctis, in quorum morte vita eorum consistit & luminum suorum lucrum in sepulchri horrore: illi sunt qui mutantur de corruptione in incorruptionem: itaque beati & lilia conuertuntur conuenienti metaphora floris: qui de nodoso suo stipite semel rescissus & aquæ vasculo impositus denuo formosus reuiuiscit. *Ps. 44.*

Patulum est mihi nunc dubium: cur triticum hoc nempe Christum in Maria lilia circumcingunt. Si namque denotent gloriam, illam habuit in Matre sua existens: & quemadmodum amor non finitur, & esse filium semper maneat, etiam in cælo: significat (humano modo) quòd eam in Maria possideat: *Nec satis glorificatus videor mihi* &c. Loquebatur Apostolus de dignitate Apostolica primo Ecclesiæ ministerio, & reuelatoribus ac declaratoribus mysteriorum quę nec oculi Angelici comprehendebant & ait; *Nos autem gloriam Domini speculantes* *2. Cor. 3.*

culantes &c. Cardinalis Caietanus plura mihi dicit termini explicans originem *Speculantes*: *non à verbo Speculor, ſpecularis*: *ſed à nomine ſpeculum*, & inquit: *Inſtar ſpeculi ſuſpicientes & reddentes.* Speculum communicat ſuam præſentiam qui ſe in illo intuetur & illam ſibi imprimit. Angeli glorias Dei receperunt, cùm ſint eius imagines, & illas ipſas reddiderunt: quandoquidẽ in vita eorum & actionibus ſe Deus manifeſtaret diuinum eſſe ſpeculum. *Gloriam Domini recipimus, reddendo eandem imaginem.* Maria ſpeculum eſt Dei: *Speculum ſine macula.* Deum intuetur, recipit gloriam, & hanc ipſam ad Deum remittit eique reddit: *Reddentes eandem imaginem*: hoc eſt: *Nec ſatis glorificatus mihi videor* &c. Recipe, ô potentiſſima Regina lauros dilatatas, cùm omnes tibi ex iure conueniant, & ipſa gloria tibi totam ſuam referat. Sap. 7.



CON-

CONCIO IN FESTIVITATE B. VIRGINIS AD NIVES.

THEMA.

Beatus venter qui te portauit &c. Luc.11.

SALVTATIO.



ODIE niuis thesauros cōspicimus: quos Deus à Propheta Iob quæsiuit num vnquam vidisset, aut consideratione sua abyssum eius penetrasset, & cistas pertimasset quibus inclusi continentur. *Numquid ingressus es thesauros niuis.* Hodie, inquam, nobis in Euangelio reuelantur, in hac Virginis solemnitate. In illo: quia sicut nix decidens de cælo vbi formatur, in vestem illam reddit argento similem, multoq́ue venustiorem: ita Maria creaturarum illustrissima, ipsa fuit, quæ diuina argento inclusit attributa, reddens ea multò pulchriora: quandoquidem vsque ad Virginis huius aduentum non hæc se ita manifestauerant in effectibus suis. In hac celebritate idem considero, cùm videam quòd locum designet, lineam protrahat, velit ædificari templum, altaria extrui, arasq́ue erigi in monte niue contecto, atque colle elatiori magnificæ vrbis Romæ, super septem fundatæ colles, etenim quia mons altus est, nix alba, Ecclesia D. Virgini sacra, dicemus hæc omnia significare, Mariam esse montē, seu puritatis cumulum. Quinimo cum hæc terrena omnia indicaret D. Petr. Chrysolog. esse modica, Virginis candidissimæ quæsiuit in cælo prærogatiuas, vnde licèt de cælo, oculos deflectit demittitq́ue confusus; quia & ipsum cælum Maria superat. Auxesis hæc est Virgine digna. *Fuit maior cælo*

Iob 38.

D.P.Chr. Ser.143.

cælo, fortior terrâ, orbe latior; vnde Deum, quem mundus non capit, sola cepit. Eius intercessione cælestem flagitemus gratiam: ei Angelicam offerentes salutationem, *Aue Maria.*

Discursus. I. *Cum dignitas Matris Dei immensa sit in Virgine, virtutes eius eam reddiderunt Deo magis vicinam: dum illum prius in anima quàm in visceribus suis concipit: est etenim vinculum quo anima diuinæ vnitur Maiestati.*

I. Matris Dei dignitas vnde sumatur.

FOntem & originem dignitatum virginalium Mariæ, esse dicimus statum Matris Dei: si namq; filius relationē dicit ad matrē: filius dignitate infinitus ordinem referet ad matrē dignitate infinitam, & ordine quidē strictissimo, atque vnione cum illa arctissima; porrò audebo dicere quòd magis propriè illam reddiderint matrem Dei spiritualia virtutum charismata, quibus illam Deus antecedenter & superessluenter ditauerat: quatenus dignè tam excelsam possideret dignitatem, bonoque tanto potiretur. Prologus huius argumenti prodeat cliens illi deuotissimus D. Bern. præclara mellifluus annotatione. Considerat illam fecundam adeò spiritu, animâ prægnantem (vt ita loquamur) tot gratiæ thesauris, ita per contemplationem Deo adhærentem, vt certum habeam, quòd se videret matrem futuram Dei: cùm enim eum haberet in anima ita vicinum: non videtur inferiori posse mercede à Deo honorari, quàm vt ex illa corpus suum efformet. Hæc eius præclara sunt verba. *Sapientia cælestis adeò mentem eius repleuit, vt de plenitudine mentis fecundaretur & caro, ac Virgo singulari gratia, eandem ipsam sapientiam carne tectam pareret, quam prius mente pura conceperat.* Insigni applaudite Bernardi sententiæ. Ita spiritu Deum complectebatur, vt necessariò consequi videretur, nihil aliud Deus faciet: & desiderans carnem assumere humanam passibilem & corpoream, Mariam ad hoc expectabit: & sicut intentione affectuque ita flaganti, quo pura potest creatura, illum cælesti sua concepit anima: ita similiter ventre suo purissimo concipiet incarnandum.

D.P.Chr. Ser. 143.

D. Bern. Ser. 9. ex paruis.

Quis meditatur Archangelum prostratum suam proponentem ei legationem, etiam Virginem vt Reginam adorantem: nam vsque modò nulla dederant Angeli hominibus signa adeò manifesta benignitatis? Extra controuersiam est, quòd tunc illam vt sibi superiorem

non agnoscebant, in quantum matrem Dei: nec enim erat, nisi dum dato consensu hæc verba proferebat: *Ecce Ancilla Domini* &c. sed propter virtutum donorumque multitudinem, quibus in anima sua illustrior effulgebat. Vnde affirmant SS. PP. dum hodie Christus Marcellæ hæc affirmat, factus Matris suæ Ecclesiaste: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud*: dicat Mariç felicitatem nō inficior, ex eo quòd mater me genuerit: porrò hoc adstruo: quod præclariori multò beatitudine colenda sit: quæ in hoc notatur, quod mea verba, perfectè compleuerit quàm quòd me Virgo Deum pepererit.

Gen. 29. II. Allegoria. Rationem mihi suggerit ad huius expositionem, quod euenit Iacob Patriarchæ ex interpretatione D. Bern. Iam nobis conspicuum est, quòd Labano seruierit, in laboris mercedem habiturus Rachel in sponsam, cuius pulchritudine rapiebatur: eo tempore quo dilecta sua in matrimonio sancto ex casta intentione frueretur, supponitur illi Lia formæ venustate tantùm dissimilis à sorore sua, quantum à serpente differt Angelus; tandem accepit illam sibi persuadens charissimam sibi esse Rachel. Quis non dolenter ferat, videre, quòd Lia demulceat blanditiis maritum suum, ipse verò ita eius obliuiscatur, ac si talis mulier in mundo non esset? Racheli afficiebatur, illam mente continuò reuoluebat, huic memoriam suam impendebat: videbatur iure merito hoc in malam posse partem accipere Lia, sed nequaquam, cùm ipsa probè sciret, quòd Iacob præcipuam laboris sui ac obsequij mercedem præstituerat nuptias Rachelis sororis suæ: quiescit igitur sibique gratulatur, quòd sub vmbra sororis suæ latens, eiusque intuitu marito perfruatur. *Amat Rachelem* (quis hæc nisi Bernard.) *Iacob, sed Lia supponitur ignoranti. Si de fraude queritur, audit non esse consuetudinis, vt iuniores prius tradantur ad nuptias.* Emphasim huius sententiæ in Virgine Maria intelligamus, ad cuius allegoriam hanc D. Bern. applicat. Quamuis Martha Redemptorem nostrum & hospitio & conuiuio excipiat opiparo, porrò sciamus, quòd si conuiuium admittat, eiusque domum ingrediatur: id in gratiam faciat Mariæ sororis eius, sibique Martha congratuletur quòd propter Magdalenam Saluatoris honoretur ingressu: sicut Lia Iacob propter Rachelem potiebatur. In Iacob Christum intelligimus; Rachel & Lia, vel Maria & Martha, anima est & corpus Virginis: hoc tamen discrimine, quod licèt in hoc Deum receperit,

D. Bern. Ser. 3. de Assumpt.

III. Christus intuitu Mariæ domum Marthæ ingreditur.

Matth. 12.

IV. Christus matrem suam non despicit.

D. Chr. Hom. 45 in Matth.

ceperit, & hoſpitio exceperit, eius tamen amorem, familiaritatem, communicationem, & ſpiritum anima corpori præripuerit. Hinc infero, in domo Dei parentelam carniſque propinquitatem ſolam, deficiente ſpiritu, flocci æſtimari.

Chriſtus in corona populi ſermonem habebat cæleſtem, inquirunt eum, & cognati, & Virgo Mater: indicatur hoc illi: *Ecce mater tua & fratres tui foris ſtant quærentes te.* Reſpondet graui ſatis vultu: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Nemo contemptum hîc adferat eius: qui matrem ſuam vt pupillam oculi tenerrimè diligebat: nam etiam iam ſpiritum emiſſurus omnium oblitus illius tamen recordatur: ſed reprimere volebat & inſtruere cognatos ſuos illam comitantes, ex tam inſigni conſanguineo ſibi plurimum attribuentes: parentela namque carnalis, ſi ſpiritus requiratur imitatio, vix vllam apud ipſam habet auctoritatem. Adſtipulatur nobis D. Chryſoſtom. *Tantam curam de ipſa facere videtur, vt cùm vel in crucē penderet, amantiſſimo eam diſcipulo commendaret: nunc verò non tantum ei honoris conferre videtur, quoniam fratrum, qui nudum hominem illum cenſebant, inanem ambitionem eijcere ſtudebat.* Vrget inſtantiùs punctum hoc idem D. Chryſoſtom.

Matth. 12.

IV. Chriſtus matrem ſuam non deſpicit.

D. Chr. Hom. 45 in Matth.

nuptias perpendens in Cana Galilææ: nam intercedenti parenti miſericordiarum pro vini deficientis ſupplemento, reſpondit: *Quid mihi & tibi eſt mulier?* Voluit indicare circumſtantibus ne ipſos otiantes manibuſque complicatis nec verbum aliquod ex ſuo conferentes, ſaltem quo remedium poſtularent ſuæ neceſſitati, ex aliorum tantùm ſupplicationibus, licèt ſibi adeò propinquorum, vt erat illi mater, omnem deponerent ſollicitudinem. *Quod ſi Mariæ nihil ſine virtute materna charitas erat profutura, longè minùs nobis patris, matris, fratris, filij bonitas, niſi aliquid noſtrum afferamus.* Beatiſſimam extollimus Mariæ ſortem, dum ad tantam prædeſtinatur Matris Dei dignitatem; porrò hoc deforis aduenit, gratiaque fuit diuina, & gratuita liberalitas: fidei eius præcellentia, obedientiæ, virginitatis, propria eius ſtudia, tanto Deum amoris vinculo innodarunt, vt eam ſuâ linguâ proclamet beatiorem, in eo quòd priùs mater illi fuerit in anima quàm corpore.

Ioan. 2.

D. Chrys. Hom. 20 in Matth.

Ad multorum confuſionem hinc inferamus, illos maximè Deo diſplicere, qui cùm illius officio deſeruiant immediatè proximi, ſoleant eſſe in virtutum exercitiis magis elongati: vt quotidiana nos docet per

mundum experientia. Testetur hoc subtili sua notatione D. Augustin. Dum Dauid minus prudenter & inconsideratè iniungit Ioab Duci legionum suarum primario, vt lustrum ineat totius populi regno suo subiecti, proferatque numerum eorum qui ad bella procederent, meritum à Deo accepit pestis supplicium: dumque Angelus cruento ferox gladio stragem populi prosequitur: Dauid erroris præteriti pœnitens diuinam studuit placare iustitiam: proinde sacrificium obtulit, atque in hoc aram emit ab Ornam Rege Iebusæorum aream: etenim Hierosolymis bona sua domusque habebat habitaculum. Admiratur hoc non parum Aquila Africana D. August. quòd in ciuitate Dei cultui consecrata, eius cognitione illuminata, habitaculo Sacerdotum & Rabbinorum: quid plura? in terra sancta, locum non inueniret Dauid erigendo altari suo aptiorem, quàm aream Gentilis idololatræ: quid hîc notamus mysterij? Rubore confunditur Israel: cùm enim affinis esset adeò promisso Messiæ ex familia sua oriundo: tamen virtutum exercitio sanctaque vita tantum abesset, tantaque morum obscuritate ignobilis, clara tamen in Dei cognitione eruditus: vt omnes longiùs ab eo dissitos quàm ipsos Gentiles & idololatras indicaret: vnde in eorum terra & terminis locum eligit ad temperandam offensam Domini iustitiam. *Aduertite fratres* (audio loquentem D. August.) *quia in Iudæorum terra, non inuentus est locus dignus vbi altare Domini poneretur: sed in terra gentium locus eligitur, vbi & Angelus videtur, & Domino altare construitur, & sic ira omnipotentis Domini mitigatur.* Quod etiam D. Chrysostom. considerat in Naaman Syro: Princeps etenim peregrinus & terrâ & professione, reuersus est ex Israel à lepra mundatus: dum illâ respersus & inquinatus manet Giezi, collateralis seruusque Prophetæ Eliseo sanctissimo. Quid ergo dicit? *Ille de Syria veniens quod desiderauit accepit; hic de Propheta exiens domo, plagam sibi de perfidia acquisiuit.* Vt opinor multos hæc dicens reuoluebat Ecclesiasticos, qui in domo Dei, nec non de mensa Dei prosiliunt vt primus Angelus, bellum illi superbiâ tumentes illaturi, eumque cum Iuda vendituri: alij verò à quibus habita ratione status, non tantùm exigit, esse solent & fideliores & gratiores.

V. Dauid cur emat aream ab Ornam Iebusæo.

D. Aug. Ser. 198. de temp. de plaga Dei.

4. Reg. 5.

VI. Sæculares confundũt Ecclesiasticos pietate.

Notandum. Explicat Caietan. Cardin. noster Ca. 4. Lucæ, in quo Euangelista proditorum refert Nazarenorum crimen: cùm enim patriotę essent Christo ex eiusdem cum matre illius

vrbis

vrbis municipes, in tãtam prorupeꝛunt audaciam vt enorme cogitarint Deicidium, dum
Luc. 4. Christum de montis vertice in ima præcipitare moliuntur, nisi ipse potentior illis, obicem posuisset: quia eo mortis genere occumbere non elegerat. Dicit igitur Caietan. totam reuoluamus Euangelicæ historiæ seriem: nec vllibi reperiemus à Pharisæis mortalibus notisque eius inimicis tale facinus attentatum, vt vel vestimenti eius filum læderent. *Lege vniuersam S. Scripturam Euangelicam, & nullibi inuenies fuisse Iesu iniuriam facti irrogatam vsque ad tempus mortis suæ, nisi à proprijs conciuibus.* Iniuriam, inquit, facti vel operis donec in horto plenam illis permisit manus inijciendi licentiam. *Hæc est hora vestra.*

VII. Nazarenorum ingratitudo.

Caiet. in c. 4. Luc.

Nec ipsi tales Christo iniurias intulerunt Gerazeni, qui vtpote auari & lucri cupidi, molestè ferre debuissent iacturam tot porcorum, quos diabolus illos ingressus præcipites ex eius consensu in mare dederat: accedunt tamen modesti, & verbis alloquuntur eum humanis, quatenus dignaretur de regione eorum excedere.
Matth. 8. *Rogabant eum vt discederet à finibus eorum.* Hic autem Nazarenos video (concludit Caietan.) quolibet momento permaxima de diuinis Christi manibus lucra recipientes, non iacturas, sed incrementum, non damna, sed commoda, qui tamen conantur eum corporis mulctare præcipitio. *Nazareni verò, nullam passi iacturam præcipitare conantur.* Etenim Deo viciniores & insignioribus ab eo cumulati beneficijs in benefactorem suum insurgunt reliquis inhumaniores. Idem Doctor perpendit, quod toto decursu Dominicæ Passionis quamuis ardentissimo amori suo valde breui, longo tamen, si pœnas tormentaque consideres, nullus surrexerit vitæ illius aduocatus, & præco testis innocentiæ. Apostoli ipso capto fugam capiunt, amici se subtrahunt vt ignoti, familiares turbantur non modicè, nec os aperire præsumunt. Sed paululum exspectemus, aliquis exurget fidelissimus & constantissimus illi defensor. Num fortasse Petrus? nequaquam: hic etenim illum se nosse negat. Iudas? multò minùs: ipsum namque proditor tradidit; Ioannes? nec hic: licèt illum taciturnus pone sequatur, & lachrymabundus: An Nicodemus & Ioseph? neutiquam: erant autem discipuli, sed occulti, *propter metum Iudæorum.* Iam mihi in mentem venit, quis causam eius tutor defendere laborauit. Quis nuntia misit, quis libellum supplicem Præsidi? ipsa Præsidis Pilati vxor. Testatur hoc Caietan. *Et no-*

D. Aug. Ser. 198. de temp. de plaga Dei.

4. Reg. 5. VI. Sæculares confundũt Ecclesiasticos pietate.

VIII. Tantum Pilatus & eius vxor Christum defenderũt.

notandum quòd nullus, nullave expendit minimum verbum in fauorem Iesu toto tempore Passionis nisi vxor Pilati, & ipse Pilatus, quorum neuter credebat in Iesum, sed ambo erant Gentiles. Pilatus eum proclamat iustum: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Idem potestatur eius vxor: *Nihil tibi & iusto illi.* Et quidem ambo Gentiles: ita vt propinquitatem cum Christo, sanguis animæ, non venarum, & stirpis corporalis, nobilitet: & si in vtraque omnium illi proxima fuit Maria, ratum stat & certum, quòd magis illam spiritualis quàm corporalis extulerit affinitas.

Matth. 27.

Discursus II. *Laudat Christus auditores verbi sui & obseruatores, in quo cæteros mirificè Virgo præcelluit: Vtilitates proponuntur, quas colligit qui debitè audit verbum Dei.*

FOrtis, efficax, viuus & penetrans ignis, & fulgur, est verbum Dei. Liberè potest anima in arenam descendere hoc armata, & sola (nec enim sola erit) eius cohorte tentare pericula, cum se cunctis viribus cognoscat esse superiorem. Lectulus Christi diuini Salomonis, & locus quietis eius dicitur à sexaginta fortissimis ex Israel custodiri. *Lectulũ Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios.* Hæret hîc Rupert. censet enim arma summæ non conuenire tranquillitati paciq́ue à Deo intentæ: vt autem huic dubio respondeat, aliud mouet ingeniosum, quo vtrũque soluitur. Cur in lege veteri tantus armorum apparatus antiquis illis permittebatur Sanctis & Patriarchis: semper etenim illos offendimus gladiis ferroq́ue armatos. Abraham occurrit nobis. *A cæde quatuor Regum.* Toto illo quadragesimali itinere populus Israel armis incessit grauis, illisq́ue se contra suos defendit bellator inimicos. Armis strident fortissimi Duces Iosue, Samson, Iephte, Gedeon, alijq́ue in populo Iudices. Idem notamus in Libris Regum: Saul rex primogenitus, Dauid eius successor antonomasticè vir dicitur bellator: *Multum sanguinem fudisti & plurima bella bellasti*: sic illi Deus. Nihil aliud resonant libri Machabæorum quàm bella bella, horrida bella, stratagemata actusq́ue heroicos, quibus nomen suum fore perpetuum tradiderunt æternitati.

Cant. 3.

Gen. 14.

I. Antiquis permissa fuerunt arma.

1 Paral. 22.

Nunc igitur notandum ex opposito in lege gratiæ, quòd vel semel tantùm dum Petrus exemit gladium Malcho seruo Pontificis caput si posset medium dissecturus, Magistrum suum

II. Nunc autẽ nequaquam.

suum alioquin capiendum defensurus, cùm æquum esse iudicaret, vt vitam Præceptoris sui gladio defenderet, ab illo tamen rigorosum illud audit præceptum. *Conuerte gladium tuum in locum suum.* Quis hoc capiat ô Domine: si prius fuerit hoc necessarium, cur modo nō, & multò magis dum præsens sic vrget occasio? Respondit: tunc illis fuisse arma concessa, quibus se à furore defenderent Gentilium, quos Deus populi sui Israel inimicos declarauerat; populus ille, inquā, ex quo carnem & naturam humanam erat assumpturus, quatenus tantæ seruetur incolumis dignitati: bella gerat offensiua & defensiua: Nunc autem sub lege gratiæ, cùm venerit iam ipsum Verbum Patris, nobisque sua verba reliquerit, hæc in locum venerunt armorum, & machinas bellicas suppleuerunt: sunt enim quibuslibet aliis fortiora: atque ad huius veritatis significationem, dum Petro gladij vsum prohibet, & dicit: *Ego sum*, tota corruit in terram turba armataque militum cohors, percussa fortiùs diuinæ linguæ syllabis, quàm emissis prostrata spiculis. Quid sentit Rupert.? *Et tunc quidem gladij, sicut iam dictum est, necessarij fuerunt, nunc autem sola necessaria sunt testimonia scripturarum: & ipsa inter eosdem gladios diuinitus prouisa sunt.* Subtiliori D. Ambro. stylo hanc enucleat historiam, attendens quòd in hoc Petri feruore, dum Christus illi significat modò tempus non esse defensionis, sed passionis, subiungit: *An putas, quia non possim rogare Patrem meum: & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* An tibi videtur quòd legiones Angelorum, & cælestium copiarum turmæ, si illis licentia concederetur; non descenderent corporis mei defensores? Adest D. Ambros. notansque quòd ad prima Christi verba omnes prostrati corruant: *Denique locutus est & ceciderunt retrorsum:* Christum introducit loquentem: *Quid mihi legiones Angelorum? quò cælestem exercitum? Vox sola Domini plus terret.* Excusatur, nec necessaria est turmarum defensio, vox vbi intercedit verbumque Saluatoris. Ipsa sola vox sternit inimicos, superat aduersarios, & vires eneruat. *Vox sola Domini* &c.

D. Chrysostom. robustiores prædicat Dauidis vires, descendentis in arenam, atque ad singulare certamen Goliath prouocantis: dum ex vna parte ipse primæ lanuginis adolescens, atque ex altera prodit Gigas quo nullus procerior: eligit iste quinque limpidissimos de torrente lapides, quorum vnum fundæ imponens, ita dextero Deo lapidem in fronte fixit aduersarij

Marginalia: Matth. 26. — III. Verba Dei locum supplent armorum. — Rvpert. l. 3. in Cant. — D. Ambr. L. 10. in Luc. de Iuda osculo.

uersarij, vt incircumcisus hic mente turbatus in terram collaberetur: Diu multumque inhæret illi quod antecedenter egerat Dauid, & quædam notatu digna verba pronuntiat. *Neque enim vulgari more proiecit lapidem, sed priùs dixit: Tu venis ad me in Dijs tuis: ego autem venio ad te in nomine Dei Sabbaoth: atque hæc locutus emisit lapidem: atque hæc vox veluti manu lapidem direxit in Goliath.*

D.CHR. Ho. *Periculosum esse adire spectacula & de Dauid.*

IV. Victoria Dauidis de Goliath verbis eius adscribitur.

Nemo victoriam robusto adscribat Dauidis brachio: quamuis ex eo Saüli proposuerit argumentum, quòd qui leones vrsosque discerpserat, certiùs gigantem interficeret: huius encomium victoriæ tribuatur eius linguæ, eiusque verbis, non verò manibus, nec brachiorum fortitudini. Operosum esse video, quamuis enim barbarus inimicus prodiret blasphemias multasque rationes euomens in Deum iniuriosas, Dauid tamen illa parui pendens, operibus hoc executus est quod optabat. Nihilominus constans sententiam suam tuetur D. Chrysostom. victoriam nequaquam manibus eius, sed verbis esse referendam. Verba igitur illius audiamus: *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum.* Si tibi aduersarius occurram in prælium, non meæ fido potentiæ, sed Domino exercituum: tantæque fuit efficaciæ in lingua eius nomen hoc, vt sola vox lapidem duxerit, manum direxerit, brachium confortarit gigantemque deiecerit superbientem. *Atque hæc vox veluti manu &c.*

Admodum eleganter idem prosequitur D. Chrysost. agens etenim de leproso illo, cui diuinæ manus suæ contactu vocisque imperio Christus salutem restituit, præclarè notat, quòd non solùm illum tetigerit: *Tetigit illum*, sed insuper vocem addiderit: *dicens: volo, mundare.* Quænam vrget necessitas, Domine mi, vt vbi omnipotens tua interuenit manus quasi in auxilium aduoces vocem tuam? si brachium solum non sufficeret, concedo; verum cùm ipsa sit omnipotentia, illum solummodo tangito; hoc etenim solùm sufficit; nec verba proferas in cassum: tua namque voluntas cuncta perfecit. Concinnè respondet: *Non ex quo tacta est lepra recessit, sed ex quo iußa.* q. d. Videbatur infirmitas diuino contactui quasi resistere, quando quidem imperet: *Volo*: loquatur igitur, & ilico lepra mundabitur. Nemo tamen crediderit in Deo minùs efficacia esse eius opera quàm verba: nam in illa simplicissima substantia omnia æqualis sunt potentiæ: sed tantam voluit verbis suis impertiri virtutem, talemque voci suæ tribuere auctoritatem: vt si spectes exteriora, videatur quòd ipsa

V. In Christo & tactus & vox operantur.

Matth. 8.

ipsa superet vox opera : cùm vtrumque sit in ipso diuinæ proprium Maiestati.

Super capita Apostolorum visibiliter descendit Spiritus S. quasi coronans primos illos prædicatores mundique præceptores linguis circumdans illos igneis. Quærit D. Greg. Magn. cur in linguis, & quidem igneis: primò facilè respondemus si dicamus: quia lingua maximè vicina est voci, vtpote eius instrumentum: Apostoli autem futuri erant instrumenta verbi Dei, nam vt illud mundo prædicarent, linguas illis mittebat; in secundo autem nodus est intricatus: in quem finem ignis? Descendissent illæ linguæ per modum suauioris pluuiæ, cui comparatur aduentus Dei: *Descendet sicut pluuia in vellus* ; roris serenissimi, vel aliæ materiæ aut formæ, quæ timori aptiùs conueniret quo tunc temporis corda tremebant Apostolorum, strictiùs compressa, quàm eorum corpora cœnaculi ergastulo conclusa. Sed non nisi ignis sit oportet. Rationem dat D. Gregor. *Quia omnes, quos repleuerit, ardentes pariter & loquentes facit : linguas igneas Doctor habet, quia dum Deum amando prædicat, corda audientium inflammat. Nam & otiosus est sermo Doctoris, si præbere non valet incendium amoris*: Arma Ducum expetebat Deus, quibus mundus Apostolis subderetur : ad arma conclamat cælum eiusque domus tumultu resonant vehementiori. *Factus est repente de cælo sonus*. Arma limata, gladij, lanceæ, sagittæ, futuræ erant eorum verba : vt illos ergo doceret, quàm efficacia futura essent, descendant linguæ igneæ: elementum ignis est nobilissimum & actiuum maximè inter quatuor elementa: cuncta namque consumit, & destruit : vt enim frigus hominum incendatur, & animæ diuini flagrent amoris incendio: quod vnicum Spiritus S. intendebat, rationes quærit, verba vult, linguas armat, in fortibus efficacibusque flammis significans fortes suas & efficaces operationes.

Ps. 71. — V. Apparent Apostolis linguæ igneæ. — D. Greg. Ho. 30. in Euang. — Act. 2.

In S. pagina, maximè verò in lib. Numeri mentio fit libri, cui præscribitur titulus *Liber bellorum Domini*. Liber hic methodum docet quâ milites armis induãtur: etenim ex calculo Abbatis Ruperti, nihil aliud hîc intelligimus quàm S. Scripturam, diuinumque verbum, quo mortis peccatique regnum euertitur. *Ergo Liber bellorum Domini, vniuersa S. Scriptura*: & statim: *Quod enim aliud continet vel agitur in Scripturis SS. nisi bellum & certamen verbi Dei ad destructionem peccati & mortis?* Vero verius est, inquit D. Augustin. in quodam tractatu, tanto conformi ingenio, quod quicumque audit

Num. 21. — RVPERT. lib. 2. de victoria Verbi Dei c. 18.

audit debitè verbum Dei: nullo modo possit dininam Maiestatem offendere. Mittunt Pontifices & Pharisæi apparitores suos vt Iesum caperent. Proponebat hic populo verbum Dei, & audito eius verbo ad suos reuertuntur magistros, complicatis manibus, taciti, rubore confusi, quòd virum talem apprehendere vel semel cogitassent, iisque à quibus missi fuerant, respondent: *Numquam sic locutus est homo.* Quis vnquam tantâ audaciâ potuit esse temerarius vt virum tantâ verborum eloquentiâ facundum in vincula conijciat. Huic congregationi interfuit Nicodemus discipulus nostri Redemptoris licèt occultus, & conuersus ad Principes Sacerdotum sic ait: *Numquid lex nostra iudicat hominem nisi prius audierit ab ipso?* Num fortè lex nostra patitur, vt inauditus aliquis condemnetur, nec locus illi detur defensioni? Iesum audite, ipse coram vobis loquatur, gratas eius sermonibus aures porrigite. Quod est hoc tuum ô vir sanctissime argumentum, vt quantocyus audiant Saluatorem? ita D. Augustin. Nicodemus vir erat morum probitate insignis, sibique persuadebat, quòd si loquentem audirent adamantina eorum pectora mitigarentur: vnde hoc ab illis requirit, certò sciens, quòd eius solius vox sufficeret quâ velut armis eorum vinceret duritiem, obstipa colla inflecteret; iramque moderaretur. *Sciebat enim Nicodemus, vel potiùs credebat, quia si tantummodo vellent eum patientes audire, fortè similes fierent illis, qui missi sunt tenere, & maluerunt credere.* Sic enim prudenter argumentabatur. Homines qui legitimè verbum Dei audiunt, fieri nequit vt illum offendant.

VI. Ve bi Dei efficacia.

Ioan. 7.

D. Avg. Ser. 47. de verbis Domini in Ioan.

Ingenij eiusdem D. August. fetus mihi manum extendit, audeoque pronuntiare sententiam, quâ sentit ipse, quasi beatum hîc esse qui piè, attentèque Dei verbum auscultat. In amorosa illa Marthæ querimonia contra sororem suam Mariam expostulantis, quæ constans à pedibus non erat discessura Saluatoris, vbi loquentem eum frequentiùs audiebat. *Audiebat verbum illius:* dixit Marthæ Dominus: *Martha, Martha, sollicita es*: cuius verba sic explicat D. August. Martha *tu nauigas: illa iam in portu est:* In medio hoc pelago te video curarum vndis impetitam: porrò Maria, in portu secura consistit. Quomodo in portu? si namque portus, quia securus est & nauibus & nauigantibus, symbolum est gloriæ, Magdalena verò hactenus in terra viuit; qua fide verum erit: *Illa in portu est?* Optima interrogatio. Sed numquid illa Dei verbo sedula intendit?

VII. Beatus dicitur Verbi Dei vt decet auditor.

Luc. 10.

D. Avg. Ser. 27. de verbis Domini.

tendit? hîc igitur quandam communicat inamissibilem animæ salutem: patriæque cælestis pignus hinc obtinet, quo nullum securius: dicatur ergo & merito: *Illa iam in portu est.*

D. AVG. Ser. 47. de verbis Domini in Ioan.

Ex prædictis constat mihi dubij alicuius solutio, cui multum insudarunt expositores: quarè D. Matth. excluserit ab arbore seu familia Christi Saluatoris tres Reges, Ochoziam, Ioam & Amasiam. Si in pœnam alicuius peccati: quis grauiora commisit quàm Salomon, tot à Deo cumulatus beneficijs, & in turpem postmodum lapsus idololatriam: Achab, Manasses humani & iusti damnantur sanguinis effusores: cur ergo homicidis illis gloriam non adimit progenitorum Dei, tres autem illos de catalogo expungit antecessorũ Redemptoris. Respondet auctor dubij Rupertus: quia tres illi inter Principes Israel cæteris magis refractoriè audierunt verbum Dei ex ore Prophetarum: illi igitur meis (inquit Deus) non adscribantur progenitoribus: atque in debitum tali culpæ supplicium adeò infame pœnæ subiaceant. Ipse nunc loquatur. *Qualem enim locum deberent habere inter parentes Domini hi, sub quibus nec saltem loqui licuit Prophetis verba Domini?* Eadem statera Deus appendit & carnem suam & verbum: & quicumque huic aures occluserit, illâ priuetur dignitate, quamuis illi ex successione debita. Proinde concludit: *Atque idcirco illi soli de memoria præsenti, de libro generationis Iesu Christi repulsi sunt: qui verbum audire, vel præcones verbi Dei viuere passi non sunt.*

Matth. 1.

VII. Beatus dicitur Verbi Dei vt decet auditor.

VIII. Tres Reges verbo Dei refractarij à Christi familia exclusi.

Luc. 10.

D. AVG. Ser. 27. de verbis Domini.

RVPERT. in c. 1. Matt. lib. 1.

Ingeniosè percunctatur Titus Episcop. Bostrensis circa Euangelium: *Cur muliere exclamante: Beatus venter qui te portauit: Christus Dominus intulit: quinimo beati qui audiunt verbũ Dei?* Domine: cur Marcellæ matris tuæ laudes inconanti in quibus tibi non parum gratificabatur, sermonem conuertis in laudem auditorum verbi tui? Anhelo ad dubij solutionem. Præsentes aderant multi Scribæ & Pharisæi, adeò auersi ab audiendo verbum Dei, vt illos, qui eius nomine vel verbum illis indicabant, æmuli persequerentur: vt constat ex Prophetis: vnde oportuit vt Christus verbi sui honori consulens, Matris suæ laudibus exponendis subsideret, & illis tamen non exclusis doctrinæ suæ propeneret dignitatem. *Conuenienti planè opportunoq; tempore hoc ab eo dictum est: quandoquidem non deerant per id tempus qui Dei verbum adeò non audiebant, verùm etiam in ius vocarent, palamq; condemnarent, qui audiebant.*

TIT. BOSTR. in c. 11. Luc. ex 1. Tom. Bibliot. PP.

IX. Christus compulsus est in cælum ascendere.

Subtilem pro more suo D. Bernard. proponat nobis epilogum:

gum: Impulerunt Dominum Iesum (si fari sic liceat) ad ascensum in cælum illi qui verbum eius in terris audire contempserunt: cùm ibi tantū perfectè audiatur. *Redit ad regionē sapiētiæ sapientia Dei, vbi omnes bonum & intelligunt & requirunt intellectu perspicacissimi, affectu paratissimi ad audiendam vocem sermonum eius.* Vt sapio sistit D. Bernard. aduertens quòd cùm Saluatori nostro deliciæ sint esse cum filiis hominum, ac proinde cum illis conuersatus sit quadraginta diebus iam à mortuis rediuiuus, & quidem sæpius illis apparens: *Per quadraginta dies apparens illis*: non tamen continuò & familiariter adhæserit: & huic obiectioni satisfaciens ait: *Rediit ad regionem sapientiæ* &c. Ne mireris, inquit, quod ad regionem sapientiæ ipsa Dei tendat sapientia, *Vbi omnes bonum & intelligunt & requirunt, intellectu perspicacissimi* &c. cùm autem hoc in terra desit talesque non sint hîc auditores: ad regionem migret sapientiæ.

D. BERN. Ser. 3. in Ascensio.

Act. 1.

Discursus III *Duo illi nobiles Patricij Templum D. Virgini extruxerunt, signo præcedente miraculoso: quia licèt non in his sanctis & diuitibus, tamen in mundanis hominibus miracula requiruntur, vt aliquid ad Dei faciant honorem.*

NEmo facilè comprehendat quàm fortiter cor humanum premant & comprehendant diuitiæ, talique modo illud aggrauent, trahantque ad centrum, vbi à sole generantur, vt multis sint obstaculo ad gloriam, quando verò diues illas ad Dei gloriam extendit, omni dignus est encomio. Beatissimus ille Princeps Publicanorum Zacchæus, staturâ pusillus, spiritu tamen ita feruens, vt ad primam visitationem, quâ Christus domum eius dignatus est, intelligens, quòd talis hospitis ingressus, in receptore vitæ requireret emendationem, illi ait: Domine: *Dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Actionem hanc tanta laude dignam expendit his verbis D. P. Chrysolog. *Iste se victurum credidit esse post mortem; qui dimidium bonorum iam futuram transmittit ad vitam*; dum illa manibus confidit indigentium. Cupio doceri

Luc. 19.

D. P. CHR. Ser. 54.

I. Auari diuites de cælo nolunt audire.

doceri, ô Doctor sanctissime; fortasse dicit Euangelista, à Zacchæo negatum hunc fidei articulum; *Vitam venturi sæculi*? Nequaquam: quâ igitur de causâ dicis: *Credidit:* argumentum hoc est eius quod non credat. Iá patet dubij solutio ex dicto Præsulis Rauennatis Chrysol. diuites enim ita vitæ præsenti addicti inhęrent, vt alterius non recordentur, nec de ea cogitent: vir autem opibus abundans, qui tanta promus liberalitate illis se denudat & expropriat, alterum expectat sæculum: auri namque cupidi nec illud desiderant, nec præstolantur, nec audire placet talem vitam inueniri. *Iste se victurum* &c.

Marc. 10.

Christum Iesum conuenit adolescens *multas habens possessiones*, eumque interrogat: *Quid faciendo vitam æternam possidebo*? Respondet illi Saluator eius zelans perfectionem: vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me: Amen dico tibi: *Habebis thesaurum in cælo.* De hoc responso obstupuit Victor Antiochen. quia vix vmquam Christus ore suo nomen assumpsit auri, vel argenti, nisi per metaphoram, illud appellans spinas: vt legimus in parabola seminantis. Quomodo ergo nunc nominat thesaurum: qui nihil aliud significat, quàm bonorum cumulum temporalium?

Luc. 8.

II. Adolescentis taxatur auaritia.

Sic loquitur vt iuuenem à sua retrahat auaritia, per circumlocutiones: aduertens autem illum argento, auroque inhiantem, quodque animam haberet opibus inuisceratam: quatenus eius cogitationem mentemque ad altiora promoueret, non illa appellat cælum, aut gloriam: quia tales illam nec sperant nec desiderant, sed thesauros: nam intelligens illud modo terreno, ad gloriæ desiderium excitaretur: aliter enim factu hoc erat impossibile. Hæc eius sunt verba: *Rectè sapienterq́; Christus hoc loco non vitæ æternæ, sed thesauri meminit, quandoquidem de pecunijs erat sermo.* Cui subnectit: dato quòd venerit animo perfectionis acquirendæ, & Christi consilium exequendi, atque syncerè sciscitatus sit: audito tamen, vade, vende quæ habes & da pauperibus; brachia illi exaruerunt, cordis alæ conciderunt, flagrantiaque proposita deferbuerunt. *Qui contristatus in verbo abiit mœrens*: abiit nimirū sepultus tristitiâ; tu iudica, quid fecisset, si thesaurum illi non nominasset. *Vna illa voce adeò consternatus fuit, vt de vita sempiterna nec cogitare quidem potuit, sed tristis mœrensq; statim abierit.*

VICTOR ANTIO. in Marc. 10. Tom 1. Biblio. PP.

Eloquentiæ flumen D. Cyprian. consilium præbet, vt fideles feruente persecutionis æstu, quâ Ecclesia illa tempesta-

te grauissima iactabatur, venditis vel relictis patrimoniis secederent cederentque tyrannorum immanitati: verbis his notatu dignissimis. *Qui patrimonio derelicto idcirco secessit: quia non erat negaturus, confitetur vtique si & ipse esset detentus.* Qui relictis facultatibus domoque fugam init, idcirco secedit, quia dato quòd caperetur certissimè Christum eiusque fidem non eiuraret. Dixerim ego sequi debere contrarium: si namque secedat quæratque latebras; metus arguitur, pusillanimitas accusatur: & ad primam cruciatus interrogationem, vel minarum terriculamentum negabit; saltem fugâ suâ præbebit occasionem tale de illo ferendi iudicium. Non negabit, respondet D. Cyprian. ille facultates suas non deseruit, *Patrimonio derelicto?* non egressus est ab auaritia? Cùm igitur inimicum patiatur minùs fortem, & sine radicibus in terra, quibus illi desideria ad cælum perturbentur: hæc taliter illi spiritum animumque ministrabunt: vt licèt videat equuleos, nouaculas, gladios, crates ferreas, & ignitas, constans perseuerabit, nec aliquid illum poterit à pio fidei proposito deterrere.

D.Cypr. Lib. de lapsis.

Ingressus Christus templum, cernensque domum orationis basilicam factam esse mercatorum, forumque boarium; zelo flagrans diuino flagris arreptis omnes de templo eliminauit. Hîc notat D. Chrysostom. *Tunc præcipuè cogitauerunt eum occidere, dicentes, si populus habuerit istum Deum: dimittet consuetudinem hostiarum, quæ ad nostrum pertinent lucrum.* Auaritia sic illos depresserat, tantumque à cælestibus aberat cogitationibus; vt sacrilegium concipiant non leuius quàm, proh nefas! Deicidium.

D. Chr. Ho. 90. in Imperf. Matth. 21.

III. Auaritia signum damnationis.

Asserit D. Cyprianus auaritiam inter alia vitia fortius hominem trahere ad infernum: & Iudæ proditoris notans auaritiam infert vt infallibilem eius damnationem. Ille non nisi pecunijs auarus inhiat? Ergo magistrum suum Deumque vendet. *Vsque ad mortem Domini amor lucri se ingerit, nec vitæ Saluatoris quæstus desiderium parcit.* Hinc est quòd cùm auarus ita demergatur viuatque in profundo, atque à Deo tantopere elongatus: Deus autem altissimus sit: dedecori sibi ducat, quòd prope illum eique coniunctus videatur. Acumen admirare D. P. Chrysolog. agens quippe de conuersione D. Matthæi, insigne detegit mysterium quoad modum vocationis illius. *Cùm transiret Iesus*: transeunter vocauit illum. An ergo Domine non expediuisset vt firmiter stans & quiescens illum vocasses? nam

D. Cypr. De ieiun. & tentat. Chri-sti.

Matth. 9.

IV. Christus non vult auaris assistere.

vocare

vocare populum qui te sequatur idque leuiter & per modum transeuntis, quendam videtur vocati innuere contemptum? Respondet Chrysolog. & rationem mirifici præbet mihi conceptus. *In Christo fratres, transitoria est carnis iniuria.* Iniuria est, macula est, humiliatio est per Matthæi transire telonium. Quam per hoc Redemptor noster incurrit iacturam? aut quis potuit Diuinam Maiestatem infamiâ maculare? Hoc sentio: Deo decrescere videbatur auctoritas & inuri macula, si tanto tempore auaro videretur inhærere contiguus: si verò eius intendat conuersionem, fiat hæc transeunter & deambulando, non illi diutiùs adstet, non assideat, non quiescat: etenim apud illum minoris fiet qui viderit illum publicano auaro confidentem. *Transitoria est carnis iniuria.*

D. P. CHR. Ser. 40.

III. Auaritia signum damnationis.

D. CYPR. De ieiun. & tentat. Christi.

Scriba ille qui sequelam Christo promittebat. *Magister sequar te quocumque ieris:* quia pecunias sitiebat, & sibi persuadebat, quòd sub vmbra Saluatoris nostri, tutus honores sibi cumularet & opes, hoc ab illo responsum accepit: falleris amice: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet:* proinde vade in pace. Quid hoc Domine, num illius promptum animum tesequendi sic inurbanè repellis? Quia auaritiæ morbo dedecoratur: & Christo non leue dedecus est sibi socium habere auri cupidum, vel transeunter. Prodeat modò Caietan. *Spem lucri tollit hæc responsio (vulpes foueas habent) & propterea animus scribæ ad quæstum insinuatur, meritoq; repellitur à societate itineris.* Nullo modo tales itineris sui comites admittit. Nec hoc adeò multum, imò & ipsi Angeli, si cadere posset in illos dedecus aliquod, adstare auaro verecundarentur. Proficiscebatur Balaam mercede conductus ad Balac Regem Moabitarum populo Dei maledicturus: occurrit illi Angelus: & cùm oculos haberet asina quibus eum videret cui insidebat, non habebat tamen ille quibus Angelum cerneret, licèt vt propheta haberetur. Quænam erit huius ratio? Ea quam ingenium depromit D. Augustin. *Magus dæmones videt, asina tamen Angelum videt, non quòd digna esset videre Angelum, sicut nec loqui digna erat, sed vt cõfutaretur Balaam.* Balaam Necromanticus erat, cum diabolo fœdus habebat, vt auarus, qui in terræ centro suas collocatas habet cogitationes: cùm igitur Angelus verecundus timeret, ne eum auarus videret, & ei apparere deberet exteriùs: elegit magis ab asina videri, quàm à viro facultatum

Matth. 8.

V. Scriba repellitur quia auarus.

Matth. 9.

IV. Christus non vult auaris assistere.

CAIET.

VI. Angelus non vult videri à Balaam quia auarus. Num. 22.

D. AVG. Ser. 103. de temp. de Balaam.

cultatum

cultatum auidissimo.

Hoc Deus beneficium præstitit duobus illis stemmate nobiliori progenitis Patriciis: cor illis & affectum expediens liberansque à terrenis, eosque dirigens vt illa diuino cultui, honorique B.V. Mariæ dedicarent, quæ de liberali Domini manu receperant. Beati diuites, ditissimi pauperes, diuites in possessione, desiderio pauperes: diuites & in tantum vt aurum vestrum & argentum à communi transiens valore & terrena æstimatione, ascendat in cælum & valorem habeat, quo digni sitis vt vos singulari sua B. Virgo honoret reuelatione. S. Cardinalis Petrus Damianus refert ad multorum instructionem pium animum Marchionissæ Guillæ matris Marchionis Hugonis: de qua narrat: die quodam in itinere diuertit ad quandam Ecclesiam, petiitque cuius esset nomini consecrata: Respondent incolæ: S. Mariæ pauperi (cùm enim esset & structurâ & censibus inops: hunc ei vicini titulum inscripserant) quo audito cor illi subsiliit, verbóque opus adiunxit Christiana sua nobilitate dignissimum. *Absit vt eam vocemus pauperem, quæ cælestis gratiæ genuit largitorem. Absit vt in terra pauperis sit digna vocabulo, quæ super Angelos eleuata diuitias possidet immortales in cælo.* Hoc templum pauperis nomine intitulatis; nomen hoc humile aures meæ horrescunt intelligere in domo supremæ cælorum Imperatricis: nequaquam hunc ferat titulum Regina cæteris altior, omnibus ditior: illa quæ bonum omnium mater genuit vniuersale. Et si hactenus talis fuerit, amodò telluris huius eam statuo heredem, & dominam, quæ meæ subiacet iurisdictioni: sum ego Virginis Sacratissimæ œconoma: ne Deus hoc patiatur vt diuinæ suæ matris habitaculum pauperculum appareat, eiusque ædificia præter modum humilia: palatium autem vnius ancillæ magnificum splendeat & sumptuosum. Extollit & meritò Sanctus hic animum adeò religiosum manumque liberalem.

VII. Liberalitas Marchionissæ Guillæ.

P. DAM. *lib. 7. Ep. 14.*

Quinimò in viris nostris illustribus alia mihi occurrit circumstantia, quod dicere sufficerit illis tantùm in somnis, nullo alio fortiori excitatore: iusto etenim sola diuinæ voluntatis sufficit insinuatio. Perpendit D. Ambros. quod S. pagina refert de Patriarcha Noë. *Fecit ergo Noë omnia quæ mandauerat ei Dominus*, id est ad amussim impleuit. *Iustus mandata accipit, seruus imperia. Hic amici censetur loco qui fecerit quæcumque exequenda ceperit: ille qui nutat obsequijs oneri seruitutis addicitur.* Ex prædictis colligo, quare

Gen. 7.

D. AMBR. *lib. de Noë & Arca c. 13*

VIII. In somnis admoneri signat prõptam obedientiam. quare communiter cælestis ille Legatus nuntia delaturus glorioso Patriarchæ Ioseph in somnis adfuerit, illoque dormiente. Si cor illi velit reddere paçatum non modicè commotum ex prægnanti sponsæ suæ vtero, cùm adhuc mysterium ignoraret, in somnis illi dubium aperit, & reuelat secretum. Matt. 1. *Hæc autem eo cogitante: Ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei.* Si fugiendum sit illi migrandumque in Ægyptum: *In somnis:* hæc omnia illi præcipiuntur: an non expediret vigilantem & experrectum admonere? Illi qui Deo adeò vicinus est, vt Ioseph, satis superque est somnus: hoc enim ex D. Chrysostom. didici. D. Chr. Hom. 4. in Matth. *Quia scilicet vir erat prorsus fidelis, & manifestiori reuelatione non indigens.* Quod Albertus Magn. confirmat: Alb. Mag. in Mar. circa desponsatam Ioseph. *Et quia facilis erat fidei & promptę obedientię, leui illuminatione vtpote in somno indiguit.* Celebret igitur Ecclesia diuitias opesque tanta fide, tanta pietate, obedientia tanta & velocitate impensas: cui sufficit ad confirmationem vel ipsa imago mandati, in mysterioso facilique somno.

Discursus IV. *Deo peracceptum est ædificare templa, erigere altaria, diuinum in Ecclesijs promouere cultum: vbi etiam agimus de primitijs, & decimis Deo consecratis.*

CVm templa sint Dei palatia in quibus firmam sibi sedem eligit: non autem vmbratica gloriæ suæ similitudo, velut in legis antiquæ tabernaculo: sed realiter adest præsens, suos defigit hîc oculos; Illis & gratissimus est qui studiosè laborant tantæ maiestati debitum promouere obsequium: etenim illo exteriori non parum ad reuerentiam homo prouocatur interior. Interpretatur D. Petr. Chrysolog. verba Psalmistæ: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Ps. 28. Ad templum adducite victimas, oblationes, hostias & sacrificia: perplacet namq; Deo amor operibus confirmatus: & ait: D. P. Chr. Ser. 10. *Cælestis Pater amorem sentit donis.* Innatum est homini ex Dei donis intumescere: Quocirca hominis magnificat oblationes: illis enim cor suum inuisceratum gerit, estque ferculum mensæ suæ dulcissimum. I. Ornatus pretiosior Deo gratior, quare? Agit Rupertus qualiter Ecclesia iuxta varias dierum solemnitates diuersis vtatur ornamentis. In Festiuita-

te Paschatis aulæa producit telasque pretiosas, calices ostentat aureos, vasa & pelues argenteas demonstrat, & hoc non ea intentione quasi diuinæ Maiestati, quæ purissimus est spiritus magis placeat aurum quàm vile terræ frustum; sed quia metalla terrena chariùs ab hominibus habentur, plurisque fiunt, anima & cor illa ex amore subsequuntur: dum autem Deo dedicant quod suo calculo maximi est valoris, suum Domino testantur affectum, qui illa magni facit suoque imponit capiti. Verbis eius intendite. *Pro diuersitate dierum, vel temporum ratione, interdum splendidior auro, & argento, lapidibus pretiosis pro posse fidelium singulis in locis splendet festiua deuotio, quæ cùm in sæcularibus ambitionis insignia sint, in Ecclesiasticis & diuinis rebus, pietatis officia sunt: non quia Deum qui spiritus est plus aurea quàm lutea, plus gemmata quàm nuda delectent corpora: sed quia homines, quod diligunt cùm Deo libenter offerunt, dilectione Dei quâ illud à se separant quidquid illud sit Deo pretiosum efficiant.*

RVPERT. *l.* 2. *de diuinis officijs c.* 23.

Proficiscebatur Abraham Patriarcha ex Dei mandato, cui in aperto campo (etenim in solitudinibus ac desertis fauores eius sunt plerumque frequentiores) beneficium hoc præstitit singulare, quo spopondit illi eiusque nepotibus terram quam pedibus suis calcabat, qui statim velut beneficij memor obtulit sacrificium, altare erexit, illudque Domino consecrans inde discessit. *Extruxit altare Domino & recessit inde.* Sic ipse legit: cur igitur tam velox locum illum deseruit? Vbinam poterat creatura præclariora sperare bona, quàm in eo loco vbi aram erexerat creatori? Satisfaciat dubio D. Chrystom. *Quia Deo locus ille segregatus & sanctificatus erat.* q.d. Ne fortè quis sibi persuaderet animam Patriarchæ affectu adhærere oblationibus, etiam corpore inde discedit locúmque deserit. Vtilissimam hîc video Doctrinam, quæ multorum arguat vanitatem, qui sacella ædificant, arcus extollunt: sed hæc omnia tot illorum insignibus plena, litterisque sunt insculpta, vt eis eorum Dominus datorque velut vocibus linguisque prædicetur: tantùm abest vt inde discedant, quin etiam ne locum deserant, in eorum conuertitur non eradenda monumenta deuotio, quæ soli par erat vt Deo famularetur. Etsi hoc modo nequaquam fiat, non est cui sit animus quidquam ad pauperis templi conferẽdi subsidium, ex eo cumulo quẽ mũdo nullo seruato termino, nec quidem parcus dedicat, consecrat vanèque consumit.

Gen. 12.

D. CHRY. Hom. 32. in Gen.

II. Abrahæ pius erga Dei cultum animus.

Ad lachrymas mouit hoc D. Pet. Chrysolog. Contemplatur enim

enim tres Orientis Reges Magos, id est sapientes: & talis est diues dum Deo quidquam consecrat: ostentantes pium affectum, de quo repleuerunt abiecta cunabula auro, gemmis, aromatibus, & suave fragrantibus odoribus: & doleo, inquit, quod nostri temporis Christiani, in eodem Domino credentes, non iam puero tenero infanti, & indigo, tam parui tamen faciant SS. altaria, & aras sacratissimi eius corporis: cùm enim parietes suos tapetibus ornent pretiosis, non illos ad lachrymas moueat pauperum aspectus Ecclesiarum: vnica vice nequit hoc explicare: quocirca terminos multiplicat Chrysologus sui doloris argumenta. *Doleo, certè doleo, quando lego Christi cunabula magos rigasse auro, & video altare corporis Christi Christianos vacuum reliquisse.* Quocirca vt auarum Deus hominis animum excitet, continuò remunerat præstitum sibi obsequium. Testetur hoc D. August. sententiâ quadam quæ pluribus æquiualeat. Abraham ab omnibus commendatur virtutibus vir insignis: sed caput attollit non reprehendenda erga hospites prodigalitas, quinimo (nec malè loquimur) in Deum, seruiendo pauperibus, obsequium. Vxor eius Sara filio sterilis erat, qui nodus sit quo mutuus colligetur amor heres bonorum ex asse, & æternus familiæ propagator, quo nihil pæne coniugibus est optatius. Voluit Deus ansam quandam arripere, quâ parentes filio posset exhilarare, tresque mittit Angelos, quos in domum suam recepit, ipse minister mensæ adstans, & antequam à mensa assurgant filium illi addicunt Isaac. Quis fortè dixerit: auferantur priùs mappæ, & ad egressum his lætis nuntiis recreetur, velut hospitalitatis soluto pretio. Nequaquam, sed fiat in instanti: In hoc mihi q.d. Abraham famulatus est si quis alius, & anticipatiuè ad integram obsequij eius impletionem, illi beneficium conferre prægestio. Confirmet hoc D. Augustin. *Et quia apud Deum infructuosa hospitalitas esse non potuit, statim pretium mercedis accepit. Datur filius seni, datur posteritas desperanti, accepit senectus, quod minimè potuit habere iuuentus.* Nullo expectato vlteriori tempore opus compensat charitatis, tribuens non expectanti filium.

Ex prædictis infert P. Dam. Cardinal. optimam consequentiam: perpendens collata à Deo Salomoni beneficia ob ædificatum ab eo templum, ob curam, diligentiam & expensas machinæ stupendæ, quæ miraculum orbis habebatur, auri copiam, parietes & pauimentum aureis stratum laminis. Si igitur domus

[Margin notes: Gen. 12. — D. Chr. Hom. 32. in Gen. — II. Abrahæ pius erga Dei cultum animus. — D. P. Chr. Ser. 103. — III. Abrahæ hospitalitas citò rependitur. — D. Aug. Ser. 88. de temp. — IV. Ædificatio templi Deo pergrata.]

mus ædificatorem quæ tam exiguo ſtetit tempore, ſæpius illam deſtruentibus Chaldæis, & tandem vt ne veſtigium eius aut vlla ſupereſſet memoria Tito & Veſpaſiano Romanis Imperatoribus tantopere honorauit, ſibique teſtatus eſt ſummopere placuiſſe; quantò magis Deum ſibi reddet propitium ac beneuolum, qui Eccleſiam ædificauerit, in qua vſque ad mundi terminum Deus reali ſit præſentiâ habitaturus? Audiamus illationem. *Qui tantâ præcipiebat induſtriâ fieri tabernaculum, quod euacuandum in proximo nouerat: quantò magis ſibi vult Eccleſiam conſtrui, quæ vſque ad finem ſæculi ad ſalutem omnium gentium immobiliter perſeuerat.*

P. DAM. L. 8. Ep. 5.

Dum Deus templa deſerit deſerit & populũ. Inſignis hæc eſt Oecumenij ponderatio: explicat enim ſermonem à D. Stephano habitum in concilio Hieruſalem: *Demolietur locum iſtum*, vel, *deſtruet locum iſtum.* Hoc illos grauiſſimè habuit Iudæos: hinc enim ſuam inferebant captiuitatem, deſtructionem & mortem: nam ſi Deus è domo transmigret, iacta eſt alea, illos ciuitate ſimiliter locoque ſpoliabit. An ergo locus templo euerſo manere ſaluus non poterat? non poterat. Audiatur igitur Oecumen. *Multus ſiquidem illis de templo metus erat, vt qui etiam propter illum habitationis locum mutaſſent.* Hoc enim tunc illis vates præſagiit, quod poſtmodum ſibi euenisse luxerunt. Quia templum exſtat Hieroſolymis idcirco vos conſeruat, defendit, amplectitur & protegit: illo verò deſtructo & ad terram proſtrato, ipſoque domum ſuam deſerente: omnes vos veſtris plangetis domibus eſſe ſpoliatos. Cui hoc addit: Quicumque Deo negligens defuerit, nedum in cultu interiori, ſed etiam exteriori, primitias debitas non exſoluens: meritum eſt hoc illi ſupplicium; quòd Deus illum derelinquat. Hinc diuinum oritur oppignoratio, terræ ſterilitas, infortunia quotidiana quibus ſubiacemus. Attendant an hoc euidenter non prædixerit Vates Aggæus. Negligebant Iſraelitæ ſoluti à ſeruitute Babylonica ſtructuram templi, deſtructum hoc languebat & euerſum: & omne eorum ſtudium curaque propriis reparandis ædibus impendebatur. Et querimonias deponit apud Zorobabel: *Numquid non venit tempus domus Domini ædificandæ. Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras. Seminaſtis multum & intuliſtis parum, quam ob cauſam dicit Dominus exercituum?* Hanc ego vobis exponam, *quia domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam.* Huic tantùm ſolique incumbitis, vt opes filiis veſtris plurimas

Act. 6

V. Deſtructo templo populus deſtruitur.

Agg. 1.

mas

mas accumuletis, domus Domini prorsus obliti. *Propter hoc prohibiti sunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum.*

VI. Qui decimas non soluunt fures sunt.

Sigillum his finemque imponat D. Augustin. verbis etenim grauissimis latronem appellat sacrilegum eum qui vsurpat, vel non soluit templis eiusque ministris primitias & decimas: cùm ex illis alantur. *Nosti quia Dei sunt cuncta quæ percipis, & de suo non accommodas rerum omnium conditori? Non eget Dominus Deus, non præmium postulat, sed honorem. Non de tuo aliquid exigit quod refundas. Primitias rerum & decimas dignatur petere & negas auare? Quid faceres si nouem partibus sibi sumptis, tibi decimam reliquisset?* Vt quid auare nimis eius quod Dei est, te statuis Dominum cùm non sis? Primitias de te in signum recognitionis dignatur accipere? An non satis tibi liberalis: cùm enim ex decem partibus sibi nouem possit assumere, vnã solummodo expetit: quibus D. Augu. sententiam subiungit formidandam, quam diligenter attendant illi, qui soluere tenentur Ecclesiæ primitias aut decimas. *Hæc est enim Domini iustissima consuetudo* (quam nos quotidiana docet experientia) *vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimam reuoceris*, id est decimam tibi tollat bonorum, ad extremam redigaris inopiam, & vna ex decem, tibi pars sola remaneat. Concludo igitur cum D. August. *Decimæ enim ex debito requiruntur & qui eas dare noluerit, res alienas inuasit.* Longissimè à tali supplicio aberant templi Virginalis ædificatores! dantes quidquid habebant vt fideles dispensatores ad fabricæ constructionem.

Agg. 1.

Discursus V. *In Niue candidissima Virgo Maria suam declarat voluntatem: cùm nix proprium sit eius symbolum.*

IN ardentissimo Sole caniculæ depluit cælum niues, & candidissimam demittit eius lanuginem: signum omnino prodigiosum, sed Mariæ maximè proprium: quæ in monte niueo, locoque purissimo par est vt honoretur. Reuocat hæc mihi nix in memoriam, cuius proprietas censetur inter alias, pectoris accensi refrigeratio, ardorisque temperatio, singularem quãdam Virginis huius eminentiam, eoque in gradu quo dignitati eius conuenit, & nulli creaturæ hactenus concessum, vt ipsa aspectu suo visuque castitatem infundat: ita vt conijciens aliquis in Mariam ignis oculos ardentissimos, animum sibi

ſibi ſentiat refrigerari, ſuoque pectori velut Æthnæ flammas euomenti, ſuperinijci Libanum, in cuius vertice nix numquam deeſſe dicitur: *Numquid deficiet de petra agri nix Libani?* Explicet hoc Antiſtes Mediolanenſis. *Tanta erat eius gratia, vt non solùm in ſe Virginitatis gratiam ſeruaret, ſed etiam his quos inuiſeret, integritatis inſigne cõferret.* Adornat illam cælum duplici corporis & animæ pulchritudine: vt autem earum conſideratio clariùs innoteſcat: notanda veniunt verba Archiepiſcopi Florentini D. Antonini: *Debuit beatiſſima Virgo Maria omni laude digniſſima ab vtraque pulchritudine laudari, corporali etiam. Primò ad ipſius commendationem, vt naturam perficiat & gratiam augmentet: quia forma pudicitiæ eſt apta comes. Secundò, ad noſtram ædificationem, & deuotionem. Tertiò, ad Dominici corporis commendationem: quia non poteſt arbor bona & nobilis fructũ malum & ignobilem facere.* Prima igitur ratio, cur deceret Virginem duplici pulchritudine nitere honorem noſtræ ſpectat naturæ: nam Plato illam vocat: *Naturæ priuilegium*, vtque ſit gratiæ receptaculum: quæ licèt corpori non ſit annexa formoſo: porrò quando vnum comitatur alterum, velut amicæ ſociæque optimè conueniunt, dantque ſibi mutuo manus gratia & natura. Secunda eſt in ordine ad hominis deuotionem: cuius voluntas exteriori venuſtatis mouetur indicio. Tandem (ô raram Virginis excellentiam!) vt ex illa corporis Mariæ venuſtate colatur & extollatur corporis Dominici pulchritudo: quatenus vna ſit hæc omnium vox: optimè reſpondet talis fructus arbori tali & matri filius.

Hier. 18. — D. AMBR. De inſtitut. Virg. c. 7. — ANTONIN. 4. p. Theol. tit. 15. §. 2. — I. Mariæ pulchritudinis rationes.

Cùm igitur eius pulchritudo omnium eſſet gratiſſima, conſequenter in Maria conſiderata, caſtitatem producebat. Modò pateſcit mihi lepor ille quo Dionyſ. Carthuſian. explicat titulum illum inſignem, quo Spiritus S. illam vt ſponſam ſuam honorat. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Eſt Maria inter cæteras mulieres ſicut purpurea, albaque roſa inter ſpinas: eſſe namque ſolent ſpinę animæ pulchritudo, aliena tyrannus rapiens, qui momento temporis omnia ſibi ſubijcit: *Exigui temporis tyrannidem*, eam vocat Laërtius, ſenſus opprimit, cor deiicit, & animæ potentias ad malum captiuas ducit. Contraria huic & oppoſita eſt Mariæ pulchritudo: ſi namque poſt ſe trahat animam, per hoc puritatem in ea producit, ſi corda rapiat violenter, teſte cliente eius pijſſimo D. Bernard. *O raptrix cordium:* ſi oculos inuadat quibus inſpiciatur: in

Cant. 2. — II. Mariæ pulchritudo ad caſtitatem prouocabat. — D. BERN. in Meditat. ſup. Salue.

in radiis ſuis ardens amoris diuini cauſat incendium. Placet ergo audire D. Dionyſ. *Deipara Virgo tam intenſa caſtitate erat repleta, quod intuentium corda ſic penetrauit ſua inæſtimabili caſtitate virginea, quòd à nullo potuit concupiſci, imò potiùs extinxit ad horam eorum libidinem.* Caſtitatẽ intenſam appellat virginalem: quia moderatur, extinguit, interficit, mutat affectus, temperat appetitus, refrænat ſedatque animas. Eam ob cauſam cognomen habet myrrhæ. *Quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris.* Cuius fragrantia vitam adimit ſerpentibus, & præſeruat à corruptione cadauera. Habeo D. Bernardin. Senenſ. *Sicut myrrha odore ſuo occidit vermes: ita ſanctitas ipſius in alios radiabat, & in eis extinguebat vermes concupiſcentiæ carnalis.* Suauiſſimo nos recreet & dimittat epilogo D. Grego. Nyſſen. Pulchritudo, fatur, quæ diuina eſt ſecum quandam trahit maieſtatem, reuerentiam prouocat, & metum excitat: nam idcirco lectulum Salomonis ſexaginta fortes armatique ambiunt; *Lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt* &c. & cùm animam ſanctam à pulchritudine commendaſſet: *Pulchra es & decora filia Hieruſalem*: ſubiungit: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata*: eſt enim terrenæ oppoſita pulchritudini: quæ ſicut inhabitat terreſtres vileſque animas, ita terreſtres vileſque generat affectus: diuina verò, licèt ad ſui pelliciat amorem, attamen ad reuerentiam impellit: ſi conſoletur, metum ingerit: ſi miniſtret alas, remoratur. Hæc vltima ſint verba ex D. Gregor. Nyſſen. *Diuinam pulchritudinem habere aliquid amabile & contrarium corporeæ pulchritudini: nam hæc attrahit ad cupiditatem, & ad id quod eſt iucundum & blandum: pulchritudo autem illa eſt magni & excelſi animi, virtus terribilis, atque bellum gerit aduerſus carnem, quæ inimica eſt Deo.* O priuilegium omnino ſingulare Reginæ cælorum dedicatum, cuius virginalis puritas, virtus in ea erat animi prorſus diuini: ſecum arma deferebat, flammas ſedabat, & velut nix refrigerans temperabat, gratiam operabatur, cuius virtute gloria communicatur nobis æuiterna: *Quam mihi & vobis* &c.

D. Dion. Carthu. in Cant. c. 2.

Eccli. 24.

D. Bern. Senens. Serm. 5. de Natiu. Mariæ.

Cant. 3.

D. Greg. Nyssen. Hom. 6. in Cant. Lectulum Salomonis.

Additus. Discursus VI. *Communiter pauperes Deo sunt gratiores; hodie mulier quædam vulgaris extollit vocem suam & Christum defendit à Pharisæis blasphemiis impetitum. Auari sunt Deo diuites, mundo autem effusi: quocirca tantùm illi placent hi quia rari tales sunt, nam eis suam indicat voluptatem ad cultum Matris suæ directam.*

QVando Pharisæi, & Principes Iudæorum quoad laudem Christi magis elingues sunt quàm mutus ille, cui iam loquendi Christus abstulerat impedimenta: quinimò in sacrilegas ora sua laxant blasphemias extollit vocem suam mulier: *Nec diues, nec nobilis, sed de communi plebe,* (inquit Hugo Cardin.) famula Marthæ hospitis Christi, & secundùm eius opinionem & nostri quoque Alberti Magni dicebatur *Stella*, aliorum autem *Marcella* : vnde binominis esse potuit. Perpendens igitur Doctor hic humilem subiecti conditionem, quæ quia vilis & abiecta coram tot diuitibus, blasphemis, potentibus, & potenter audacibus videbatur nec vnum posse verbum proferre : tantum abest vt ipsos timeat, parcatque verbis: vt etiam in præclarum Christi præconium effusam habeat orationem, inimicos confundat, animumque suum ostendat admodum generosum : atque affectu & operibus id dicit quod optimè themati nostro conducit. *Opportuno tempore fuit contra blasphemantes auxiliata : scilicet quando contra tumultum etiam obstrepentium vox clamoris sui fuit eleuata. Inter mulieres etiam ad benedicendum Christum singulariter fuit dignificata : & cùm esset fragilis sexus, terrore blasphemantium non est exterrita.*

HVGO CARD. Luc. 11.

I. Mulier hæc laudatur.

ALB. MAG.

Opponitur hæc illis qui in mundo potestate valent & auctoritate; nam quantum se mũdo immergunt, tantum amittunt velut essentiam suam, eoque modo mutantur, vt communiter in diuinis obsequiis auari sint & parci: magnifici verò & liberales in eis quæ negotia spectant humana. Redemptor noster paucis ante mortem suam diebus Hierusalem ingressus est apparatu pompaque adeò solemni, vt talem mundus numquam sit visurus : SS. PP. multas hîc notant circumstantias, mysteriis refertas hanc præcedentes actionem. D. Chrysostom. inter reliquas hanc aduertit. Vocat ad se Saluator ad ingressum adeò honorificum, duos de discipulis suis eisque præcipit vt currum præparent imperialem eique adducunt, animal

II. Ex hac historia aliquid discimus.

animal nimirum stolidum, asinum: alligatum eum inuenietis, inquit, ad ostium dominorum: *Soluite & adducite mihi* : quasi potestatem habentes dissoluite illum : & si quis inhumanus fortasse vos perturbet, meo nomine dicite illi : *Dominus his opus habet.* D. Chrysostomus igitur quandam hîc profert sententiam, quæ moram præsenti iniiciet argumento. *Illud discimus etiam quomodo nemo tunc Apostolos, ne adducerent iumenta, detinuit.* Ex Euangelio discimus aliquid: nam Spiritus S. calamum direxit, quo SS. Euangelistæ illud scripserunt. Videamus quod illud sit vt tantum extollatur. Non aliud, quàm quòd Domini tam liberaliter permiserint Apostolis animalia abducere, quibus Magister eorum triumphans Hierusalem erat intraturus, insideret. Apparet modò difficultas. In hoc igitur quod fecerunt, vt tantum exaggeretur, & dicat D. Chrysostom. quod de fide sit, & legatur in Euangelio: *Illud discimus?* Sed iam illud capio, & credo, coactus tantùm ex veritate euentus: dum enim parcam supra modum hominum noui conditionem, in ordine ad Dei seruitium, vix mihi persuasero inueniri hominem, qui modico licèt tempore, Deo præsentet vel abiectum animal, cui insideat vrbem ingressuro. *Illud discimus* &c.

Matth. 21.

D. CHRYS. Hom. 67. in Matth.

III. Asinæ dominorum liberalitatem.

Hinc D. Chrysosto. spiritum capit & argumentum, quo deplorabat id, quod ea tempestate Constantinopoli fiebat, cui Patriarcha præsidebat, & postquam hoc non sine grauissimo cordis dolore dixerat, hæc adiungit: *Non vides quot, quantaque hi, qui se munificos appellari volunt scortis in theatro largiantur? Illorum tu nec centesimam quidem partem dare sustines. At quando diabolus quibuscumque obuijs dare iubet, etsi huic rei gehenna immineat, iucundè tamen illi obtemperas.* Quantum sapio Propheta erat, & id, quod in mundo futurum erat, præsciebat, potissimùm in vrbibus Hispaniæ nostræ populosis, in diuitibus & potentioribus. Quis vel effusissimis orationibus exponat iura primogenituræ perdita, facultates, censusque dissipatos, patrimonia nobilium, & potentiorum omnino consumpta : qui cùm tum liberales, & promi sint quoad temporalia & mundana, excusationes allegant impossibiles, & impossibilitates exaggerant, quando supplicatur pro remedio pauperis, leuamine indigentis, fabricâ templi, & domo orationis: in his sunt auarissimi : verumtamen notate: *At quando diabolus quibuscumque obuijs dare iubet* &c. Ad vanam ostentationem, ad sumptus inutiles, ad recreatio-

IV. D. Chrysostom. deflet hominum auaritiam erga Dei cultum.

nes, pompas, ludos, non parci, non timidi ruunt in expensas, ita vt equi ephippium multis annis oppignoretur. Sed ne pias offendamus aures, & lachrymas eliciamus hęc audiētibus, omitto verba vulgari reddere idiomate. *Quanta scortis in theatro largiuntur:* cùm toties altis doctissimus experientijs tales cum scortis effusiones & inhonestis mulierculis prodigalitates, qui fascinati & absorpti veneno suaui, sed lethali, ac mortifero eas de loco ad locum insequuntur, domos suas relinquentes, Regnum scandalizantes, sibi conquirentes non gloriam, non celebrem famam, quam parentes egregiis suis facinoribus sibi lucrati sunt; sed per ipsa infames, perpetuam apud Deum & homines ignominiam. Gradum siste ô vir nobilissime, refręna te, nec leuis adeò procurre, in animæ tuæ perniciem ita publicè & inuerecundè. Considera maculatam tuam progeniem, vitam tuam adeò incertam, corpus tuum morbis oppressum intolerabilibus, animam tuam periculo damnationis expositam: tollat hoc sibi Deus, quod dæmoni victimam offers: participent egentes iis, quæ in domo tua supereffluunt, & vt ait D. Gregor. Nazian. te Deum facito Dei misericordiam imitatus. *Fac vt calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando.*

Nota: V. Et liberalitatem erga vanitates mundi.

Nazianz.

Ne sileamus verba D. Asterij Episcopi Amas. multorum diuitum arrogantiam improbantis: nam stultè iudicantes diuitias quas possident, esse sibi proprias, illas laxis habenis & effusè nimis dilapidant: nec attendentes se tantùm Dei œconomos esse, cuius pedibus, vtpote Domini principalis cuncta oportet vt subiiciantur. *Cùm aliquos audio dicentes, prædium meum, ac domus mea, non possum satis admirari, quomodo quæ ipsorum non sunt, inani syllaba sibi vendicent, tribusq; fallacibus literulis aliena amplexentur.* Sapientiam non sapit nisi modicam ex ore Christiano audiri: hæc hereditas mea est, huius palatij sum ego Dominus: & tribus litteris, iisque mendacibus *meum* diuinam sibi copulant auctoritatem: ex quo procedit, vt sicut se duos censent absolutos, non Deum, auari sint Deo, sibi verò profusi.

Asterius Hom. de Oeconomo iniquitatis.

VI. Non licèt dicere: hoc meum est.

In decantatissimo illo Cantico post transitum sicco pede maris Rubri celebrauit Moyses totusque Israeliticus populus diuinum beneficium quod oculis spectauerat. *Cantemus Domino* &c. Hîc pedem parumper figo: nam quod in vulgata nostra legimus: *Iste Deus meus & glorificabo eum*, legit Oleaster noster ex Hebræo: *Iste Deus meus, tugurium ei faciam.* Iste Deus meus, inquit Israel, qui potenti manu

Exod. 15.

Oleaster.

Nota.

manu eduxit nos de Ægyptiaca seruitute. *Tugurium ei faciam.* Huius nominis significatio iam patet: est enim casula paruis impendiis extructa, super quatuor stipites erecta, vel tentorium militare, non stabile, sed semper & facilè mobile. *Tugurium faciam ei*(inquit Lusitanus Oleaster) *quod est tabernaculum conueniens ei, qui per desertum incedit, neque habet stabilem mansionem.* Ad mores trahit nos, nobisque consulit, gratitudinem pro receptis à Deo beneficiis hîc declarari templa frequentādo, vel noua erigendo, vel destructa reparando, tandem in eius cultu se liberalem exhibendo. *Ornanda sunt Altaria, Templum construendum, & omnia, quæ ad eius cultum pertinent, multiplicanda & decoranda.*

VII. Notatur Israelitarum ingratitudo.

VI. Non licèt dicere: hoc meum est.

Sed argumento meo consonum est nomen *Tugurium*, cuius vis, ac radix, intentum meum confirmat: si nempe vno verbo dicamus: adeò proprium homini est erga Dei Maiestatem parcum esse, vt Israelitæ, tot licèt fauoribus oppignorati, clamante hoc S. pagina, gratitudinem suam Deo testificaturi, non regale palatium, expensis insigne, firmitate diu permansurum, sed humile erexerint tugurium: quo tamen illi se multum fecisse gloriati sunt, & hæc illa est ex parte eorum maxima glorificatio. *Iste Deus meus, & glorificabo eum, Tugurium ei faciam.* Quod licèt rigori litteræ parum conueniat, grauiter tamen expendit humani cordis vilitatem & auaritiam.

Exod. 15.

Innatâ sibi elegantiâ D. Petrus Chrysolog. duos comparat euentus, ex antiquo testamento vnum, & ex nouo alterū. Moritur Moyses Dux & liberator inclytus, populi Israel, cuius virga & manu manus diuina prodigia effecit insolita, flagellatur & dolet Ægyptus, & tātis eius beneficiis obstrictus Israel iustè eius deplorat abscessum (etenim iusti discessus & absentia est vniuersalis) hærent duodecim tribus, non progrediuntur in mansionibus suis, ac stationibus exequias eius celebrant, non apud eius sepulchrum, locum enim ignorabant: quandoquidem dicat textus: *Non cognouit homo sepulchrum eius:* Quid plura? *Fleuerunt eum filij Israel in campestribus Moab triginta diebus.* Modò mortem Saluatoris nostri perpendamus. Quando concussa terra & cælestium orbium vacillante fortitudine, sol tenebris obducitur, nigroque amicitur peplo, aperiuntur monumenta, saxa diffinduntur, quasi Deo suo & Apostolis vrbana, quibus si vel vllis conueniebat Magistri suis pœnis mortique condolere, cuius absentia tristem gloriæ eorum eclipsim induxerat: tam modico tempore

VIII. Moyses lugetur 30. diebus, & Christus vix tribus.

Deut. 34.

re luctus ille perseuerat, tamque citò diffidunt, vt ipso die Resurrectionis eius gloriosæ, describat D. Lucas duos ex discipulis eius, quasi numquam illum cognouissent, animo & spe omnino deiectos. Adest modò D. Petrus Chrysolog. Triginta dies populus Israel luctibus insumit, defletque Moysen mortuum: Christum autem vix triduo dolent occisum. *Moysi mortuo assistunt Angeli, agit sepulchri curam Deus ipse, Iudaica castra sistuntur, dissimulatur iter, horrida eremi statio duratur, indicitur triginta dierum planctus, & longo lamentationis obsequio seruile funus honoratur, & Christus verus vnus Dominus, Creator rerum, Redemptor omnium post illam tragicam passionem, post mortem & mortem crucis, triduanas à discipulis lachrymas non meretur?* Tantam admiratus obliuionem, & lachrymarum parcitatem D. Petr. Chrysolog. calamum suspendit, nec intulit consequentiam, quam ex horrore, & humanæ ingratitudinis detestatione ego inferrem. Tamdiu lugetur Moyses, non lugetur Christus: Moyses enim tantùm homo erat, Christus autē Deus & homo. Et homini magnati, viro primario amplissimas ostendunt homines planctus demonstrationes: illi autem, qui & Deus est ita sunt auari, vt nec quidem tenero affectu sint liberales. *Et Christus triduanas à discipulis lachrymas non meretur.*

Luc. 24.

D. P. CHR. Ser. 83.

IX. Heu mortalium ingratitudo!

Quia verò Deus dissimili nauigat ductu, numquam brachiū illi fuit contractum, aut manum habuit aridam (etenim de terrenis Regibus) licèt alio sensu, cecinit Poëta:

An nescis longas Regibus esse manus?

Trutinemus illud vnica sententia quæ pluribus æquiualeat, & robur addat argumento cùm patrem agnoscat acumine ingenij præstantissimum D. Petrum Chrysolog. Inuenit Sanctus hic ante SS. Sacramenti institutionem conuenientiā quandam, seu debitum tanto nobis conferendo beneficio conueniens: quo nimirum Christus nobis in certissimam amoris sui erga nos tesseram, pignus hoc tradidit, quale vsque modo non dederat: *In quo* (iuxta Sacrosancti Concilij Tridentini iudicium) *omnes diuitias sui amoris effudit.* Doctor hic igitur perspicacissimus notauit, quòd Saluator noster se homini oppignorauerat, quo singulare illi conferret donum: supposito natura & liberalitate Dei: hoc ergo sollicitè intēdens, descendit ad septimum caput D. Lucæ, in quo legitur: *Rogabat Iesum quidam Pharisæus vt manducaret cum illo, & ingressus domum Pharisæi discubuit.* Rogabat

CONCIL. TRIDENT.

Luc. 7.

bat instanter, & importunis precibus Christum, vt dignaretur domum suam accedere, & mensæ conuiua assidere, & pietate inuitantis commotus (si tunc eam ipsi adscribimus) epulas acceptauit, ingreditur, mensæ accumbit, & pane vescitur. Mysterium attendite: Deum contemplor ad hominis mensam recumbentem, eiusque manu cõuiuium acceptantem: hinc constanter infero: veniet tempus, quo seipsum in alia mensa præbebit in cibum. Quæro à D. Petro Chrysologo (priusquam eius audiam solutionem, vt vnica vice totum dicat eâ, quâ solet breuitate verborum) vnde hæc infertur consequentia? Quale notat antecedens, vt inde futurum hoc colligat? Respondebit mihi ex illo, *Discubuit*: Deus semper largitur vt Deus, & quando obsequium aliquod à miseris nobis acceptat hominibus, hoc eo animo fit, vt nobis diuina rependat hoc effusione. In aliena pascitur domo (quamuis omnia sint ei propria) seruitium sibi oblatum dignatur accipere: ergo stat animo, & aliud refundere, adeò distinctum ob dantis Maiestatem, vt seipsum effundat: nec minori amor eius acquiesceret, nec præclarissimo eius procedendo modo foret satisfactum. Loquatur ipse: *Semper Deus maiora tribuit, quàm rogatur: nunc se manducandum dedit, qui rogabatur, vt manducandi secum fiduciam largiretur.*

X. Christus panem manducat, vt se panem tradat manducandum.

Chrysol. Ser. 95.

Ex prædictis colligo: quotiescumque Deus à nobis postulat, atque de manibus nostris quidquam dignatur accipere, reddit illud nedum melius: sed id ipsum ad nostram conuertit vtilitatem & salutem: ex quo mundi huius potentiores & ditiores, proprio ita inhiãtes lucro, suam possent extendere parcitatem, sed auaritia ita illos obcæcat, & opes grauant, vt nec oculos aperiant, nec oppressum attollant animum. Quo corde intrare potest in Deum, vt decet, erecto, diues in templum pauperrimũ, obscurum, in quo altaria mappis & debito non fulgent ornatu, imò his nuda squallent, ipse tamen domi suæ pretiosa cernat stragula, vasa aurea & argentea, scrinia eleganter elaborata, nec diuino tamen subueniat cultui per defectum plurimorum, quæ in ædibus suis superabundant? Non sic moderni nobiles Patricij: hæc enim sollicitudo Catholica eorum vrgebat pectora, quâ ratione hoc Dei cultui consecrarent, quod ab ipso receperant: quorum affectus ita Deum deuinxit, vt illos in somnis alloqui dignatus sit, suam illis declarans volũtatem: & ita Deo suas deuouent facultates. Qui viuit Deo testamentum condens, quando templum est ingressurus, ab ipso diuino

XI. Diuitum auaritia.

 uino

uino cultui erectum: totâ fiduciâ gratissimum sperare poterit suis precibus responsum: si igitur quidquid Deo tribuimus nobis cedat ad vtilitatem, alacer præsumat, & humilis arroganter se extollat: quòd si Deo domum extruat, domum ei Deus retribuet: si Deus locum designet in quo eius celebretur gloria, hoc ea mente fit, vt gratias suas liberalis pro more suo & natura largiatur.

Voluit Deus, postquam iam sui notitiam, legemque dedisset Israeli, cum illis viuere multò familiariùs: eo fine præcipit Moysi domum sibi construi licèt de loco mobilem, & tabernaculum portatile, vsque ad tempora Salomonis: iubet institui ad domus fabricam eleemosynarum collectionem, quas Dei sui cultores munifici præsentarent. Notat autem Oleaster, hæc omnia ad maiorem eorum cessisse felicitatem, cùm iam gratiæ Dei pignus haberent eminétius: cuius habitatio populo potiùs, quàm sibi prodesset. Do vobis eius verba: *Præcipit Dominus hic colligere ea, quæ ad tabernaculum faciendum erant necessaria, qui disponebat cum eis familiariùs conuersari, & volebat domum apud eos habere.*

Exod. 25.

OLEASTER in c. 25. Exod.

Hodie templum ædificari iubet, sed in obsequium cultumque Matris suæ, quo se disponit nobiscum familiariùs agere, nec oblatas sibi hîc à fidelibus preces repellere inauditas. Tabernaculum diuinum passim à Doctoribus Maria laudatur: & cùm sit terminus militiæ, & habitatio campestris, vbi militum exercitus se præparant cum hoste conflicturi, nobis hoc indicabit, quòd dum Deus in vtero virginali, velut in fortissimo, & diuino armamentario carnem nostram induit, per Mariam bellum nos defensurus nostris inferet inimicis. Eleganter dixit hoc Richardus, cuius verba discursus nostri seruient epilogo. *Tabernaculum est vterus Virginis: Tabernaculum propriè est militantium & peregrinantium: sicut enim miles pugnaturus armatur in tabernaculo, scilicet, vt armatus exeat ad conflictum; sic Christus cum diabolo pugnaturus pro sponsa sua exhereditata scilicet Ecclesia, in vtero Beatæ Virginis, velut in tabernaculo armaturam humanæ carnis sibi adaptauit, sicut ipsum ex parte generis humani rogauerat Psalmista, dicens: Apprehende arma & scutum* &c.

XII. Maria est Dei tabernaculum.

RICHARD. A S. LAVRENT. de laud. Virg. lib. 10.

CON-

CONCIO IN TRIVMPHO SS. ROSARII, ET BELLI NAVALIS VICTORIA CONTRA TVRCAM OBTENTA PER HANC PIETATEM ERGA NOBILISSIMAM, SEMPERQVE VIRGINEM MARIAM.

SALVTATIO.



RÆROGATIVIS Rosarij SS. Virginis, Matrisque Dei Mariæ festum dedicatur hodiernum: debita est gratitudo, debitique maximi solutio ob defensionem, quam eius patrocinio humilis recipisse fatetur Christiana Religio, quo superba Turcæ depressa est arrogantia bello nauali ad aquas Echinadas. Ab hostibus cuncti, & extrema passi Ephesini, teste Æliano ad templum Lunæ Deæ suæ tutelaris afflicti recurrerunt, auxilium deprecaturi: Lunam gentili ritu nomine & titulo colebant Dianæ, & columnis fabricæ ex iaspide varias attexentes vittas ac funiculos, illos inde ablatas per muros singulis disperserunt: quasi securi quandoquidem ex templo venirent, ipsos Diana Dea teneretur in suam recipere protectionem. Hodie vmbræ huius lux nobis apparet, & huius verisimilitudinis clara veritas: quandoquidem anno Verbi Incarnati 1571. Dominicâ primâ Octobris, quando Turca superbiâ intumescens, mare nauibus repleuerat, & orbis Christianus metu prostratus ingemiscebat, Confratres SS. Rosarij in solita sua supplicatione, sacris instructi funibus, vt sapio, se manibus innexuerunt SS. Virgini Diuæ tutelaris Ecclesiæ, Lunæ

Ælian. de var. Hist. lib. 3.

Lunæ pulcherrimæ: Quocirca suam aduertens epigraphen nempe Rosarium, causam in se vt suam suscepit, Christianis impetrans victoriam, quâ præclariorem mortales non sunt admirati: perfidissimi hostis depressit arrogantiam, strauit exercitum, nauesque turbinibus ad ima demersit innumeras. Animas illi in spolia dedicemus: & si eius benignitate prodigiosi huius triumphi vidimus effectum: ex eadem quoque spero gratiam, & verba, quibus illum dignè, riteque describam. Salutationem proferamus Angelicam. *Aue Maria.*

THEMA.

Liber generationis Iesu Christi &c. Matth. 1.

Discursus I. *Quòd Deus de familia sua peccatores non expellat, ratio ea esse dicitur, vt ea ipsa, quæ mater ipsius futura erat, fieret & ipsorum mater: cùm hoc illi ex progenie adueniret, vt esset nostra protectrix.*

EPigraphe hæc Deo propria est: saluare peccatores: videtur, quod quantum ad nos spectat, attributum innotesceat misericordiæ, humanis subueniendo calamitatibus: cùm autem peccati miseria sit omnium maxima, dum eam aufert, brachij sui vires ostendit potentissimas: quocirca matris eius cælestis genealogiæ peccatores inscribuntur. Primitias huius discursus obtulit mihi Albertus Magnus verbis optimè compositis, dum tacitæ respondet obiectioni, quam ignorans humana superbia diuinæ videbatur opponere celsitudini: quantò namque procurat illa diligentiùs maculas & defectus tegere, silentioque premere progenitorum: tantò Deus illos studiosiùs laboret in lucem prodere, ex illis se iactare, nec non insignium suorum imagines, armaque adornare. Respondet igitur à se propositæ obiectioni. *Vt confidentiam peccatoribus augmentaret, per hoc quòd mediatrix eadem propinquitate vtramque extremitatem coniungeret: & sicut mater esset & filia Dei: sic esset mater, soror, & filia rei: & sic à natura inclinaretur ad miserendum peccatori.* Placuit Deo nostrum cũ Maria diuidere remedium: eius tradens manibus misecordiarum thesaurum, vt peccatoris de remissione fiducia ex Maria sumeret incrementum: vt enim est filia & mater Dei, simul etiam est mater peccatorum, soror delinquentium, & filia reorum: quatenus in se cum ipso naturæ pondere affectum

ALBERT. in Mariali cura, de domo Dauid.

I. Maria ex natura ad misericordiam inclinatur.

fectum imbiberet illis propitiandi.

Obstupesco Domine: an ergo ea ipsa quam in matrem elegisti summæ puritatis, candoris lucis æternæ, speculi sine macula, talis vtique est vnus vnigenitus: *Candor lucis æternæ, & speculum sine macula*: est etiam mater populi miserrimi, & per peccatum nigerrimi? *Mater Dei & Mater rei?* Ne dubites. In hoc etenim sibi complacet Deus, vt ostendat in humana vilitate desiderium saluandi peccatores, quorum gratia in mundum aduenit. D. P. Chrysolog. ruminans publicani Matthæi conuersionem; ex telonario in Apostolum, ex vsurario in Euangelicum historiographum: deinde quòd Christus nedum illum vocauerit, sed mensæ eius conuiuia multos inter Publicanos assederit, murmurantibus Pharisæis: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* sic ait: *Arguitur Deus quare inclinat se homini, quare coniacet peccatori, quare esurit pœnitentiam. Quare sitit remedium peccatorum. Quare acceptat misericordiæ fercula. Quare sumit poculum pietatis*. Bonum non est quod Pharisæus scandalum accipiat, eò quòd Dei celsitudo ad hominis se inclinet humilitatem, peccatoribus assideat, eodem reficiatur ferculo, eodem recreetur poculo. Comprime linguam ô detractor: rationem intellige cur ista facere non dedignetur. *Venit ad prandium Christus, venit ad conuiuium vita, vt faciat secum conuiuere morituros; iacuit resurrectio, vt de sepulchris surgerent qui iacebant; decubuit indulgentia, vt peccatores leuaret ad veniam; venit ad humanitatem diuinitas, vt ad diuinitatem veniret humanitas; venit iudex ad reorum prandium, vt humanitas præueniret reatus sententiam, venit ad languentes medicus, vt reficeret conuescendo defessos; inclinauit pastor bonus humeros suos, vt ouem perditam salutares reportaret ad caulas*; atque in ipsos humeros ouis perdita non fatiganda prosiliret.

Sap. 7.

Matth. 9.

D.P.Chr. Ser. 39.

II. Christus ex misericordia peccatoribus conuiuit.

Præfatus Archiepiscopus Rauennas ardentem contemplatur phœnicem & feruentissimam illam Seraphinam, quæ primo licèt volatu amoris sui, ipsorum potuit esse magistra, Magdalenam, inquam, quæ omissis aliis multis quibus poterat detineri, ne se peccatricem proderet & in conspectu sanctitatis Christi, in domo aliena, coniungeret in conuiuio lætitiæ, lachrymarum suarum tristitiam, quod Salomon mixturam vocat voluptati displicentem. *Musica in luctu importuna narratio*: hominum calcat iudicia & obiectiones: ecce qualiter Sanctus hic difficultatem proponat. *Quid est quod hæc mulier ignota,*

Eccli. 22.

D.P.Chr. Ser. 93.

ignota, imò malè nota, onusta luctibus, plena lachrymis, clamosa planctu, nescio ianitore, nullo conscio, ipso ignorante pastore domus aditus percurrit? &c. Audite modò responsum. *Fratres non rogata venit illa, sed iussa.* Compulerunt illam ad ingressum: mandatum habuit, nec enim ex se hoc ausa præsumpsisset. Vix capio nodum. Quis hoc illi potuit imperare? Quinimo ne subita intraret illam poterant remorari famuli mensæ Pharisaicæ ministri: quomodo verum erit: *Iussa venit*? verissimè: Christus enim hominis reficiebatur epulo: vt autem nullum dari potest ferculum palato illius suauius quàm animæ peccatricis conuersio: vehementer Magdalenæ inspirauit, mouitque eam efficaciter vt veniret: tantumque abest vt ex hoc offendatur ingressa: vt etiam silente musica, quia peccatores non adsunt, lachrymæ luctusque huius sanctæ pœnitentis harmoniæ suppleant concentum, conuiuium multò delectabilius recreent, & dapibus gaudium inferant perfectissimum. Saltem D. Gregor. mihi concedit vt hanc capiam phrasim *Iussa venit.* Cùm enim iudicaret stuporem producendum vehementem tam ex diligenti gnauoque Mariæ accessu, quàm ex facillima eius receptione. *Quid igitur miramur fratres: Mariam venientem, an Dominum suscipientem*: hæc addit. Parum dixi recipientem, quandoquidem illam violentia, tamen suaui ad se pœnitentem traxerit. *Suscipientem dicam an trahentem?*

III. Magdalena iussa venit ad Christum.

D. Greg. Hom. 33. in Euang.

Tendentem video Saluatorem nostrum vt vitæ Dominum ad domum Principis Synagogæ vitam mortuæ puellæ redditurum accedit turbæ Christum comitanti permixta clam mulier, ne Redemptori transeunti innotesceret, comitesque eius vt lateret abscondita: propiùs accessit, quantum potuit, vestimenta eius tangit, & ab incurabili hactenus infirmitate subitò curatur. Modum accedendi meritò miratur D. Chrysostom. si namque cunctis perspecta erat mulieris infirmitas, si Redemptorem nostrum videat mirabilia operantem: quid infirmam hanc mouere potuit mulierem, ne publicè Christi tangeret fimbriam vestimenti, palamque tactura festinaret? Quid gressus eius remoratur, quid linguam comprimit vt taceat, nec salutem voce saltem expostulet: dum alij clamoribus & vociferatione incomposita à malis suis liberari posse deprecentur? Chananæam, & cæcos circa Iericho vociferantes audio: *Fili Dauid miserere mei*: illa verò tacitè & sibi soli locuta pronũtiet: *Si tetigero tantùm fimbriam vestimenti eius, salua ero.* Ecce quo rubore

D. Chr. Hom. 32. in Matth.

IV. Mulier sanguinaria cur latenter accedat.

Matth. 9.

rubore confusa, quo metu perculsa progrediatur, cæteris omnibus apertè, & imperterritè properantibus. Aureum linguæ aureæ habemus responsum. *Nondum enim recta de Christo sentiebat:* in fide de Christo debita adhuc laborabat. Quomodo non: si magnitudinem eius reuerita, & tanta perterrita maiestate facie non audeat aperta appropinquare? Alius dixerit laudandam eius erga Christum reuerentiam, & claram personę illius diuinæ cognitionem. Ne hoc crediderįs: etenim tantum abest vt Deus sibi dedecori ducat, si peccatores ad eum propiùs accedant: vt etiam auctoritati suæ maculam arbitretur adspergi per eos qui ab ipso timore perculsi retrocedunt.

D. Chr. Hom. 32. in Matth.

IV. Mulier sanguinaria cur latenter accedat.

Insignem legi conceptum apud D. Ambros. Hoc ita verum esse, vt Deus desiderans aliquid vnico desiderio (eo modo quo Deo credimus esse desideria) duplici desiderio salutem sitiat animarum: vnumque peccatorem conspiciens suas multiplicat misericordias, vt illi benignus ignoscat. Acutè sanè notauit hoc præfatus Auctor ad illa verba, quæ postrema vitæ suæ nocte protulit Apostolis suis: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Desiderio desideraui hanc horam. Quænam sunt hæ, Domine mi, terminorum verborumque reduplicationes, cùm semper modicâ solerés illa proferre mensurâ? deinde si propriè loquaris cur addis *Desideraui*, illi *desiderio*: quia si desideres, desiderium habes, & si desiderio æstues, certè desideras? Mysterium hìc intelligo: nempe quòd iam præ foribus illi tempus adesset sanguinem suum fundendi, peccatores iustificandi, illosque filios suos per gratiam efficiendi: quoad alia liberè dicat desideraui, sed dum incidit mentio de tollendis peccatis & salute peccatorum, terminos reduplicet, nec adhuc suam sic exprimet voluntatem, vt non plura in corde eius remaneant incognita. Præstat audire D. Ambros. loquentem. *Vnde Dominus non otiosè ait: desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, non solùm desiderans, sed etiam geminato desiderio concupiscens remissionem tribuere peccatorum.* Parum est si dicat in singulari desiderio: sed desideria multiplicat: affectus accumulat, curas exaggerat: etenim coram se videns peccatorem, & se proximum, vt illi remedium ferat: in aliis occasionibus esto quòd moram trahat, quasi non audiret: in hac autem, factu hoc est apud illum impossibile. *Geminato desiderio concupiscens remissionem tribuere peccatorum.*

Luc. 22.

V. Christi duplex desiderium peccatores saluandi.

D. Ambr. Ser. 3. super Ps. 118.

D. Chrysostom. hunc quasi conceptum notans alium adiungit

git suo dignũ ingenio. Egressus est Redẽptor noster Hierusalem ad ortũ solis, & fame fatigatus accessit ad ficulneam. *Mane facto esurijt.* Suspendite cogitationes, differte iudicium (ita vos monet D. Chrysostom.) hæc etenim fames non afflixit Christum hominem, sed Christum Deum: quia fames ordinariè hominem circa meridiem affligit: tempus etenim tunc est comedendi, quando ex præteritæ noctis somno & præsentis diei occupationibus, terreno huic corpori natura quærit alimentum: vile pensum cui omnes soluendo, debitores subiacemus: cùm autem Christus ipsa esset abstinentia, & temperantia, ne credamus illum ad ortum auroræ fame laborasse corporis, & comedendi desiderio. Fuit igitur animas conuertendi feruentissima sollicitudo: quia iam in templo concionem absoluerat, & cùm amori suo censeret insufficiens hoc circa meridiem desiderare, sicut eo tempore materialis concupiscitur cibus: præuenit tempus, & ante ortum auroræ matutinus excitatur, quo sibi videat annexum studium aliquod, opusque misericordiæ, quo pectus refocillare queat accensum nimis. Sua proferat D. Chrysostom. verba. *Si enim tanquam homo esuriÿsset cibum, numquam mane esuriÿsset: sed ideo mane esurijt: quia semper esurijt qui iustitiam illorum esurijt vt & aliorum salutem.* Sicut enim nullam nouit præfixam horam aut instans determinatum, in quo nostram non sitiat salutem, sed semper eius est apta hora clementiæ: ita præmaturè illam desiderat: cum illo namque nata sunt hæc desideria, per horas singulas accrescunt, & cum dierum numero multiplicantur.

Matth. 21.
VI.
Christus mane esurijt: quid hoc?

D. CHR. Hom 39. in Imperfect.

Christo crucifixo vinum propinatur myrrhatum, vel vt eius augeantur cruciatus ex amara potione, vel vt illi vita protendatur, tempusque carnificibus superesset illum grauiùs adhuc torquendi: sit quodcumque voluerit: vasi labia sua apponit & gustat, sed non ebibit: *Et cùm gustasset noluit bibere.* Ex verbis illis, seu potiùs actu Saluatoris spiritu suo mellifluo transit D. Bernard. ad animæ conuersionem, illique locuta, ob defectus suos pœnitenti, qua illos perfringit & destruit sic ait: *Si peccata luxisti, bibisti amaritudinem, si autem respirasti in vita sanctiori, mutata est tibi myrrha amaritudo in vinum quod lætificat cor hominis.* Cui statim subiungit: *Fortasse hoc illud significauerit, quod Saluatori oblatum est in cruce vinum myrrhatum, & ideo noluit bibere, quia istud sitiebat;* nostram scilicet salutem; Quomodo Domine hoc intellexero, num-

Matth. 27.

D. BERN. Ser. 43. in Cant.
VII.
Mystica ratio cur Christus myrrham noluerit bibere.

numquid desiderio desiderasti pœnas tolerare: modò verò cùm earum tibi præsentatur occasio, illam respuis? & cùm tibi manus desint, vtique clauis confixæ, quibus poculum exhaurias faciem auertis, nauseam ostendens & horrorem? sic est. In cruce namque cernens suo iam sanguine genus humanum redemptum, cælum peccatori apertum, tanto repletur gaudio mentisque demulcetur alacritate, vt ne quidem significatiuè rem velit gustare amaram: cùm hoc illi summæ deputetur gloriæ, quod sic homines trahat: & sicut suaui potus huius siti flagrabat, alium repellit tristitiæ augmentum.

Finem discursui imponat qui dedit principium Albertus Magnus Ordinis nostri lumen, qui loco supra citato Virginem assimilat iridi, quam tempore Noë Deus proponebat nubibus inserendam misericordiæ suæ pignus: vt si quando cælum terram videretur velle turbinibus aquisque demergere, conspecta iride à timore respiraret. Idem notamus in lege gratiæ: volens etenim pacis fœdera cum hominibus sancire, cælo nubibusque Ecclesiæ suæ arcum inseruit cælestem Mariam scilicet Virginem inter peccatorum tenebras: vtque illa quæ secundùm carnem peccatorum erat filia, foret etiam pijssima illorum mater: quo metus omnis abscedat, timorque euanescat. Loquatur ipse: *Non enim potuit Deus efficaciùs stabilire pacem: quàm, quòd filia peccatorum suo filio accepit vxorem, sponsam, & matrem.* Et sicut circumuicina regna, quando fœdera nectunt amicitiæ mutuis illa confirmant matrimonijs: ita similiter cùm cælum & terra sibi mutuo repugnarent, & Deus & homo continuis inuicem bellis irritarent: homo ex parte sua Deum sceleribus Deo iniuriosis, Deus ex parte sua hominem pœnis & suppliciis: det homo filiam & sororem, cui Deus desponsetur, & cuncta pace gaudebunt optatissimâ. Hæc ea mens est D. Matthæi: quare temporali Christi generatione tot tantosque interponat peccatores, quot in illa Christum præcesserunt, vt quo possint se, velut progenitores, lateri consociare Dei, primo latus sibi concilient Mariæ: quocirca dicendo *Virum Mariæ,* adiungit: *De qua natus est Jesus.*

Matth. 27.

Gen. 9.

VIII. Maria per iridem significatur.

Albert. vt suprà.

Discursus II. *Creauit Deus matrem suam in antesignanam & Ecclesiæ protectricem in spiritualibus, & temporalibus calamitatibus: vnde, in præsenti illam à Turcis domoq; Othomannica defendit incolumem.*

OMnem huius discursus rationem præbet mihi D. Ioan. Euang. in illo magno signo quod vidit in cælo, mulier nempe, per quam in sensu litterali intelligitur Ecclesia Catholica, quam draco ille liuore stimulatus diabolico persequitur: qui ore suo flammiuorum flumen emisit, quo mulierem præfocaret: verumtamen Deus sedulam illius curam gerens, velut sponsæ sibi charissimæ, binas illi aquilæ Regalis alas subministrauit, quibus adiuta volauit ad altiora plena victoriis: inimicus autem eius ad pedes deorsum prostratus, sannisque exceptus iacet ignominiosis. Vt autem solidiori procedamus fundamento: notandum; Ecclesiam seu iustorum Congregationem statim ab ortu suo sæuiores sensisse persecutiones. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea:* vel *à pueritiis meis*, vt alij legunt: dum adhuc pannis infantiæ obuoluerer. Pro cuius significatione vidit D. Ioann. equum colore sanguineo rufum, cuius equitis epigraphe erat: *Tollere pacem de terra*, bella excitare, discordias seminare. *Equus rufus & sedenti super eum datum est tollere pacem de terra.* Et sicut intentio equi, id est dæmonis, vt credo D. Augu. est sanguinis effusio: ita ducit equum sanguine maculatum: *Quem idcirco dixit rufum, eò quòd multorum esset sanguine rubicundus.* Huic primò adlaborauit vt aduentum filij Dei in mundum per peccata retardaret. Tempus attendamus diluuij, quo cuncta viuentia demersa perierunt: dixit etenim Deus Noë: *Pœnitet me fecisse hominem.* Deinde populus Israel ab ipso electus tam fœdo se idololatriæ crimine, Deoque detestabili contaminauit, vt nisi Moyses medius intercessisset, iam illum radicitus extirpasset. Audite testem Psalmistam: *Et dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius: vt auerteret iram suam, ne disperderet eos.* Cùm autem sciret diuino nequaquam amori satisfieri, nisi cuncta dirumpens obstacula, nostram indueret mortalitatem: ilico contra Ecclesiam sanguine Christi conspersam truculentus ille draco, fluminum euomuit & aquarum abundantiam: tyrannos excitauit Romanorum Imperatores mini-

Marginalia: I. Ecclesiæ persecutiones. — Ps. 128. — Apoc. 6. — D. Avg. Ser. 5. in Apoc. — Gen. 6. — Ps. 105.

ministros suos, equos huius equitis: Nerones, Domitianos, Decios, Diocletianos, Iulianos &c. Cùm autem hæc feritatis monstra ad ima detrusisset inferni: Ecclesia verò tranquillitate pacis sub Constantino Magno gauderet, Hæresiarchas producit huius Hydræ sæuissima capita: Arrium, Manichæum, Pelagium, Apollinarem, Marcionem, aliosque huius farinæ fæcisque innumeros.

II. Hæreticorum contra Ecclesiam persecutio.

Hoc mihi suggessit eloquentissimus Pontifex Innocentius in quodam decreto quod lego inter Epistolas D. Bernard. *Cessante persecutionis rabie, imperauit Dominus ventis, & facta est in Ecclesia tranquillitas magna: sed quia hostis humani generis semper circuit quærens quem deuoret, ad impugnandam synceritatem fidei, fraudulentam hæreticorum fallaciam superinduxit.* Ipse verò Bernard. illud explicans Cantici Regis Ezechiæ: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima:* sub nomine Ecclesiæ sic ait: *Amara priùs in nece Martyrum, amarior pòst in conflictu hæreticorum.* Vltimis autem nostris hisce diebus per Turcam agitata fuit quàm acerbissimè: hic namque pelagus emittit aquarum in pelago ad Echinadas Ecclesiam si posset, euersurus: exercitus enim Turcarum mare cooperuerat ducentis & quadraginta regiis triremibus, quinquaginta Gallionibus, quibus pyratæ vtebantur; aliam omitto multitudinem lemborum nauiumque quibus vltimam Ecclesiæ cladem minabantur. Numerus militum eius ad centum triginta millia excrescebat, ex diuersis collectus nationibus. Nostrorum verò exiguus erat numerus, vix ad viginti octo millia: quorum octo millia censebantur Hispanorum, duodecim Italorum, sex Germanorum, duo millia cursorum.

D. Bern. Epist. 194.

Isai. 38.

Placet modò videre quis sedula defendat protectione Ecclesiam tot afflictam angustiis: *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ:* quas dixeris has esse aquilæ alas, nisi Christum & Mariam, filium & matrem: aquilæ se comparat in veteri testamento sollicitudinem exponens quâ populo suo Israel consulebat. *Vos ipsi vidistis quæ fecerim Ægyptijs, & quomodo portauerim vos super alas Aquilarum, & assumpserim mihi.* Adinstar generosæ ac Regalis illius auis: quando namque ex vno loco ad alterum transfert pullos suos adhuc tenellos, eosdem humeris suis imponit: vt si fortè sagittâ feriatur inimicâ, ipsa priùs vulnus accipiat. Hoc vnicum considero, quod taliter Deus Matrem suam honorauerit, vt eam Ecclesiæ suæ creauerit Aquilam, cuius alis, protectione & subsidio defenditur: quin-

Apoc. 12.

Exod. 19.

III. Christus & Maria duæ sunt Aquilæ.

quinimò & hoc dicamus quod hodie totam huius triumphi gloriam Virginis Mariæ voluerit deferre protectioni. Credebatur vetus arca totalis populi Israelitici perfectaque defensio. Num. 10. *Cumq; eleuaretur arca, dicebat Moyses: surge Domine, & dissipentur inimici tui:* Vnde qualibet pressi calamitate, eam in medium adducebant exercitum, tanquam fauoris arrham diuini tutissimam. Et quicumque ignorauerit arcæ naturam, quæ communi Doctorum suffragio Virginem præfigurat, consequenter diuinam ignorabit Maiestatem; quodque terribilis sit castrorum acies, & victrix hostium eminentissima. Regius Propheta homines inuitat vt opera Dei miranda contemplentur, prodigia & miracula: Psal. 45. *Venite & videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram:* Et quænam hæc? *Auferens bella vsque ad finem terræ.* Dubius hæsit Richardus de qua hæc verificaretur terra: cùm de hac materiali nequeat intelligi: quæ tãtum abest, vt requiem præstet, inducias concedat, pacem stabiliat: vt quidquid in illa conspicimus non nisi bella, discordias armaque præferat. Proinde concludit de Virgine intelligendum Maria: Placet referre eius testimonium. Richard. Vict. Lib. 2. de Emma. c. 29. *Quæ est ista obsecro terra, de qua bella omnia finetenus auferuntur: nisi illa, de qua Propheta: Veritas de terra orta est?* Antiquis mos erat pacem depingere (scriptore Choul) Choul de Religione Romanorum. sub forma Virginis formosissimæ: quæ face ardenti, quam manibus præferebat, ignem, sagittas, gladios, lanceas, & scuta extinguebat, aliaque bellica eneruabat instrumenta, hac inscriptione: Iudic. 3. *Pax Augusti.* Eò quòd Imperante Augusto Cæsare totus orbis pace gauderet vniuersali, nec regnum vnum alteri bellum inferret, quod Christo nascente contigit: *Toto terrarum orbe in pace composito;* symbolum hîc video Mariæ, per quam Ecclesia optatâ frueretur pace, & Turca vinceretur: si namque eius insignia sunt sagittæ quas brachio euibrat fortiori, & scuta quibus se immunem putat defendere: ipsa, *Arcum conteret & confringet, arma & scuta comburet igni.* Si vexillis suis Turca medias insculpat lunas, ipsa lunam pedibus proterit plenam: sic eam etenim vidit D. Ioan. *Et luna sub pedibus eius.* Et per lunam intelligit quidam Neotericus horrendam Turcæ potentiam. Seraphinus de Fermo. Euentum rei perpendamus.

Extremis laborabat Ecclesia Catholica periculis Othomannum reformidans barbarum & infidelem: nam ex præteritis victoriis sumens audaciam, sibi temerarius Christi arrogabat hereditatem. Tres sibi mutuo manus dederunt societatis.

Summus

Summus Pontifex Christi vicarius caputque Ecclesiæ ac sponsæ SS. Pius Quintus: lumen, honor & gloria Ordinis Prædicatorum, filius illustrissimi Patriarchæ Patrisque nostri S. Dominici. Generosus Dux est hic & inuictus Aod, de quo S. Pagina testatur; *Qui vtraque manu pro dextera vtebatur.* Familia hæc est ea, quæ calamo Doctoris Angelici D. Thomæ, vna manu; & gladio S. Inquisitionis iustissimi Tribunalis Deo tantopere accepti primi erectoris illustrissimi Patroni sui S. Petri Martyris, altera manu ab hæreticis defendit Ecclesiam; iuncta erat potestas Ecclesiastica Pij Quinti cum sæculari Monarchæ, quo nullus opibus potentior & imperio clarior coronam suo capiti imposuit; Philippi secundi cognomento Prudentis Regis Hispaniarum: cui se coniunxit zelus & bellicosus ardor illustrissimæ Reipublicæ Venetorum, Matris Principum inuictissimorũ. Omnibus hisce copiis Generalis Dux imperabat D. Ioannes Austriacus Iuda Machabæo rebus præclarè gestis non inferior, cuius generoso pectori vt alteri Alexandro vnus non sufficiebat orbis: vnde mors inuida præmaturè hinc illum nobis eripuit, pariterque gaudium, quo illum Catholici sibi congratulabantur habere Imperatorem.

Chovl *de Religione Romanorum.*

Iudic. 3.

Seraphinus de Fermo.

Conuenientibus igitur vtrimque copiis Catholicorum, & Turcarum ad mare Mediterraneum, pręcepit sua Celsitudo arborem crucis plantari, multasque hinc inde suspendi imagines SS. Virginis Mariæ maris stellę, ad cuius conspectum velut maris, ventorumque Dominę superbum illud se cohibuit elementum, aër ille tempestuosus nostrorum non leuiter officiens oculis in potentiam armaque conuertitur, vt hostis, inimicorum, & dum modico certatum est tempore nostris cedit victoria, triginta quinque millibus ex Turcis desideratis, cęsis, demersis, atque inter illos primæ dignitatis censentur centum viginti Capitanei: de triremibus autem soluuntur ad quindecim millia Christianorum: atque in manus nostras optima spolia deuenerunt centum septuaginta naues: nec his annumero quadraginta laceras, diuulsas, saloque mersas: captiui ad tria millia, quadringentos & septuaginta Turcarum ascenderunt. Sed quid obstupesco, si tua, ô Virgo pręclarissima, Maiestas præliabatur: illis se terribilem exhibens, Catholicis autem benignam & suauem? Latiùs expendamus quidquid hîc Mariæ debemus. Modus hic antiquorum erat consulendi Deum, dum grauiora imminerent negotia, vel certaminis

IV. Varij modi consulendi Deum.

aleæ copias suas exponerent: vt legenti SS. litteras innotescit, siue per Prophetas, siue per somnia, siue per sortes, sed vltimò per summi Sacerdotis Rationale seu gemmas, vt fusiùs enarrat Pererius. Samuelem consuluit Saul, & Eliam ac Elisæum reperimus sæpius in consilium euocatos. Nec non per sortes & somnia, quando per Prophetas rogatus non respondebat præmissis orationibus ac ieiuniis. Sed praxis hæc reliquis erat & communior & festiuior per applicationem Ephod, latinè superhumeralis, quod Summi Pontificis humeris impendebat, pretiosis lapidibus intertextum, tribus ordinibus dispositis: in quorum singulis insculpta legebantur nomina duodecim Patriarcharum seu Tribuum Israel: applicare verò Ephod (terminus hic est loquendi S. Paginæ) idem erat ac eodem se vestire, quo quis dignus reddebatur diuinis audiendis oraculis. Omissis hîc quæ legi possunt apud Abulensem, ait Iosephus: *Nam priusquam exercitus moueret, tantus splendor ex eis emicabat, vt toti populo facilè innotesceret adesse Deum:* quo tutos se confidebant, & audacter ad arma prosiliebant; Christus vt summus adoratur Sacerdos, Maria verò vt indumentum eius colitur, lapis pretiosus, quo adornatur. *Vestis*

PERER. *in Gen. c. 25. vers. 22.*

1. *Reg.* 9.

4. *Reg.* 3.

Exod. 28.

IOSEPH. *lib.* 3. *Antiquit.*

eum, inquit D. Bernard. Conspecta igitur Maria securi iô canant, concinantque Christiani triumphe: cuius nomine virago Iudith inuicta epiphonema cecinit: *Iudith filia Merari in specie faciei suæ dissoluit eum.* Mariæ clarissima fortissimaque lumina Turcam eneruarunt, obcœcarunt, euerterunt.

D. BERN. *de verb. Apocal.*

Iud. 16.

Mecum capite nunc titulum à D. Antonino Virgini adscriptum, stadium illam ac campum appellante, in quo Deus diabolo bella infert atrocissima. Verba eius ne vobis subticuero. *Dicta est autem B. Maria tabernaculum Christi, quia in ea habitauit ingrediens campum huius mundi ad pugnandum, in quo militamus.* Et vlteriùs singulas eius nominis enucleans litteras: ad titulum apponit: *Iaculum inimicorum.* Hodie igitur gloriam cantemus illi laudesque immensas, velut victoriosæ Christianitatis Aquilæ: cuius alis protecta gaudet & auxilio.

D. ANTONIN. 4. *p. tit.* 15. *c.* 10.

Discur-

Discurscus III. *Obtenta fuit Victoria mediante Oratione SS. Rosarij quod Virgo purissima velut arrham tradidit Patriarchæ nostro S. Dominico ad mundi reformationem. Perpendimus quàm efficax sit cæleste hoc exercitium.*

ARma duplicia esse dicimus Orationem (de illa priùs in communi loquamur ;) omnia vincit, nihil in illam possunt potentissimorum clamores exercituum : multò securior est linguæ quàm gladij pugna. Cùm D. Ambros. ea retulisset quæ SS. nobis referunt codices de Eliseo: quòd solo labiorum motu currus & equites igneos contra Syros prouocasset; montem integrum illis omnibus vsque ad rupturam adimplens. *Et ecce mons plenus curruum & equorum igneorum in circuitu Elisæi.* Quãuis autem nulli viderẽtur milites nec equites, sed tantùm equi & currus, hoc idcirco dicit accidisse, eò quòd oratio Prophetæ & hos regeret & illos occuparet : *Hostes suos*, ait, *non armis superabat, sed oratione vincebat.* Et statim multos erudit, quorum priuata hæc est sollicitudo in periculis & præliis arma sibi conciliare, gladios, arcus, tormenta bellica, & copiosissimum omnium apparatum. *Vbi sunt qui dicunt, plusquam preces sanctorum hominum arma posse.* Illæ tales redarguant qui peruersis adeò laborant cogitationibus: ex successu Prophetæ adeò victorioso, quem cælum defendit, plus vnico verbo, quàm integris multisque militum legionibus, illos confundit & conuincit.

I. Orationis efficacia.

4. Reg 6.

D. Ambr. Ser. 86.

Præceperat Deus Num. c. 1. vt bellatorum omnium ineretur numerus. *Omne quod sexus est masculini à vigesimo anno & supra procedentium ad bellum.* Viri qui norint arma tractare, & vibrare lanceas. Et cap. 4. iniungit, vt ex reliqua multitudine eligantur Domino Leuitæ ad ministerium tabernaculi sui: qui trigesimum annum ætatis expleuerint. *A trigesimo anno & suprà: vt stent, & ministrent in tabernaculo fœderis.* Hîc diutiùs inhærendum: Quia vires requiruntur fortiores ad prælia corporalia, quàm ad templi obsequium : in illis omnia furorem, contentiones, vocesque resonant: in his autẽ quieta sunt omnia, pacata, sedata & trãquilla. Vt quid ergo hi quibus faciliora incumbunt facienda, vult Deus vt ætate sint seniores, & iuniores illi, quorum studia & labores sunt multò grauiores? fortes mutentur & seruiant in templo à viginti annis, & ad bella procedant

Num. 1.

Num. 4.

II. Iuniores ad bella, seniores ad templum eliguntur.

cedant à triginta annis. Obuia est responsio. Duplex erat in populo Dei species certaminis: vna visibiles impetebat inimicos: altera decertabat vt à Deo cælestes impetraret gratiarum fauores per Orationem, in choris & laudum exercitibus. Modus hic loquendi legitur apud Rupert. ad illud Canticorum. *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum*? Quod ita interpretatur: *Laudãdo chori præliantur: præliando, castra laudant.* Sicut ergo in corporali prælio vir virum prouocat & impugnat, ita quoque in spirituali per Orationem cum Deo, quem anima sancta conatur verbis & affectibus superare: & hæc præclarissima est victoria; cùm tantum intersit inter Deum & hominem: quocirca vires hîc expostulo quàm ibi, robustiores: seruiant igitur Leuitæ in Sanctuario à trigesimo anno: nam quoad corporalem militiam sufficit vigesimus. Proficiscebatur Redemptor noster versus vrbem Hiericho; percipit cœcus turbæ tumultum ipsum sequentis: & certò sibi persuadens pariter cum illo lucem transire, rapuit sibi occasionem, & voce clamorosa oculorum sibi dari lucem efflagitat: tantumque potuit vox illa vt Christum in itinere sisteret. *Stans autem Iesus*: Soli cursum cohibuit, in via remoratus est, ne vltra progrede-

Cant.6. RVPERT. *ibid.*

III. Duplex certamen.

Luc. 19.

tur nisi priùs luce sua cœcum illuminasset: *Ecce quantum oratio potest: ecce quantum valet clamor mentis, turbam vicit, Christum sistit, clamore tenetur, qui fortitudine teneri non potest.* Centurio Cornelius licèt gentilis, vocari iussit Apostolum Petrum ex Angeli sibi apparentis præcepto, vt ab eo quæ fidei erant edoceretur: cumque illi visionem & Angelicum explicasset mandatum, ait, Hodie quartum numero diem, quo vacabam orationi, & cęlestis quidã spiritus splẽdoribus gloriæ circumamictus me præmonuit, vt te citiùs huc venturum euocarem. Hæret hîc D. Chrysostom. si namque adueniente Petro quartus illucescebat dies, & nuntij duobus moram traxerunt, colligimus quod primo die quo orauit Cornelius, missi sunt. Quid hoc Domine: an ratio non suadebat expectare diutiùs: quatenus ex dilatione quæ cor affligit ardentiora crescerent illi desideria, Deoque arctiùs deuinciretur? Nequaquam. Cor Deus non habet, quo beneficia procrastinet ei, qui mediâ postulat illa speratque oratione. Ipse loquatur D. Chrysostom. *Ille vnus dies erat, & quando abierunt missi, iterum vnus, & quando venerunt, iterum vnus, & quarto die apparuit, ita vt sit secundus dies postquam orauerat.*

EMISSEN. *Serm. in Quinquag.*

IV. Oratio Christum sistit.

V. Centurio Cornelius citò exauditur.

D. CHR. *Hom.* 23. *in Acta.*

Quid plura? prosternit oratio ipsos

ipſos Gigantes: nec enim niſi oratione Dauid Goliæ ſuperbiam deiecit: ignem eneruat, cuius flammas pueri fornacem Babylonis inambulantes extinxerunt. Moyſes precibus mare rubrum diuiſit: tempus & cælum obedit orationi: nam Ezechias illud à curſu ſuo ſuſpendit, & hoc ab Elia nouimus fuiſſe concluſum: ſol & luna vim ſentiunt orationis: nam vtrumque Ioſue vocis ſuæ cohibuit imperio. Porrò ſiquidem omnis efficax ſit oratio, illa tamen virtute præualet quam ipſa compoſuit Sapientia: *Pater noſter*: & inſtructio illa à SS. Trinitate data Gabrieli Archangelo in ſalutatione *Aue Maria* ſpecialem habet prærogatiuam: ex quibus texitur & componitur S. Roſarium, memoriale perpetuum vitæ mortiſque Saluatoris atque dignitatum Mariæ eminentiſſimarum: oratio hæc eſt ſi vel vlla auribus Sacratiſſimæ Virginis peraccepta, tantumque obtinet, vt, licèt prælium in pelago commiſſum efferueret: & ſupplicationes Roſarij fierent in terra; magni tamen concilij Angelus vnum ſtatuit pedem in mari (ſpectatore D. Ioanne) hoſtium proterens inſignia, & alterum in ſolida terra confouens, & deuotos exaudiens confratrum ſuorum concentus. Locum perſcrutemur Iſaiæ difficilem, in quo, meo quidem ſuffragio, ad litteram deſcribitur tota ſeries victoriæ Roſarij virginalis.

Apoc.10.

VI. Allegoria de victoria Ezechiæ Regis.

Triumphum introducit Vates Euangelicus miraculoſum, quem nullo arrepto clypeo, nullo euaginato gladio, nullaque vibratâ lanceâ conſecutus eſt Rex Ezechias morum probitate inſignis de Sennacherib Duce Aſſyriorum Generali: dum Angelus ſub vnius noctis tempore centum octoginta quinque militum millia trucidauit hoſtilis exercitus, qui graui premebant obſidione Metropolim Iudææ vrbem S. Hieruſalem. Iſaias igitur imminentem Synagogæ deſcribens cladem, quam & modò ſibi timebat Eccleſia, Deum intenſiùs deprecatur: *Domine, miſerere noſtri: te enim expectauimus: eſto brachiũ noſtrum in mane, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.* Domine propitiare populo tuo: eſto nobis ſalutis brachium, eſto propugnaculum: ſi namque diuina tua Maieſtas gladium non eximat, arcum non tendat, ſpiculumque non dirigat, inanes planè ſunt hominum, licèt ſedulæ, diligentiæ. Qua ratione Turca ſuperabitur? Quomodo fugiet Aſſyrius? triumphus enim de illo obtentus, planta eſt & imago eius, quem de Turca reportauimus. Reſpondet Propheta: *A voce Angeli fugerunt populi, & ab exaltatione tua diſperſæ ſunt gentes.* Duobus adſcribit

Iſai.33.

scribit victoriam: omnipotentiæ Dei: *Ab exaltatione tua:* & voci Angeli: *A voce Angeli.* Et si confirmemus quis ille fuerit Angelus qui in exercitu Sennacherib terribilem hanc edidit stragem, optimè propositum nostrum probauerimus. D. Hieron. censet fuisse S. Gabrielem, si igitur Michael antiquæ fuerit custos Synagogæ, sicut modò Catholicæ præfectus Ecclesiæ: quo iure priuatur hoc ministerio, & ea quidem occasione, quâ par erat vt pro defensione Hierusalem suo fungeretur officio? Modò liquet responsio. Hæc victoria Regis Ezechiæ victoriã adumbrat orbis Christiani: & quemadmodum Orationi imputatur S. Rosarij & salutationi Angelicæ *Aue Maria*, quam lingua Gabrielis expressit, ita consequenter cælestis sit ille indigena, cuius manibus huius trophæi gloria peragatur, etenim salutationi *Aue Maria* accepta cuncta referimus.

D. HIERON. *super Isai.* 33.

VII. Gabriel illos omnes occidit milites.

Hoc ex sponsa discimus, quæ labia eius qui frequentat hanc deuotionem, vittam appellat coccineam, coloris ignei: ignis hic ad altiora tendit, ipsumque Deum (si nostris indigeret flammarum scintillis) vehementer accendit, quo feruens nobis benefaciat. *Sicut vitta coccinea labia tua:* huius interpretem habemus Guilibertum. *Quid enim aliud sibi vult, quod coccinea dicuntur, nisi quod in hoc flammeo demonstratur, eò quòd coccus igneo rubet colore? Labia hæc iam non altaris carbone purgari indigent & exteriori igne aduri: ipsa enim de interiori flamma tam flammea sunt.* Et concludit. *Bene coccinea labia, quia hunc ignem non solùm in terram, sed etiam in cælum mittunt. Denique & ipsum cæli Dominum succendunt.* Lingua flãmiuoma, ea est, quæ prænũtiat *Aue Maria:* nomine etenim Mariæ meliùs quàm carbone Seraphim ardentissimo purificatur: syllabæ eius quia igneæ sunt aquis aduersariæ, consumunt & extinguunt aquas Maris Mediterranei.

Cant. 4.

GVILLIB. ABB. Ser. 24. in Cant.

VIII. Oratio dicitur vitta coccinea.

Quocirca B. Fr. Alanus à Rupe donum accipiens à Beatissima Virgine, annulum virgineis eius crinibus implexum, arrham gratitudinis huius deuotionis; quam illi mandabat nouo prædicari feruore, cùm Prior conuentus S. Dominici Coloniæ habenas moderaretur, inter alia verba hæc pijssima profert: Attendant Maiestati tuæ deuotissimi clientes. Cælum exultat, tremit infernus quotiescumque dico: *Aue Maria*, pietas augetur, spes roboratur, amor inardescit, dum dico: *Aue Maria.* De manibus cælestis huius Reginæ tradita est gemma hæc manibus gloriosissimi Protopatris nostri S. Dominici, qui primus huius Virginis discipulus

IX. Commendatio Rosarij.

lus inscribitur, vt postmodum vniuersalis eleuaretur Magister. Cuius Rosarij prædicationi debet Gallia Regum suorum Christianissimorum successionem: cùm D. Ludouicus filius fuerit meritis referendus SS. Patriarchæ, per Rosarij lectionem impetratus: destructionem hæresium in comitatu Albigēsi: orbis totius reformationē, cuius medio ad Deum conuersa plusquam centum millia numerantur animarum: coniungente Deo ordini illius hereditariam hanc gloriam, eamque in tertio & quinto gradu herede perficiens quoad erga matrem suam pietatis ardorem: cuius matris ad illum tantus amoris est affectus, vt illum nuncupet ordinem ac familiam suam: nam illam propria induit manu, vestitque Reginaldum: nec enim vigiles tantùm & excitatos tenerè diligit Religiosos: sed etiam dormientes visitat, cellasque sanctificat. Nec sit quin mihi dicat, quod ad declarandam meritorum insignis Gusmanni præcellentiam, cælum ipsum stella decorauit: quam de matris aluo prodiens in fronte gestauit: Quo dixeris indicari quòd à maternis visceribus promoueretur vt stella futurus esset in diademate Mariæ: futurus vtique præco primus, & antesignanus huius lectionis Rosarij prędicator.

Discursus IV. *Calamitates, bella, & miseriæ, quas orbis patitur Christianus sæpius ex peccatis suam trahant originem: hæc Deo arma tradunt, milites armis induunt, cladesque prouocant.*

Continuam hanc miseriarum proluuiem, quas propriâ & dolendâ nimis discimus experientiâ, perferre nequit D. Petr. Chrysolog. adscribi temporum mutationi, planetarumque influxibus: sed nostris censet eas sceleribus imputandas, ex quibus suam trahunt originem. *Dei, Dei est quod vrgemur malis, quod verberamur semper, quod gentes valent, quod ruit grando, quod rubigo inficit, quod impietas potest, quod dominantur morbi, quod sæuit mors, quod tremit terra.* Et clausulam apponit: *Dei flagella veniunt, sed nostræ prouocant culpæ.* A diuino nequeunt ordine excusari fames, bella, calamitates, sed diuinam irritant nostra peccata iustitiam, excitantque vehementissimè. Doctissimus Origenes attentos nos vult, captatque beneuolentiam, quâ nouum quid & inauditum, licèt verissimum, nostris instillet auribus: & quale illud obsecro? Audite: *Nouũ tibi videbitur quod dicturus sum, sed tamen verũ est. Præter temetipsum extrin-*

D.P. Chr. Ser. 20.

I. Peccata causa malorum.

Origen. Hom. 5. in Iosue.

extrinsecus nihil requiras, intra te est prælium quod gesturus es, intrinsecus est mala ædificatio, quæ subruenda est, hostis tuus de tuo corde procedit. Ne foris extra te quæras quod intus & in te reperies: in te locum accipit, seque munit hostis maximus tibi aduersarius, tuum cor accusetur, in quo iuxta numerum, quæ committis, criminum, inscribuntur milites: si damna tua tu viceris interiora, victos etiam tuos læteris esse aduersarios, quibus tu mercedem soluis vt contra te prælientur. Si mihi fidem deroges, Christo adhibe loquenti. *Non mea vox ista, sed Christi dicentis: De corde procedunt cogitationes malæ, adulteria, homicidia* &c. Sic autem concludit: *Vide qualis & quantus exercitus hostium de tuo corde procedit aduersum te.*

Argumentum hoc extollit aurea D. Chrysostomi lingua: perpendit enim illud Domini ad Dauid peccatorem ex ore
2. Reg. 12. Nathan: *Suscitabo aduersus te mala de domo tua.* In adulterium & homicidium prolapsus es, & licèt tibi culpa remittatur, quam amarè defleuisti: attamen, in tanti criminis pœnam grauissimas tolerabis aduersitates. Videamus cum D. Chrysostom. vnde earum scaturigo? An fortè quia nationes & Prouinciæ tumultuantur eius coronæ tributariæ? Deforis non venient, sed *de domo tua:* in te ipso formatur culpa, atque ex teipso prodibit infestus tibi persecutor. *Non aliunde nec foris, sed de domo tua. Vnde est fons peccati, illinc est plaga supplicij.* De te prorupit in Deum offensa, quam non extraneus, sed filius de tuis genitus visceribus carnifex vlciscetur. Et quid nobis aliud propria docet experientia? Hunc coniux affligit, illum frater discruciat, maximè familiaris, domesticus tibique deuinctus si tibi proditor apponit; iustum supplicium: cùm enim intus in seipso spinas peccatorum seminauerit, intus in seipso fructus colligat ipsas spinas cordis vlceratrices. *Multi enim* (sic ipsum audio loquentem) *vel in hodiernum diem bella habent in ædibus, & hic quidem oppugnatur ab vxore, ille verò obsidetur à filio, alius autem à fratre, alius autem domatur à famulo, & vnusquisque angitur & affligatur, & pugnat, & bellum gerit & bello vexatur, & nemo subducta ratione apud se cogitat, quòd nisi peccata seminasset, non in domo sua spinæ & tribuli succreuissent; nisi peccatorum scintillas occultasset, domus non conflagraret.*

D Chr. super Ps. 3.

II. Supplicia de domo nostra veniunt.

Hoc vnico verbo legimus apud D. August. quoad famem illam quâ tanto tempore pressa Samaria contabuit: vt patet ex lib. 4. Reg. *Perseuerant flagella: quia in populo perseuerant & delicta: crescit famis quotidie pœna, quia*

D. Avg. Ser. 211. de temp. de fame Samariæ.

quia quotidie crescit & culpa. Deus ipsa dicitur & est misericordia: quod si suppliciorum manum non releuet, hæc tibi sit ratio, quia nostras à sceleribus culpisque patrandis non releuamus, increscunt quotidie calamitates: quia ad singula momenta nostræ multiplicantur iniquitates: quòd si ab infligendis non deferueat tormentis, non aliam ob rationem id contingit quàm quia à nostris non deferuemus enormitatibus. Celebret hoc suo clarus ingenio D. Ambros. Considerat recusatam à Iona prædicationem: tandem Vates inobediens tendit Niniuem, quem aluus ceti, prophetæ carcer promptam Deo docuerat obedientiam: & lamentabili, fortique clamore concionem instituit: cui hoc thema præfixit: *Adhuc quadraginta dies & Niniue subuertetur.* Adhuc quadraginta dies & ecce muri altissimi domusque huius ciuitatis ad terram prosternentur, soloque adæquabuntur. Quæro, an ciuitas subuersa sit? Neutiquam: etenim vrbis muri illæsi perstiterunt. An hoc ergo diuinam non euertit comminationem? Non euertit. Attendamus (inquit ille) quænam fuerint Niniuitarum opera, & hæc dubij circa prolatam sententiam: *Adhuc quadraginta* &c. dabunt solutionem: Rex cilicio lumbos suos succinxit, optimates capita sua cinere consperserunt, omnes se ieiuniis macerarunt, imò & ipsis tenellis infantibus à maternis suspensis vberibus (fons hæc sunt, vbi singuli quotiescumque illis libuerit acceptum habent alimentum) illa ipsa subtrahuntur. Quid plura? ipsis brutis animantibus commune & quotidianum differtur solitum dari nutrimentum. Mores suos peruersos corrigunt, placatur Deus, deferuent eius indignationes, gladium remittit in vaginam, suam pœnitentibus concedit misericordiam: porrò sciendum Niniuem fuisse destructam, non illam materialem plateis, domibus forisque magnificam, sed spiritualem, quam peccata extruxerant. Et sicut propter peccata ciuitati ruinam indicebat: ita illis correctis, hæc superstes remaneret. Suam proferat D. Ambros. sententiam. *Ciuitati enim non nisi propter ciuium peccata infertur excidium: desine ergo peccare & ciuitas non peribit. Quid fugis patriam? si vis saluus esse, tua potiùs peccata subterfuge.* Miratur nec immeritò D. Ambros. cur prædicente Propheta vrbis excidium nemo foras, relicta ciuitate profugus excesserit, omnibus in illa quiescentibus. Cur ô Niniuitæ solitudines, antraque non petitis? vitæ vestræ consu-

D. Chr. *super Ps.* 3.
II. Supplicia de domo nostra ve niunt.
Ione 3.
III. Niniuitæ pœnitentes plagam euertunt.
D. Aug. *Ser.* 211. *de temp. de fame Samaria.*
D. Ambr. *Ser.* 85.

lite, sarcinulas componite, facultates vestras, vxores & filios ab vrbis eripite interitu: vobis enim recedentibus in tuto cuncta seruabuntur. Securi sumus (inquiunt:) iam peccare destitimus. *Desine ergo peccare, & ciuitas non peribit.*

IV. Bethulia seruatur ob morum probitatem.

Fastu supra modum inflatus Holofernes cunctas sibi subiugabat prouincias, & regna regno lucrabatur Domini sui Regis Nabuchodonosor. Appropinquat copiis suis pæne infinitis instructus Bethuliæ vrbi celeberrimæ: ciues muros suos collapsos redintegrarunt, cunctaque ad prælium necessaria præpararunt, morituri (si necessitas hoc postularet) vt generosi milites, non se vt animo fracti tradituri inimico. Percunctatur legionum Imperator, quis ille populus, qui potentiæ meæ contemptor, audet in campum copias producere, explicare vexilla, tubisque insonare? Respondet illi Achior: Populus ille Deum agnoscit, in cuius si viuant gratia, & amicitia copulati, si sancita eius custodiant, ciuitates eorum incolumes conseruat, suntque inexpugnabiles: quocirca articulus tibi superest hic inquirendus: quòd si morigeri viuant & inculpabiles, frustrà illorum tentas excidium: sin autem viuant immorigeri, plurium culparum rei, tua illos nullo negotio potentia subiugabit, eruntque elumbi. Prudens hoc responsum superbientem Ducis animum non parum irritauit? iussitque illum exercitui vinctum tradi Israel, ex quo, obtêtâ, suô iudiciô, victoriâ, posset expetere vindictam: quo audito Achior, multum sibi timuit (inquit Liran.) quia licèt de subsidio, quod à vero suo Deo sperabant Israelitæ, non dubitaret, dubitabat tamen num fortè illis esset offensus, an propitius: quod ita verum asserimus cum Lirano, vt qui vndecim diebus ad terram peruenire potuissent promissionis; in via tamen postmodum quadraginta annis moram traxerunt: promptum etenim Dei desiderium illos statim introducendi in terram promissam lacte & melle manantem, idololatriis suis culpisque retardarunt.

Iudith 6. LIRAN. *ibi.*

LIRAN. *Deuter. 1. Per viam montis Seir.*

Hinc habemus quod Prophetæ, dum Reges Iuda de signis conferendis cum hostibus veniunt in concilium, persuadent, vt armis virtutis potiùs quàm ferri prosiliant instructi. Amasiam præmonuit Vates Dei: *Rex ne egrediatur tecum exercitus Israel: non enim est Dominus cum Israel, & cunctis filiis Ephraim: quod si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus.* Cùm legiones suas in hostem produceret Christianissimus Imperator Gratianus Augustus, D. Ambrosio litteras dedit, vt

2. Paral. 25.

V. Virtus gladio potentior est.

D. AMBR. L. 1. *de fide ad Gratia.* c. 1.

vt tractatum illi mitteret de vera fide, quam ea tempestate oppugnabant Ariani: indicabat enim piissimus Imperator: quòd ille qui virtutibus fideque vera armatus in arenam descenderet cum hoste conflicturus tutam certamque posset sibi spondere victoriam; illi igitur hæc inter alia denuntiat: *Petis à me libellum Sancte Imperator profecturus ad prælium: nosti enim fide magis Imperatoris, quàm virtute militum quæri solere victoriam:* explico: vt pius & religione clarus Monarcha spiritualia à me arma flagitas, vtpote non ignarus virtute fortiùs quàm gladio dimicari.

D. AMBR. L. 1. *de fide ad Gratia.* c. 1.

Cùm igitur hodierni triumphi subsidium SS. Virginis debeatur Rosario, pro receptis beneficiis immensas illi gratias referamus. Rosa pulchra Iericho, in cuius fragrantia notantur quinque mysteria gloriosa, quorum odor humilitatis fideique tuæ penetraret cælos, Deum euicit, atque in purissima hæc attraxit viscera. Rosa cuius spinæ dolores indicant mysteriosos, quibus Christi vita languit vlcerata. Rosa cuius purpureus flammeusque color, Regibus proprius te ipsam denotat in gloriosis mysteriis throno sublimem, Deique sede residentem. O diuina triumphatrix tibi namque vt tali, palmam deferunt & laurum protestantes eam tibi debitam, manubias offerunt & dedicant, tunc quidem Mahometanorum demersa sparsaque in pelago cadauera: nunc autem ardentissimos gratorum affectus fidelium. O Aquila Regalis! Quis etenim fauoris alis spiritus confidit attribulatus, & certaminibus expositus spiritualibus. Tuum nobis ô præclarissima Domina subsidium impertire: quandoquidem virgineis istis manibus, thesaurus traditus sit diuitiarum Dei, & optatissimum generis humani remedium: in bellis victoria, in afflictionibus solatium, in tenebris lux, in hac vita nostra gratia, & in morte æternæ gloria beatitudinis: *Ad quam nos perducat Iesus.* Amen.

Discursus V. *Trimphans & militans Ecclesia dependet à B. Virgine: illa etenim gaudet ad eius gaudia, hæc autem decertat ad victoriam & defensionem in periculis suis, in cuius manibus & Rosario confidenter promittere sibi potest Christianus triumphum, quem adeptus est contra Barbarum Othomanum.* Additus.

IN hodierno Euangelio catalogum recenset Ecclesia populi, quo Deus in lege naturæ & scripta, non habuit fortiorem & in

Gen.14. in bellicis rebus expertiorem. Abraham prodit, quinque Regum
Gen.26. triumphator: Isaac eius filius cui Rex Abimelech poten-
Gen.32. tiam suam armaque subiecit. Iacob luctatur cum Angelo & his omnibus iunior statuitur primicerius Dauid vt illustrior, & miles robustior: referunt hoc trophæa eius insignia, quæ brachij sui viribus retulit, dum plures Prouincias reddit sceptro suo vectigales. Post transmigrationem ex
I. In Euangelio fortium numerus recensetur. Babylonia Capitanei ac Duces rectores Israel in acie non defuerunt, mulieres: Deus etenim infirmis instrumentis suam buccinat potentiam: nam nullius minùs quàm earum indiget vocibus. Totum desinit in summo Imperatore Christo Iesu & diuinissima eius Matre acierum Magistra, militumque Antesignana, ac vtriusque Monarchiæ Ducissa generali, quæ ab eius fauore dependet & gratia.

Propositam ingrediamur viã, quò melius ad Euangelium festumque perueniamus. Exordium sumamus à loco quodam communi, non tamen communi explicatione. Signum magnum vidit D. Ioannes in nubibus cæli, mulierem ad stuporem formosam (Mariam semper virginem contemplabatur) quæ sideribus etiam illustrissimis tenebras
Apoc.12. obducebat. *Signum magnum: mulier.* Illo tantùm verbo mihi opus est, & inter varias huius termini significationes *Signum*, seu miraculum, seu prodigium, seu sagittarum scopus, tertiam sequor, id est *vexillum* seu epigraphe quam belli duces in exercitibus suis præferebant, & qua apud Isaiam militem ad arma conscribunt. *Eleuabit signum in nationi-* Isa.5. *bus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet.* Locum hunc D.Hier. D.Hier. interpretatus est de destructione ibid.
II. Maria signum, id est vexillum. Hierusalem per Titum & Vespasianum; tunc enim videbatur Deus esse velut in nubibus manu gestans vexillum, conuocans populum, & militem conscribens, vt eam funditus euerterent, florentem licèt Rempublicam, proditionis & Deicidij ream. Porrò quod dicam, vexillum, & esse mulierem, his omnibus interpretabor Virginem, quæ vexillum eleuat ad vtriusque Ecclesiæ protectionem. Quinimò & ipsi Turcæ hodie confessi sunt se illam vidisse per aëra discurrentem, exercitibus Catholicis auxiliarem, eodem quo Deus amictu rutilantem. *Amictus lumine:* ita Dauid de Deo Psal.103.
amicta sole: ita de Virgine D.Ioan.

Lunam solam pedibus suis substernit, quâ signum illud magnum exponemus, *Luna sub pedibus eius.* Gloriam indigitat luna plena, vbi nulli sunt defectus, nec in essentialibus augmenta, non mutabilitati exposita, non vicissi-

tudi-

tudini. Sic Beda verba hæc Salomonis interpretatur. *In die plenæ lunæ reuersurus est in domum suã.* BEDA. Prou. 7.
Cæterùm, dependentiam hanc gloriæ à B. Virgine præclara phrasi sed difficili describit Albertus Magnus: *Maria*, inquit, *Regina cælorum integritatem reddidit*, id est, perfectionem non capio. Quod in cælo vacuum esse potuit, quod Maria velut luna, sua plenitudine repleret? Ipse Christus modum explicat, ne tantum laborem in inquirendo. Parabolam proposuit de muliere, quæ amissam gemmam pretiosam, quã Euangelium drachmam appellat, accenso lumine quærit donec eam gaudio perfusa inueniat. Quodnam illud extitit lumen, quod accendit? Mulier illa Deus est, nec quisquam hoc iudicet inconueniens: hoc enim nomine amor illum describit apud Osee: *Ego quasi nutritius Ephraim.* Et D. Ioannes vidit illum *Præcinctum ad mamillas.* Drachma perdita hominem designat, drachmã decimam, si numeres nouem choros Angelorum. *Habens drachmas decem.* Et lumen quem denotat? Mariam: hæc enim Deo fuit adiutorio, in quærendo: vt homo perditus in ciuem adoptaretur cæli, & ruina redintegraretur Angelorum. *Ipsa autem Maria* (sic D. Albertus Magn.) *accensâ lucernâ flamma Deitatis, in testa humanitatis: quæsiuit diligenter donec drachmam perditã inuenit, & Regnum cælorũ redintegrauit.*

Osee. 11. Apoc. 1. Luc. 15. III. Maria lumen est. ALB. MAG. in c. 15. Luca.

Modò mihi liquet illa difficultas tot Doctorum ingeniis permolesta, considerationem suam hîc figit D. Anselmus, & quærit: qua ratione permittere potuerit amor Christi ardentissimum, & arctissimum vnionis cum Matre sua vinculum, vt ipse solus cælos triumphator intraret, secumque Matrem tantæ gloriæ participem non adueheret: spectante etenim matre gaudium accresceret triumphatoris? Multas adducunt SS. Patres rationes, & mirabiles huius dilationis Virginis ad gloriam conuenientias: sed illa D. Anselmi proposito seruit: *Fortassis Domine, ne tua cælesti curiæ veniret in dubium, cui potius occurreret.* Ne forsitan cælestem patriam & ciues suos Angelicos dubios redderet, dum Christus comite Matre sua triumphator ascendit, vtri primò debitas offerrent aduentus acclamationes. An filio, qui in quantum homo iam Regni sui possessionem intrabat accepturus, vel in quantum Deus, semper illud habuit vel eminentissimæ suæ Reginæ, Matri suspensæ hærere ẽt cælestium spirituum legiones, & confusionem (date verbo veniam) casus hic eorum pareret intellectibus. Capite mysterium. Quæro igitur: an poterat in hac receptione oriri difficultas quin omnipotenti, creatori, & Deo exhibenda esset, ingredienti, cũ canticis, iubilis &

D. ANSELM. de excellen. Virg. c. 7.

IV. Insigne dubium Angelorum pro gloria B. Virginis.

& lætitiæ signis acclamatio? Non dubito, nec ipse dubitat Anselmus: sed ostendit quàm grati Angeli Dominæ suæ Mariæ, gloriam suam referrent quandoquidem ad essentialis gloriæ contemplationem nescire videantur, constituti quasi in medio, quo se vertant. *Fortassis Domine* &c. Ecce qualiter triumphans Ecclesia à Virgine Maria dependeat.

Sed facilis, quia per experientiam & singulis horis probata constabit militantis Ecclesiæ dependētia, quod in pace, & protectione Virginis Mariæ floreat. D. Chrysost. cum aliis Virginem lunæ cōparat ad illa verba Psalterij. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna.* Ad Messiæ natiuitatem (de quo hîc sermo) abundantia orietur & quies optatissima, terra cōsolatione replebitur. Huius autē boni adimpletio euidenter patet: quandoquidē in Romano Martyrologio, & sacris ac profanis constet historiis, Christum natum fuisse: *Toto terrarum orbe in pace composito.* Quæramus igitur à Dauide, quanto tempore pax hęc sit duratura? Respondet: *Donec auferatur luna.* De materiali luna non loquitur, quæ noctis tenebras expellit, quibus præsidet: sed Mariam intendit interprete cliente eius deuotissimo S. Amedeo: qui rarum hoc, & singulare superaddit ex certis & antiquis traditionibus. *Tradidit fides maiorum iuxta veritatem historiæ, a bortu Saluatoris vsque ad transitum gloriosæ* (hoc nomine antonomasticè nuncupatur) *terrarum accolas sopita armorum rabie ac tranquilla pace quieuisse.* Et si post triumphalem Virginis in cælum ascensionem Ecclesiæ nauis tot tempestatibus iactatam naufragium pati videatur, vmbraculum portusque ei securissimus est Mariæ patrocinium.

Psalm. 71. D. CHR. *ibid.*

Nota. V. Cum Maria pax.

AMED. *Ho. 7. de laud. Virg.*

Porrò pietate & exercitio SS. Rosarij inuocata continuò scutum arripit & causam defensura Christianitatis. Humanâ hoc historiâ comprobemus. Dux Caramandrus obsidione grauissima pressit vrbem Massiliam, sub vmbra & protectione Deæ Mineruæ constitutam, quam cæcitas Gentilium vt Deum adorabat. Accidit vt Dux in tabernaculo suo obdormiens mulierem viderit (Deam Mineruam interpretabantur) quæ seuero satis eum toruoque vultu intuita mortem illi minabatur, nisi confestim assurgens obsidionem solueret. Totus horrore concussus expergiscitur, cum Massiliensibus pacis sancit fœdera, rogatque facultatem, quâ sibi liceat intrare ciuitatem Templaque eius inuisere: accedit igitur ad Fanū Mineruę, & ilico cœpit exclamare: hæc illa mulier est, quæ nocte præterita tanto me timore concussit. Historia est vel dolus excitatus à diabolo, vt populum cæcum in errore

IVSTIN. *hist. l. 43.*

VI. Historia.

errore idololatriæ suæ constantiùs animaret, latet tamen his descripta veritas; hodie ad extremas reducitur angustias orbis Christianus terrore Turcarum pæne exanimatus: perterret illum Maria: quandoquidem à Spiritu S. nobis ad subsidium, hostibus verò dicatur, *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Cant. 6.

Hinc mihi constat, cur ad inuocationem Rosarij & Reginæ suæ celerrima accurrat in auxilium. Dicam Rosa est regina florum, vt Virgo Angelorum iustorumque Regina: sunt etenim hi Ecclesiæ flores odoratissimi. In medium prodeat piissimus Richardus. *Rosa Regina: purpurei enim coloris est, & purpura Regibus conuenit. Alij enim pulchri flores, aliæ bona mulieres: ipsa verò Regina Virginum & decus mulierum sicut rosa florum.* Regij apparatus, insignia Principum, & Monarcharum rosam exornant: color ille purpureus & vermiculatus quo à natura decoratur, purpura est. *Et pupura Regibus conuenit.* Corona, gloria, decor, & pulchritudo totius Angelicæ naturæ, & humanæ propaginis, Maria Rosa proclamatur.

RICHARD. A S. LAVR. li. 12. de laud. Virg.

VII. Maria rosa est.

Nisi fortè aliud responsum placeat Euangelio conueniens. Rosam cernis rubicundam & fragrantem, spinas tamen vndequaque circumuallatam nihil tamen timendum ex eis Rosæ decorem fore conspurcandum: ita nec Christum nec Mariam offendere potest tanta peccatorum colluuies: cùm Deus ex natura, Maria verò ex gratia sit impeccabilis. Gratam accipite D. Gregorij Nyss. interpretationem. *Sicut lilium inter spinas: sic amica mea inter filias.* Sic sponsam Mariam demulcet diuinus ille Spiritus. Doctor autem hic ita legit: *Sicut rosa inter spinas, sic soror mea inter filias.* Probat autem D. Greg. heroicam animæ perfectionem, gradumque sublimissimum consistere, in eo, si ad talem pertingat statum vt ex hominum societate à perfectione non deficiat, quinimo inter ipsos vitam agat ab humana alienam & diuinæ conformem. Spina est malum exemplum in proximo notatum: spina quoque contagium quo malorum consortium Rempublicam deuastat: quem autem hæ spinæ non pungunt, nec à pietate dimouent, nec ad malum inclinant, hunc esse magnanimum, cordeque constantem asseremus. Potest alacris ille tantùm Deo similis, lucem prætendere gloriosam, cùm in illa iam ita constans habitet, vt eum nec tenebræ adeò vicinę obscurare possint. *Postquam ergo* (Gregorius Nysse. loquitur) *facta est flos, neque à spinosis læsa fuit tentationibus, quò minùs esset lilium, oblita populi & domum patris & matris suæ, aspexit ad verum patrem: & ideo vocatur soror Domini, & seipsa rursum fit sublimior.* Venu-

Cant. 2.

D. GREG. NYSSEN. Hom. 4. in Cant.

sta prodit ex gemma Rosa Maria, generationem suam relinquit: nam vix illam agnoscit, cùm gratiæ potiùs quàm naturæ sit fetus: *Oblita domum patris.* Accrescit peccatoribus valedicés, ad diuina adspirat lumina, spinas custodes habet, non offendentes: ita canit Ecclesia: *Sicut spina rosam, genuit Iudæa Mariam.*

Cæterùm Angelicæ salutationis attendamus efficaciam, quâ triumphos consequimur, nec tamen è manu calamum, & animam dimittamus rosam nostram inter spinas. Philostratus aduertit concinnè proposito meo admodum opportunum de Rosa: *Rosa spinam sagittarum loco habent, rutilum colorem pro facibus, & foliis alatæ sunt.* Sagittas, faces & alas habet hic flos: spinæ sunt sagittæ: illis multæ nationes præliantur, & his rosa se defendit. Faces & luminaria, quibus exercitum obcæcet aduersarium: vidimus hoc in prælio Gedeon contra Madianitas: concussis lagenis quas manibus ferebant. Alæ leuiores denotant equos & pilas emissas, quæ aëra perrumpentes celerrimè vulnerant. Quid hîc aliud quàm salutationem notamus Angelicam? Rosa est, cuius verba sagittæ sunt, quæ Deum deuinciunt & suauiter trahunt nostris precibus inclinatum: & si in illis ostendi sibi velint flammas & incendia, recordentur eius quod dixit Spiritus S. de labiis

PHILOSTR. Ep.

VIII. Rosæ qualitas Mariæ applicatur.

animæ iustæ: *Sicut vitta coccinea labia tua:* quod explicat appositè Guilbertus Abbas: labia purpurea igneum colorem præferentia. *Bene coccinea labia, quæ hunc ignem non solùm in terram, sed etiam in cælum mittunt: denique & ipsum cæli Dominum succendunt.* Velocitas expeditionis eius manifestatur in illa quam expertus est Catholicus populus in mari, dum in terra pia instituitur populi fratrumque supplicatio.

Cant. 4.

GVILBERT. in Cant. ex Alegor. Ti. telm.

Vt autem argumentum nostrum magis in particulari confirmemus, conceptum solummodo proferamus eius quod in communi efficere potest oratio (de quo postmodum latiùs excurremus) Regnante Dauid Philisthiim ad vltimas redegerunt angustias populũ Israeliticum, & die quodam ob periculũ capiti illius certum imminens consiliarij iudicarunt non expediens vt ipse Dauid in arenam descenderet vitamque suam aleæ certaminis exponeret: dicebunt enim: *Ne extinguas lucernam Israel.* Insignem de hoc rationem allegat Liranus: *Plus enim poterat adiuuare existentes in prælio suis orationibus absens, quàm pugnando viribus corporis præsens.* Prudenter valde iudicarent belli Principes: quòd cùm Dauid sanctimoniæ meritis emineret, linguâ fortiùs & feliciùs quàm gladio dimicaret: vnde maluerunt vt absens oratione

2. Reg. 21.

LIRA. hic.

IX. Mariæ oratio efficax.

oratione quàm præsens gladio decertaret, fidentes magis seruidis eius orationibus quàm manibus eius robustioribus: si namque his leones, vrsos & gigantes interfecit, illis Deum superabat. *Labia coccinea quæ ipsum cæli Dominum accendunt.* Et si viribus orationis Mariæ vires adiungamus: quid dicemus? Inexpugnabilia sunt hæc arma quorum iactu & impetu cælum superatur, & clausæ eius portæ reserantur.

Nunc intelligo quod Maria die quodam dixit Patriarchæ nostro S. Dominico: quod qui Rosarium eius piè legerent, essent *Gabrielis Archangeli socij.* Non moror in eo quòd aliquis fortasse dixerit, & bene quidem comparationem in illo consistere, quòd eadem, quæ ipse prius dixit, verba proferant: sed profundius argumentum penetro. Certò nouimus Gabrielem significare *Fortitudinem Dei.* Dum igitur ait, sunt eius socij, declarat eos milites esse fortissimos per vires orationis, quæ in salutatione Angelica profertur: quandoquidem illam cælestis adducat aulicus nomine decoratus *Fortitudo Dei*, non confligit sagittis, non gladiis, non lanceis, non acie qui armis his decertat, sed igne, flammis & incendiis: ignis etenim est Mariæ nomen sæpius repetitum, vt propriâ doctus experientiâ confirmat sacellanus eius D. Bernard. *Tu nec nominari quidem potes quin accendas.* Ecclesiam suam Maria adiuuit & defendit sacris suis pedibus aduolutam, & in prælium descendit communi fidei hosti aduersaria, stupentibus ipsis Angelis, nam ad vnam orationem respondent quòd propter orationem Rosarij eorum Regina in pelago ad Echinadas fauore suo certātibus accurrerit.

D. BERN. Orat. ad Virg. Mentem & oculos.

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol? Auroram dixeris mysteria gaudiosa: nec enim quid minus effatur vates Osee: *Quasi diluculum præparatus est egressus eius*: luna subiacens defectibus dolores indicat Saluatoris, ita sentiente D. Augustino: *Per lunam significare solent scripturæ mortalitatem carnis.* Sol oriens Christi triumphis & gloriæ applaudit: nec est quòd probationes adferam, quandoquidem velut cui de iure competit eius esse symbolum, matutinus exurexerit, & die Resurrectionis tribus horis anticipatiuè radios suos per orbem diffuderit, teste D. Petro Chrysolog. *Sol vt manefaceret, manicauit.* Cuncta igitur ô ter maxima Domina simul dicamus: murus es & protectio, honor noster, lux & vtriusque Monarchiæ gloria, cui Regina præsides illustrissima.

Cant. 6.

Osee 6.

D. AVG. in Ps. 88.

D. P. CHR. Ser 82. de Resurrect.

SEQVVNTVR DVODECIM BREVIORES CONCIONES PRO PRIMIS DOMINICIS CVIVSQVE MENSIS S. ROSARIO PVRISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DEDICATIS.

LECTORI PROLOGVS.



DVODECIM scintillas ex duodecim antecedentibus sermonibus exilientes, seu motiua breuissima Virgineis destinata laudibus tibi offero : modum obseruans in sacra mea Prædicatorum Religione prædicandi legitimum perpetuum, singulis primis Dominicis mensis ad vesperam in supplicatione SS. Rosarij. Conciones sunt illæ, quibus fideles excitantur ad deuotionem & frequentationem huius exercitij diuinæ Maiestati gratissimi. Communes profero Virginis laudes : & licèt conuenienter illi mysterio quod tali mense celebratur, non ita tamen, quin aliis, seruire possint occasionibus, cùm nulla sit oportet, in qua Prædicator Euangelicus non recognoscat sibi verba, spiritum & gratiam dari per Mariam, vt piè notat & veraciter addictissimus illi filius, D. Bernard. quando ad nuptias in Cana Galilææ ministris ipsis ipsa dixit: *Quodcumque dixerit vobis facite*: quibus verbis indicauit, nequaquam officium prædicationis, quod nihil aliud esse dicimus quàm animabus delicata ministrare fercula,

Ioan. 2.

cula, fructuosè, vtiliterque exerceri, nisi eius minister per Mariam pleniùs instruatur. Audite Bernard. *Quo exemplo innuitur, quod officium prædicationis, non debent vsurpare sibi nisi quos Maria Mater gratiæ priùs instruxerit.* Ipsi primò sint auditores Mariæ, eius frequentent classem: si namque Magistra docuit Apostolos, ab ipso Deo immediatè instructos: hoc quippe titulo honoratur apud Rupert. *Magistra magistrorum, id est Apostolorum*: Temeritatis argueretur ille præsumptuosæ, qui se à Virginis & Magistræ separaret discipulatu.

D. Bern. Ser. 13. ex paruis.

Rupert. l. 1. in Cant. ad illud: Indica mihi.

CONCIO

PRO DOMINICA

PRIMA IANVARII.

THEMA.

Et reclinauit eum in præsepio. Luc. 1.



Odie, ô Serenissima Imperatrix Maria, te contemplor diuino pignore, gemma & insignibus summæ tuæ nobilitatis, ornatusque decoratam. Lapidem considero suo in centro latitantem, aquam suscipio de fonte suo scaturientem, ignem habeo in sua lucentem sphęra, & gemmam conchę suę inclusam. Nouum planè & insolitum mihi quod prodeuntem de intacto illo, purissimoque ventre puerulum reclines in præsepio, cęlo terræque expositum iniuriis. An satius non fuisset infantilia teneraque membra vberum tuorum, fouere blanditijs, quàm lapidis durissimi illis prębere ceruical? Tantúmne grauat te Deus? Dicamne tātę gloriæ possessionem generare posse fastidium? Tam citò à te repellis, cuius in mundum aduentum tam ardentibus postulasti desiderijs? Imò credideris quòd eum sic omnibus optet fieri communem, quem eo loco statuit ad quem

I. Maria Iesum reclinat in præsepio vt sit omnibus communis.

quem omnes indiſcriminatim omni ſepoſito timore queant accedere, etiam ipſa irrationabilia animalia. Hanc prudentem Virginis induſtriam mirabili modo exaratam ſuſpicio in eo quòd Gedeoni contigit. Locuturus illi accedit Angelus, reperitque illum vanno purgantem triticum, erat enim agricola: voluit igitur illi Deus ventilabrum mutare in lanceam, & aratrum in virgam, ducem illum, & gubernatorem creans populi ſui Iſrael: adeſt cæleſtis Paranymphus omnem excludens metum: *Dominus tecum*, non eſt quòd timeas virorum fortiſſime hæc eius tibi indicatur voluntas vt officium mutes, & gladius tuus populum Iſrael defendat contra Madianitas, à quibus durè nimis opprimitur. Domine, de rei veritate nullum mihi dubium (inquit Gedeon) ſed pro ſolamine præbe mihi ſignum, illudque ſit, quod in hoc vellere noctis ros omnis colligatur. Fiat vt petiſti: & ecce die altera terram intuetur, cuius plantæ pruinæ conſperſæ eſſe debuerant, quæ exaruit, eiuſque plantæ, adinſtar feſtucæ, quam vellus totam imbiberat. Inuertatur miraculum: tota madeſcat area, & laneum vellus nullo rore cõſpergatur: quo facto deſideriis meis ſatiſfactum cõgratulabor, & Deum mecum eſſe non ambigam qui vellus ſum, & pariter cum populo, quem hac area volo ſignificari.

Iud.9.
II. Allegoria.

Vmbram hîc lucis hodiernæ contemplor. Deſcendit Dei verbum ad mundi huius aream: vt autem conſtet quòd eum ſit de diaboli oppreſſione liberaturus, qui Madian deſignat, ad ſe totum colligat rorem cæleſtem in mundiſſimis Mariæ viſceribus: hæc etenim vellus fuit candidiſſimum. *Vellus Gedeonis*: illam eſſe cum Eccleſia decantamus. Alcuinus Doctor veteranus ſic ait: *Lana diuinitate purpurata ſolummodo æterno Imperatore indui digniſſima.* Additur D. Proculus Archiepiſc. Conſtantinop. *Vellus mundiſſimum cæleſti pluuiâ madens, ex qua paſtor ouem induit*: & his ſubſcribit D. Bernard. Attamen titulum hunc nobis altiùs attollat D. Petr. Chryſolog. *Diuinitatis bibulum vellus.* Totam Dei in ſe imbibit magnitudinem. Metaphora ducitur ab eo qui ſcribit in charta bibula & candida, quòd ſi calamum fortius premat, ita atramentum imbibet, vt litteræ ſcriptæ in interiori facie, legi queant in exteriori. Ex Iſaia nouimus Mariæ viſcera librum vocari & chartam: de illa etenim cum aliis illud intelligo: *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo ſtylo hominis.* Calamum ſcribentem dicimus Dei filium. *Lingua mea calamus*

ALCVIN. l.3. de Trin. c.14.
D. PROCVL. de Natiuit. Christi.
D. P. CHRYS. Ser. 143.
D. BERN. Ser. 3. de Annunt.
Iſa. 8.
Pſ. 44.

calamus scribæ. Fortis est, vtpote Dei Patris fortitudo, in exteriorem transit chartæ faciem, & scriptus in Maria hodie foras exit & secū in brachiis suis eā conclusā Deificat. Habemus itaque Deum in Virgine velut rorem Gedeonis in cādidissimo vellere; nunc autem secundum videamus, nobis ad solamen, prodigium; & postquam illum in se recepit, suisq́ue constrinxit amplexibus, illum publicè exponat, quatenus omnes eo perfruantur, & accedant eum visuri.

Exposuit hoc admodum eleganter Cardin. noster Caietan. super illud: *In præsepio.* Nunciant cælorum incolæ Iudææ pastoribus: *Inuenietis infantem pannis inuolutum & positum in præsepio.* Deum inuenietis in præsepi recenter editum in lucem; nec in particulari dicentes qualis esset, absque dubio locus omnibus innotuerat, & communis erat omnibus: effusio etenim & liberalitas Mariæ tanta est, vt quasi proprio se priuans filio, illum omnibus tradat, & offerat, non amplexibus suis conclusum, vt illum videatur sibi retinere, sed in loco cunctis vniuersaliter notissimo. Loquatur igitur Caietan. *Hinc colligitur, quòd præsepium notorium erat, vnicum ac commune: alioquin Angelus dixisset, in præsepio talis domus.* Ingenium subtile

III. Quale fuerit Christi præsepe.

Caiet. in Luc. c. 2.

D. Petr. Chrysolog. eximiam parit mihi rationem ad huius argumenti clariorem elucidationem. Virginem enim alloquitur iam Deo plenam & fetam. *Ne præsumas hunc vocare filium tuum, sed mox vt genueris inuoca Saluatorem:* ô Domina quamuis Deum generes, sisq́ue mater Dei, ne precor illum appelles filium tuum: calamum à scribendo suspende Doctor piissime. Quòd si de Virginis sit formatus visceribus, illiq; Deus magis propriè sit filius suus, quā quilibet alius, matris suæ potest esse filius: quandoquidem secluso omni maritali opere, & temporali non interueniente patre, materna fuerit omnis gloria dignitatis huius in Maria: quam ob causam negas illi filij sui compellationem: & quasi rei alienę dominium vsurparet, vel vllum cadere posset in tantam humilitatem & gratitudinem præsumptio, prohibes: *Ne præsumas vocare filium tuum?* Vtique quia talis est cælestis ille Virginis partus, eiusq́ue tanta dignitas: vt cùm Deus esset illi adeò proprius ac filius suæ matri, illa indicaret indecorum & iniurium homini, si non eum communicaret: & quamuis in quantum filius, eius deberet vberibus suspendi, in quantum tamen illum generat Saluatorem, quod ordinem dicit ad multorum salutem, ab eis illum

D.P.Chr. Ser. 142.

IV. Maria filiū suum, vocet Saluatorem. Nota.

illum auellat, hunc non proferat titulum, sed Saluatorem inscribat. *Inuoca Saluatorem*, & in communi eum reclinet omnibusque noto præsepio.

Matt.2. V. Munera Magorum luculenter expenduntur.

Tres Magos seu Reges Orientis vidimus munera donaque Regi iam nato deferentes, modumque obseruant & ordinem oblationis: *Obtulerunt ei aurum, thus & myrrham*, Myrrha est proximior cùm tamen esse deberet (dicet aliquis) contrarium: aurum etenim metallum est omnium maximè pretiosum, & diuinitatis Regiæque dignitatis symbolum, quam apertè in puero venerantur abscondito. *Vbi est qui natus est Rex?* Aurum ergo immediatè Deo consecrandum erat, cur hoc minimè faciunt? Quid dicemus? Spiritus S. vt eorum magister, dona dirigebat, munera ordinabat, & manus deducebat: nec amicus est auri: terram enim in cuius nascitur visceribus, reddit sterilem & infecundam: etenim circumcirca nullas videre licèt arbores, plãtas, flores, herbas: omnia ad se trahit, & cum omnibus, bellum habet. Igitur perspicuum fit, Diuinam Maiestatem exhorrescere detentionem, parcitatem, & proprietatem; aurum quod sibi habere debuerat maximè propinquum ob eius significationem, fit ab illa maximè remotum, atque ex eo quod in se est, sit ceteris distantior oblatio: Deus etenim omnibus venit, aurum autem sibi soli tantùm nascitur.

O Maria cælestis Imperatrix: *Inuenisti gratiam*, ait illi Angelus, quam ante salutauit *Gratiâ plenam*. Si igitur prius illam possederit, ad quid vlterior gratia? Percunctatur D. Bernard. *Quid plena est gratia, & gratiam adhuc inuenit?* Vasi aqua pleno & definito (ait Philosophus) aquam vberiorem infundere, hoc eo fit animo, vt effundatur. Verum est: quinimò ea de causa, copiosior Mariæ tribuitur gratia: nec enim sua plenitudine contenta est, vult insuper vt ex sua superefluentia & copia mortales siti deficientes & calamitatibus oppressi, participent. *Cui propria non sufficit plenitudo: nec suo potest esse contenta bono, petit superefluentiam ad salutem vniuersitatis.* Vniuersalis benefactrix hominum, commune omnibus bonum hodie puerulum reclinas in præsepio, quatenus omnes accedamus &c.

D. BERN. Ser. de Natiuit. Virg.

CON-

200

CONCIO
PRO DOMINICA
PRIMA FEBRVARII.

THEMA.

Tulerunt Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino. Luc. 2.



OTAM sphæram seu ignis diuini globum brachiis tuis cõstringis: solem iustitiæ tuo suspendis pectore, & misericordiæ fõtem, ô Maria, hoc mense defers ad S. templum Hierusalem, nouâ illud gloriâ decorans, eiusque luce spissas de mundo tenebras eliminans. Acceptum fuit hoc supra modũ Deo Patri, dum de manibus istis recipit filiũ Deum ipsum, quem ab æterno suo genuit intellectu. Candida columba ramum portans oliuæ, pacem nostram, & diuinæ signũ reconciliationis. Prægrandi tenetur illi vinculo, genus humanum quæ Deum corporeum produxit & visibilem. Cùm essent homines cæteris terrestribus creaturis dignitate superiores, immortalibus illis substantiis, beatisq; spiritibus cognati: iudicio & intellectu præditi, sic tamen omnium passi sunt iacturam, vt cultum exhibuerint, altaria, arasque erexerint Soli, Lunæ, lapidibus, aliisque rebus omni adoratione indignis: & si radicitus velimus originem inuestigare huius talisque ignorantiæ: respondebimus, quòd sibi persuaderent homines, & stupidè crederent, nullum esse debere Deum inuisibilem, iudicantes idem censeri, non habere, ac illum non videre: quamobrem elegerunt falsum potiùs creare Deum, idque ex lapide, vt eo modo haberent sibi præsentem; quàm adorare absẽtem, licèt verum. *Fuerũt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Præ lachrymis & mœrore (asserit Propheta Regius) deficiebam, Ps. 41.

ficiebam, summopere videre desiderans Deum incarnatum, cùm enim Gentiles mihi Deos suos falsos digito demonstrarent: ego illis Deum meum & verum monstrare non poteram.

Cùm ergo videri nequaquam posset in sua natura diuinitas illa immensa ab humanis oculis, ob infinitam disproportionem debilis & infirmi visus nostri ad lucem eius copiosam.

Exod. 33.

Non videbit me homo, & viuet. Amor illi medium suggessit, & ingenioso vsus est stratagemate, concurrente Virgine Deipara Maria: in eius etenim visceribus illum reddidit visibilem, & homini socium, manente tamen Deo, in quantum Deo occulto, & cooperto, & apparente eodem Deo homine discooperto per Mariam: itaque vsque ad cælestis huius Reginæ tempora, speculatiuam tantum habebamus de Deo notitiam: nunc autem practicam: sed Mariæ hoc adscribamus: & D. Bern. hunc conceptum.

Bern. Ser. in Natiui. Virg. de Aquæductu.

I. Deus per Mariam factus est visibilis.

Habitat planè per fidem in cordibus nostris: habitat in memoria nostra: habitat in cogitatione: quia vsque ad ipsam descendit imaginationem. Quid enim prius cogitaret homo de Deo, nisi forsitan idolum corde fabricaretur? Incomprehensibilis erat & inaccessibilis. Cognoscebamus illum, sed interiùs, non exteriùs: intueri poteramus illum oculis animæ, non corporis: per Mariam autem se nobis apertè manifestat. *Nunc verò comprehendi voluit, videri voluit*: quòd si quæsieris, *quonam modo? Nimirum in virginali gremio cubans.* Mariæ hoc debemus; illa corporeum formauit incorporeum, & visibilem qui solius erat intellectus obiectum, & nostræ studium imaginationis: & hęc tāta familiaritas, quâ nobis Maria Deum præstitit vicinum & terræ nostræ esse dedit incolam, euidentiùs explicatur primo verbo libri Canticorum: *Osculetur me osculo oris sui:* quo Verbi diuini deposcit Incarnationem. Non traseunter notandus est loquēdi modus: quare loquatur in tertia persona: *Osculetur me.* Recreet me, & lætificet, Pater filio suo: & nullâ interpositâ dictione, aut syllabâ mutat ordinem, & loquitur in secunda persona multò quàm ante familiariùs. *Quia meliora sunt vbera tua vino*, prius dicitur *ille:* nunc, *tu.* Fortè dicam arrogantiam, aut præsumptionem: hanc enim significant transuersi modi loquendi? Quomodo quis iure in Maria reprehendat arrogantiam, cùm ipsa sit humilitas animique submissio? An fortè inaduertentiam dixero velut eius esse potest, qui magnati loqui incipiens ob viri eminentiam sui oblitus in oratione illum titulis excipit humilioribus? Mul-

Cant. 1.

tò

tò minùs: eſt enim Virgo prudentiâ cæteris inſignior, nec obliuiſci cæleſtium poteſt colloquiorum, cui perpetua cum cælicolis eſt pia conuerſatio. Quid ergo opinandum? aut quæ huius ratio? ſuam incipit loquendi rationem, quaſi abſenti loqueretur, & animo perpendens infinitam inter creatorem, creaturamque diſtantiam, ait *Oſculetur me*: verumtamen Deum recogitans ſibi ita vnitum, in ſe reuertitur, quid dico? Quomodo ſic loquor? Nũquid te poſſideo, video, teneo? meis cõſtringo brachiis? *Meliora ſunt vbera tua vino*: Quocirca ipſa Deum noſtris obtulit conſpectibus, & per Mariam ſemper adeſt viſibilis. Cant. 1.

PLVTARC. de vita & fortuna Alexandri. II. Hiſtoria. Ad huius enodationem hiſtoriam referamus ex Plutarcho: Celebris quidam artifex ſtatuarius vt palpum obtruderet Alexandro Magno, hæc ait: quòd omnia monumenta quæ ad perpetuandam eius memoriam poſſent erigi, modica eſſẽt, indigna eius excellentiâ, nihil eius collata facinorum prærogatiuis: ipſe verò vnam erigeret in materia perpetua & conſtanti: huius autem figura eſſet mons Athos qui Prouincias Macedoniæ & Thraciæ ſeparat: nam ex parte ſuperiori formam videtur referre corporis humani: hic autem vocaretur mons Alexandri, & de duabus extremitatibus quæ ab illo promicabant quaſi duæ formentur manus extenſæ: ædificetur iuxta vnam notiſſima ciuitas, quam vna cingat & amplectatur manu: atque ex altera vehementiſſimo profluat impetu fluuius: quaſi pelago aquarum ſuarum ſoluens vectigal. Huius fabulæ veritas Mariæ ſeruetur illibatæ: eſt enim mons Eccleſiæ altiſſimus: vna manu Hieruſalem amplectitur triumphãtem, & militantẽ: nam vna eademq; eſt ciuitas, diuerſis licèt ſtatibus florẽs: atque ex altera flumen ſcaturit Verbi: prius enim per cãpos aruaque tantum defluebat beatitudinis, illo perfruentibus Angelis: nunc autem Maria eius aperit decurſus, vt eo quoque homines gaudeant, ſemper illum offerendo; vtpote quæ Deum expoſuit viſibilem. Hæc diuinæ miſericordiæ copioſiſſima fluenta hauriunt & delectabiliter guſtant S. Roſarij precibus addictiſſimi &c.

CONCIO PRO DOMINICA PRIMA MARTII.

THEMA.

Regina cælorum vocari digna es: ex officio Ecclesiæ.



HVMANÆ felicitatis exordium, nostræ reparationis primitias, & gloriæ tuæ ô Virgo sanctissima hoc mense celebramus initia: quo te cælum titulo & dignitate coronat Reginæ Angelorum, atque omnium nomine paranymphus Gabriel celsitudini tuæ flectit genu, recognoscens Angelicam dignitatem esse illi tributariam. Considero quod in duobus iisque plurimùm diuersis, & quidem paruo post creationem suam tempore, statibus se luxit homo vixisse: primus erat iustitiæ originalis & gratiæ diuinæ status: quæ est naturæ diuinæ optanda quædam participatio: & in quo quasi amicus Dei, superior ac Rex creaturarum omnium effulgebat. Secundus erat culpæ, in quo viribus ita cunctis elanguit, vt totus in eum quasi armatus orbis insurgeret: nominatim autem cælestes spiritus ab illa hora, se nobis declararunt esse inimicos. Nolo præterire D. Anastasij de hoc iudicium. *Disiuncta erat terra à cælo & belligerabant Angeli aduersus hominem.*

I. Angeli post culpam facti sunt nobis aduersarij.

D. ANAST. NIC. q. 61. To. I. Bibl. PP.

Et hoc eo fiebat modo, vt cùm sint Angeli misericordes & pacifici, gauderent tamen nobis posse inferre supplicium. Angelus ad ingressum stetit paradisi flammeo accinctus gladio, prohibens extorri Adæ regressum & ingressum. Angelus ignem & sulphur pluit super Sodomam. Angelus dictus percutiens primogenita trucidauit Ægypti. Angelus erat qui non nisi vnius noctis tempore centum octoginta quinque millia militum exercitus Assyriorum interfecit. Verumtamen in mundo natâ cælesti hac Virgine, gaudemus quòd

quòd mutata veteri conditione, Angeli hominum amore langueant: dum auersio mutatur in affectum, fugam familiaritatem, exigua conuersatio in perpetuum commercium, bellum publicum in notam omnibus charitatem: ita vt hominem in Maria cognoscentes superiorem, quæ summa imaque coniunxit & delapsu culpæ illum ad supremam extulit gratiam, etiam se iudicent & fateantur Mariâ esse inferiores.

Hæc est illa descriptio figuræ atque structuræ magnifici illius Templi Salomonici, in quo multa licèt spectanda se offerrent in auro & argento, vasisque pretiosis: tamen oculos potissimùm rapiebant: *Malogranata centum quæ catenulis interposuit.* Templum hoc vmbra erat lucis Marianæ, ipsa verò Dei: malogranatũ in diuinis & prophanis litteris hieroglyphicum præfert Regni ratione fructus, cui natura coronam imposuit: charitatis etiam & amoris, seipsum expandens quo rubea eius grana crescant: catena verò stigma est seruitutis: catenâ namque vates Hieremias seruitutẽ præsagijt Hierusalem. Igitur donec templum illud Mariæ in mundo ædificaretur, cùm homo adeò abiectus & Deus esset adeò excelsus, ad nostrum dedignabatur venire carcerem, & ferrum tangere seruorum indicium: porrò Virgo sanctissima tantâ pollebat potestate, vt malogranatum catenis copulauerit, Deum homini fecerit consanguineum, & consequenter illam cælestes aulici, vt omnium eminentissimam, adorarint.

2. Paral. 3.

Hierem 27.

Non vulgari intellectus acumine hoc perpendit Albertus Magnus: cùm enim Gabriel, Archangelus esset, in toto tamen Euangelio: *Missus est*: in quo D. Lucas narrat eius ad beatissimam Virginem legationem, illum non alio nomine quàm Angeli compellat. *Missus est Angelus Gabriel: Et ingressus Angelus: & respondens Angelus.* Quid hoc ô Domine: si Archangelus sit, & fortè supremus totius Hierarchiæ, quo iure titulum quo eius fulcitur auctoritas, illi suffuraris? Quantò amplior est legati dignitas, tantò & mittentis est honor illustrior. Meâ censurâ sine culpa priuilegium illi nomenque tollitur dignitatis, illi à sua in gratia confirmatione concessum. Ipse nodum soluat Albert. *Quod autem hîc repetitur, nomen commune Angelicum dicitur, & ingressus Angelus: per hoc datur intelligi, quòd omnino in ratione nuntij venit.* Ne fortasse quispiam arbitraretur Angelum esse superiorem Mariâ: quando

Luc. 1.

II. Gabriel cur in Euangelio non dicatur Archangelus.

ALBERT. *in Marial. circa: Et ingressus Angelus.*

Deus aliquem ad eum promouet auctoritatis gradum, vt cum ad Mariam legatum creet & nuntium, adimit illi id omne quod dignitatem redolet & prælaturam: maneat illi titulus Angeli: cùm enim significet *Missus*, seruitium tantùm indicat, ministerium & obsequium: secum notam trahat serui, nomen serui: seruus etenim est Mariæ. Idem magis vrget Albert. illud attendens, quòd ignorauerit vel illi permissum non fuerit obiectis à Maria Virgine dubiis respondere, sed illam ad Spiritus S. remiserit obumbrationem: *Spiritus S. superueniet in te.* Libenter audio ab ipso huius quæstionis enodationem: *Ne me interrogaueris* (inquit) *supra me est & non potero ad illud: Spiritus S. superueniet in te.* Quamuis enim tantò Deus nuntium honore affecerit: vt Mariæ mysterium hoc proponeret: illud tamen aperire, eamque pleniùs instruere, cùm hoc Magistri ad discipulum inuoluat superioritatem, Deo reseruatur: ipse namque solus eius immediatus est magister & superior.

III. Gabriel non instruxit Mariam.

Omnia vnico verbo perstringat Albert. Magn. seruus Mariæ Virginis obsequẽtissimus: quod dum lego semper noua mihi occurrit difficultas. Virginem diuersis iisque præclaris prosequitur epithetis, his scilicet: *Mater sanctissimi hominis, Mater creaturarum, Mater Dei & hominis corporalis, Mater omnium hominum spiritualis, Mater machinæ mundialis, & Mater Angelicæ restaurationis:* & mater, nulla excepta, omnium creaturarum. Quis comprehendat eam esse Matrem Angelorum: cùm immediatè à Deo sint creati, eosque Deus in bono confirmauerit, vt in gratia constantes persisterent, & in gloria quâ nunc beati perfruuntur? Mulier esse potest, vocarique mater, siue ob generationem, siue ob sollicitudinem. Hoc deficere quis fortè dixerit in Maria respectu Angelorum: quâ igitur ratione eorum dicitur esse Mater? O præclaram Virginis dignitatem! Nemo se ab eius eximat iurisdictione & dependentiâ: quinimò & ipsi Angeli, qui à solo Deo dependent, & eo indigent: vult ipse vt saltem aliquo modo à Maria dependeât (nam eius intuitu illos in principio luce & splendore circumornauit) & quia esse independentẽ à Deo, indicat esse Deum: *Ego dixi: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges:* dependeant saltem quoad nomen Angeli à Maria: & dicat Albertus, quod pleno ore eorum possit Mater appellari. Quo precor, melius Reginæ Ange-

ALBERT. *in Mar. Quo in loco Annuntiatio.*

IV. Maria mater est Angelorum.

Psal. 15.

Bb b

Angelorum præcellentiam celebrabimus quàm ipsa Angelica salutatione: *Aue Maria*? Hoc epiphonemate in cælo soloque, ô Virgo dignissima, cælestes te laudant Hierarchiæ, (vt D. Athanasio credo) hymno auribus tuis vt dulcissimo ita gratissimo, in quo saltem aliquid decantatur eorum, quæ cunctipotens creatoris manus in te spectanda cumulauit insignia. Hoc suaui cantico Confratres eius S. Rosarij deuotissimi, Virginis celebrant encomia, suas recreant linguas, fouent pectora &c.

Ser. de Deipara.

CONCIO

PRO DOMINICA

PRIMA APRILIS.

THEMA.

Ostendit eis manus & latus: gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Ioan. 20.



NON inferiori elegantia quã pietate contemplatur deuotissimus Abbas Arnoldus Carnotensis, vulnera Christi filij tui, ô ter maxima Domina, quibus apertè constat æterno Patri debitum humani generis esse persolutum: tua quoque vbera virginea, fontes misericordiæ, columnas esse & fulcra Ecclesiæ fortissima, miserrimo peccatori ciuitates esse refugij, scuta in quæ diuinæ iustitiæ ictus irruunt, & acutæ gladij illius acies hebetes redduntur, etenim Pater æternus pretiosissimos in filio suo rubinos contemplatus, & instrumentum quod tenerè blandeque illum enutriit, in matre, vulnera & vbera intelligo, placatur, pacificatur, mitescit & ad misericordiam inclinatur. Quidni Auctoris verba proferam? *Christus nudato latere, Patri ostendit latus & vulnera: Maria Christo pectus & vbera. Nec potest*

ARNOL. CARNOT. *de laud. B. Virg. To. 1. Bibl. PP.*

potest omnino esse repulsa vbi concurrũt & orant omni lingua disertius hac clementiæ monumenta & charitatis insignia. Diuidunt corã Patre inter se mater & filius pietatis officia: Inter matrẽ & filium cura diuiditur & salutis nostræ sollicitudo: filius Patri latus ostendit patulum, & cicatrices aperit effulgentes. Mater filio vbera sua pandit cælestia, Pater iustitiam suam in leuem mutat benignitatem: filius iram in misericordiam, etenim adeò fortia & potentia pietatis obiecta, nec Pater sanguini filij sui dilectissimi valet resistere: nec filius petitionibus matris suæ charissimæ repugnare.

I. Vulnera Christi Patrem flectunt ad misericordiam.

Aliquid circa primum dicamus. In sacratissimo suo corpore plagas reseruauit: sed quo animo? Vt flammiuomum amoris eius nobis constaret incendium: cùm enim se nequiret continere, foras per quinque erupit fenestras: statuitque illas vt perpetuum in Ecclesia sua arcum inter nubes & aquas quæ quantum in illis est, eius conantur obfuscare clementiam: Iridem hanc cælestem Pater posuit in cælo humanitatis filij sui: quatenus quantumlibet ipse tuas scribat iniquitates ex vna parte, tantumlibet ex altera videat eas sanguine ipsius expunctas.

II. Similitudo.

Do similitudinem; si Iudex contra capitis reum scripturus sententiam, læsa grauiterque vulnerata manu triste vellet decretum exarare: quantum calamo scriberet, tantum defluente sanguine deleret. Audite vatem Euangelicum. *Non emisti mihi argento calamum: & adipe victimarum mearum non inebriasti me.* Et statim: *Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorum tuorum non recordabor.* (Isa. 43.) O anima attende quòd Deus manu teneat calamum: & si non credideris, dicat illud Balthasar Rex quando S. templi vasa prophanabat: & Iob vidit illum scribentem. *Scribis enim contra me amaritudines:* (Iob 13.) verùm ne animo despondeas, si videris illum calamo armatum: audi dicentem: *Deleo propter me.* Illo sanguine extinguo quidquid hoc exaro calamo.

Secundum spei nostræ argumentum est pectus virginale, quo filius placatur. Hinc aptè notandum quod cap. 5. Canticorum voluerit sponsa (cùm primaria sit quæ in hoc libro describatur velut Regina, Maria Virgo præclarissima) vtpote comis & vrbana, pares sponso laudes attribuere, quibus ab ipso fuerat cumulata. *Caput eius aurum optimum: coma eius sicut elatæ palmarum, genæ illius sicut areolæ aromatum: venter eius eburneus: manus eius tornatiles: crura illius columnæ mar-* (Cant. 5.)

marmorea, quæ fundata sunt super bases aureas. Expendunt subtiliter hîc Doctores, quòd nullam non describat corporis eius partem, proprium cuique assignans encomium, tantùm non meminit pectoris seu vberum: nam licèt vir, tamen vt pastor & nutritius noster, se habere vbera gloriatur: & D. Ioannes vidit illum, *Præcinctum ad mamillas zonâ aureâ.* Ingrauescit dubium: quia cùm sponsæ vbera sæpius in hoc libro deprædicasset, ipsa tamen debita gratitudine non respondeat vberum sponsi prædicatrix. His non obstantibus facilis mihi patet responsio. Tanto voluit Deus honore matrem prosequi, vt nulla habeat alia quàm matris vbera: nec vel guttam sine illa, & sine illis effundat misericordiæ: & sunt, velut vulnera clementiæ depositum. *Clementiæ monumenta.*

Apoc. 1.
III. Eadem Christi & matris vbera.

IV. Similitudo.

Adornemus illud argumento philosophico. Postquam prouida mater natura ex materno sanguine in eius visceribus embrionem formauit, hoc iam ad auras prodeunte sanguis in lac conuertitur infanti sapidissimum: & idem qui puero materna adhuc aluo concluso esse dedit, iam natum conseruat. Antequam filij Ecclesiæ nascerentur, adhuc existentes in ventre Synagogæ, alebat illos sanguis Christi latenter & abscondite: quandoquidem antiqui, qui saluabantur, saluabantur vt dicunt Theologi: *In fide Christi venturi:* vnde nominatur: *Agnus occisus ab origine mundi.* Verumtamen imminente partus horâ in Cruce: sic eam Christus apud D. Ioannem vocat: *Mulier cùm parit tristitiam habet* &c. hinc Rachel formâ venustior in partu discessit: diuinus ille sanguis ex Cruce diffusus ad huius pedes adstabat Maria, fari sic liceat, eius vberibus receptus fuit, quem in lac conuertit dulcissimum, quo nutrit & fouet peccatorem tanta suauitate, vt dicat Rupert. illam pro vberibus habuisse Spiritum S. illud explicans: *Meliora sunt vbera tua vino:* vnde percunctatur: *Quid per vbera eius, nisi dulcedinem eius rectè intelligimus? Et quid est dulcedo eius, nisi Spiritus S.?* Spiritus S. ipsa est dulcedo, vinculum Patris, & filius est amor personalis: quâ igitur ratione potest esse vbera seu pectus Mariæ: quæ licèt sit adeò sublimis & excelsa, inter ipsam tamẽ & personam diuinã est infinita distantia? Talis est dependentia, vt quatenus mortales obtineãt misericordiam, & à Deo remissionem consequantur, & ipse Deus indignationem suam remittat; statuit vt eam à Maria consequantur: nam ipse Spiri-

Ioan. 16.
Rupert. lib. 1. in Cant.

Spiritus S. à quo pietas originaliter procedit, in eius se collocat vberibus: vt si quis illum velit inuenire, nouerit certoque sciat, mediante Maria impetrandum.

V. Maria obses mundi. Modò patet mihi intentio D. Augustin. quando intellectus sui acumine contemplatus beneficia per Mariam humano generi concessa, exclamat: *O beata Maria, seculum omne captiuum tuum deprecatur assensum, te apud Deum mundus suæ fidei obsidem fecit.* Orbis vniuersus de tuis ô Virgo cælestis manibus dependet: & eo modo quo Reges dum inducias pacifcuntur, offerunt in securitatis tesseram, quod conditiones initi fœderis exactè custodient (hoc enim Latinè significat, *Obses*) filios Principum: ita Deo pacem cum terra componente, hæc totam illam obtulit, quia pignus non erat illi pretiosius, diuinę Maiestati in obsidem: & acceptauit eam Spiritus S. atque vt homini fieret propitius, & eius misereretur, argumentum Pater ex signis filij sui, atque ex Virgine velut ex matre filius, & velut ex sponsa sibi dilectissima Spiritus S. inuenit.



CON-

CONCIO
PRO DOMINICA
PRIMA MAII.

THEMA.

Paradisus voluptatis.



ANtequam potentissima Dei nostri manus (ô Regina illustrissima) hominem formaret: priusquam homo suum videret creatorem: seipsum voluit Deus, vt opinor, hominis reddere hortulanum & cubiculorum præfectum: vnde illi velut Principi palatium erigit, domumque præparat paradisum deliciarũ: & sicut ille qui formabatur, futurus erat omnium terrestrium creaturarum perfectissima, suadebat æquitas, vt locus ei deputaretur quo nullus insignior; vnde collocauit illum ad Orientem, totâ terrâ excelsiorem: aërem creauit nullis ventorum turbinibus inquietum, nulla nubium extensione obscurum, quæ clarioris illi cæli conspectum eriperent: nulla elementorum intemperie malè salutiferum, nulla qualitatum oppositione contagiosum: vnico verbo: felicitas hîc summa, requies optãda, deliciæ ad votum: hoc etenim nomen eius indicat, *Paradisus*, id est ex Hebræo, *voluptas, delicia*. Ex quo plurimis transactis annis, mortis ferocissimæ falce nõ demessus, corpore & animâ ad cælum trãsferretur Empireum: existens vt atrium quoddam seu præambulacrũ patriæ illius cælestis: sic enim interpretatur Paradisũ Casaneus: *Paradisus, id est parans Dei visum*. Dispositio quædam, & gradus ad Dei conspectum. Vt autem dum cætera omitto, Deus hoc intendebat, dum hominem ibi collocat: *Vt operaretur & custodiret illum*: quod de ipso Adam multi intelligunt; ipse verò, nec sciuit, nec voluit seipsum custodire, loci iacturam incurrit: quem culpa ex summo deiecit ad infimum, Principem transuertit in opificem diurnum,

I. Paradisi etymologia.

CASAN. Cath. p. 12. Consid. 2.

num, sceptrum in aratrum, coronam Regiam, qua illi tempora cingebantur, in sudorem ex illis distillantem, quo sibi victum lucraretur. *In sudore vultus tui vesceris pane.* (Gen. 3.)

Verumtamen sicut attestante Apostolo, *Vbi abundauit delictum superabundauit & gratia,* (Rom. 5.) in locum paradisi, ex quo eiecerat hominem extorrem, duos illi dare meditatur, sed securiores, & fortiores. Vnus ipse erat: nam sicut filius qui tanti facit matrem suam, nobis accessum tradet ad secundum, Virginem scilicet, cui primi creati paradisi restituit honorem & integritatem. Omnibus notum est ex Euangelio Christum vocari Nazarenum potius quàm Bethlehemiticum vbi natus est, cùm illa esset eius patria. Hîc duæ nascuntur difficultates quæ non leuiter Expositorum torserunt ingenia: ex quo loco S. Paginæ hoc Saluatori cognomen eliciatur: & qua de causa ciuitatem illam elegerit in frequentiorem suam habitationem.

II. Vnde Christi nomen Nazarenus.

Opinantur nonnulli hoc colligi ex libro Iudicum, dum Angelus natiuitatem annuntiauit Samsonis: electi in ducem populi Dei contra Philisthiim, qui Christum expressit: Dixit Angelus parentibus eius: *Erit puer Nazaræus Dei.* (Iud. 13.) Et in benedictione Ioseph: *Fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi eius.* (Gen. 49.) Sed nequaquam satisfacit vt probat Doctor à Palatio: (In cap. 2. Matth.) quia in illis locis scribitur Nazarenus per S. quod in Hebræo significat Sain, & Christus vocatur Nazarenus per Zade vt patet legenti titulum Crucis qui Romæ asseruatur: sic enim scribitur: *Iesus Nazarenus*: non *Nasarenus*: nam in lingua Hebraica diuersam habent significationem: quandoquidem *Nazarenus* significet, *Custodem, vastatorem, germen aut florem: Nasarenus* autem id est: *Sanctus.* Conueniunt autē priores tituli optimè Saluatori: vnde in l. Iob: *Quid faciā tibi ô custos hominū?* (Iob 7.) Custodia Hebraicè legitur *Nozer*, id est, *Nazaræus.* Et hîc innotescit mysteriū finisque aduentus Dei in mundū: cū enim sit ipsa sanctitas, eum Iob illo nomine compellat, quod custodiam nostri, & protectionem inuoluit: hæc autem ea est bonitatis diuinæ dignatio: quâ primum supplet paradisum, in quo homo ipse se custodire debuerat, non minori custodia quàm seipso illum custodiens. Secundus & cælestis Paradisus est Virgo Maria. Hoc titulo decoratur à D. Iacobo, vt constat ex sexta Synodo generali, in qua eius Missa seu Lyturgia confirmatur. *Tibi plena gratiâ, vniuersa creatura gratulatur, quæ es paradisus.* Et S. Ephrem: (D. Ephrem Orat. de laud. B. Mar.) *Paradisus voluptatis.*

Hoc igitur asserto, adest Ru- ria.

pertus

pertus pijssimus pariter & subtilissimus, & paradisum hunc considerat terrestrem, suosque oculos in Mariam reflectens grauem, notatuque dignam profert ad eius elogium, sententiam. *Nec paradisus ille hominem custodire potuit.* Quasi præsens adstaret dum de diuinis manibus formatus prodiret hic paradisus: Deoque obiiceret: attende quid plantes ô Domine, fieri nequit, vt locus hic hominem custodiat. Siste Doctor Sanctissime: quare non? quid obest? Si Deus illum in paradisum introducat, si ipsum eo fine plantauit: si illum Adam gratiâ dotatus, & Dei amicus ingrediatur. Dico: in illo constans non permanebit. Casus hic est: hanc hominum custodiam ita Deus æmulatur & zelat, quia hoc ministerium sibi & Mariæ seruabatur, vt ne quidem in figura & vmbra diu esset alio custode læstaturus, quam Deo eiusque matre, cui post ipsum omnem adscribi voluit sortem nostram vitæque felicitatem. Non me contineo quin eius ore loquar: *Quoniam ergo non profuit illis parentibus primis introductio illa in illum paradisum, non obseruato præcepto quod acceperunt: iterum plantatur alius paradisus, quem ingredientes, lignum vitæ æternæ comedamus & non moriamur, & istæ sunt emissiones dilectæ,* Virginis scilicet Mariæ. Non te locus hic ô Adam conseruabit: Mariam expecta: nam in illo paradiso de arbore comedens, morieris, hîc autem viues: & quoscumque paradisus hic Maria flores produxerit, tibi proficient ad vitam, ad solamen, ad subsidium, ad protectionem: cuius vnicum bonum custosque est Maria.

RVPERT. lib. 4. in Cant. c. 4. *Emissiones tuæ paradisus.*

III. Maria secundus paradisus.

D. EPHREM Orat. de laud. B. Mariæ.

Conceptum hunc expolit Albert. Magn. nam inquirit cur Archangelus Gabriel legatione functus ad Mariam Virginem à proprio nomine Virginis non sit exorsus: *Aue Maria,* sed tantùm: *Aue gratiâ plena,* locutus per circumlocutiones: Ecclesia verò sic eam salutet: *Aue Maria?* Num fortè legati cælestis Ecclesia corrigit nominis obliuionem? Quis hoc credat cùm plenam perfectamque detulerit ex diuino Concilio verborum singulorum instructionem? Hoc colo mysterium respondet Albert. Angelus enim Virginis attendit propriam dignitatem, gratiâ plenam, & infinitis dotatam priuilegiis: vnde sic exorditur. *Aue gratiâ plena:* Ecclesia verò considerat, quid in ipsa sit nobis ad vtilitatem: vnde sic eam salutat: *Aue Maria,* cuius eminentissimum nomen omnes significat vtilitates: lucem diuinam, stellam maris; atque ad eius significationem voluit Deus vt sicut ipse præposuit ad nostram salutem titulo Sancti qui

IV. Ecclesia meritò addidit salutationi Angelicæ nomen Maria.

est Nasarenus titulum custodiæ nostræ, quam indicat vox Nazarenus, vt diximus; ita in Maria præponatur emblema misericordiæ illi quod dignitatem eius denotat, & recepta à Deo infinita beneficia postponantur illis, quibus ab ipsa homo cumulatur. Prodeat Alberti sententia *Ecclesia verò nomen Mariæ apposuit in salutatione ad gratiâ plena, vt per gratiâ plena recolat beatissima Virginis dignitatem: per Maria, inclinet eam ad nostram necessitatem: ipsa enim gratia plena per influentiam diuinæ bonitatis, data est nobis stella Maris Maria.* q. d. Cùm in Maria propriæ sint prærogatiuæ illi soli, nulli creaturæ communicatæ, & similiter beneficia quæ confert hominibus sollicitudo & cura quam de eis habet, protectio quam in Maria statuit hominis necessariam calamitatibus: primò referantur hæc dona, quæ mortalibus communicat, quæ denotantur in eo quòd eam proprio nomine priùs salutemus, quòd tota nobis sit ad salutem, & Angelo permittamus, vt prologum incipiat à dignitatum eius admiratione, atque ab eo quòd in se sibique est. Illustremus hoc, & concludamus D. Antonini stupendâ verborum eloquentiâ. *Per hoc quod addit Ecclesia Maria, intendit eam inclinare ad nostram necessitatem subleuandam.* Primo loco nomen statuit Mariæ quatenus primum quod nostræ pronuntiarent linguæ, & ipsa primum audiret, nomen esset Mariæ: illud etenim audiens quasi vi propellatur, vt nobis faueat, nos defendat, nos amplectatur, vt cælestis paradisus, quo protegamur, quo defendamur, quo custodiamur.

ALBERT in Maria circa Aue Maria.

D. ANTONIN. 4. p. tit. 15. c. 14.



CON-

CONCIO
PRO DOMINICA
PRIMA IVNII SEV PENTECOSTES.

THEMA.

Spiritus S. superueniet in te. Luc. 1.



LÆTA nobis hodie festiuitas occurrit, quâ Deus æstuātissimo satisfacit desiderio quo ab omni flagrauit æternitate (ô Virgo beatissima) vt totus in serenissimam tuam Maiestatem amor superueniret diuinus, tibique obumbraret. Hodie mihi constat, quòd te vt quid diuinum excipiat: quandoquidem nouo descendat modo Spiritus S. & particulari illapsu in tua ô Virgo viscera cælesti illi insideat capiti, illud coronans: etenim indicans exiguum nimis diadema stellarum vndecim, tot, inquam, Apostolos in cœnaculo residentes, Spiritus S. seipso te coronat & constituit in Reginam, quæ potens sis flammas eius in terrā de cælis attrahere. Ferculū illud quod Salomon ad magnitudinis suæ extruxit iactantiam, quo vectus magnificus ille Monarcha plateas obambulabat Hierusalem. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon*: per quod communi omnium Expositorum suffragio Maria intelligitur: fuit etenim illud quo vecta in mundum descendit persona filij, & Spiritus S. Ferculum, inquam, illud dicitur amoris ornatum emblematibus. *Media charitate constrauit.* Vnde ipse amor personalis nempe Spiritus S. illam ingressus est, amoris vi Mariæ compulsus. *Combustum charitate in vnam de filiabus Hierusalem*: legit Rabbi Abenesra, & feruentissimus ab Apostolis prædicator D. Vincent. Ferrariens. mihi licentiam concedit, quâ dicam, vt ipse dicit, quòd Deus orationi precibusque B. Virginis aduentum Spiritus sui alligauerit, & hoc spectat Euangelista, quando ait: oratione Apostolos se cum B. Virgine ad missionem & receptionem Spiritus S. præparasse. *Erant perseueran-*

D. ANTONIN. 4. p. tit. 15. c. 14.

Cant. 3.

I. Maria ferculum est Salomonis.

D. VINC. FERRAR. Ser. de Pent.

Luc. 24.

uerantes in oratione cum Maria matre Iesu. Hoc est, in vnam vel propter vnã ex filiabus Hierusalẽ.

Indubitatum habemus in fide & Theologia, prout declaratur in materia de Trinitate, quòd Pater, vt summum bonum, ab æterno communicet filio suam essentiam & attributa, vtraque persona Spiritui S. quæ est eorum nexus indissolubilis. Spiritus S. sicut non potest habere, *in diuinis*, aliam personam cui se communicet: tantùm enim tres sunt, & inclinationem tamen haberet vt amor diuinus seipsum manifestandi, hoc effecit per singularem valde gratiam in Maria: & cùm iam non sit possibile, illi dari quartam personam, tribuitur illi Maria, in qua suum expleat desideriũ. Ex quo considero quanti illã faciat; si namq; linguas velit distribuere, facit hoc in gratiã Mariæ. Quamobrẽ Abbas Rup. egregiã planè & particularẽ addit auxesim: asserens, quòd quidquid vnquam sciuerunt Apostoli, & scripserunt Euangelistæ, totum hauserint, eos D. Virgine instruente: quocirca eam illorum inscribit Magistram: *Magistra magistrorum, id est, Apostolorum*: cui hoc addit: cùm enim posset eos Spiritus S. per seipsum instruere, hoc tamen B. Virgini detulit, vt ab illa instruerentur: corrigo me (inquit Rupert.) dum duas distinguo linguas: quia lingua Mariæ, eadem est quæ Spiritus S. & idem locuta est Maria quod Spiritus S. Ipsum audio percunctantem. *An quia Spiritus S. illos docuit, idcirco tuæ vocis magisterio non opus illis fuit? Imò vox tua, vox illis fuit Spiritus S.*

II. Spiritus S. & Mariæ eadem est lingua.

Rvpert. in Cant. vbi pascas. lib. 1.

Voluit Deus miraculum hoc gratiæ, & inter natos mulierum supremum, Ioannem, inquam, feruentissimis amoris flammis accendere: cùm autem efficere posset absque alterius cuiuscumque opera, tanquam Dominus absolutus in creatura sua quidquid illi placeret, decernit tamen vt Maria proficiscatur ad domum patris eius Zachariæ. Ingreditur Maria, ipsaque pedem inferente, subintrat Spiritus S. vt iam nihil ampliùs eum detinere videretur quàm vox salutationis Mariæ, qua animam illam frigidam, & tenebris immersam accendere valeat & illuminare: si namque loqui oporteat & operari Spiritum S. hoc fit, per manus linguamque Mariæ Virginis. Hoc mihi confirmat eleganter Episcopus Titus Bostren. *Non priùs quoque repletus est Spiritu S. quàm ea quæ Christum Dominum vtero gestabat illi se adiunxisset*: id ipsum quoque Virgo de se adstruit. *Ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens.* Ne tibi noua videatur phrasis hæc loquendi: quia tanta plenitudine lux

Luc. 1.

III. Per Mariam venit Spiritus S. in Ioannem.

Titvs Bostrens. Luc. 1.

Eccli. 24.

lux diuini Spiritus splẽdebat in Maria, vt si in cælis posset deficere, deficeret vt esset in Maria, cælis ipsa multò digniore. Porrò placet nomine cælorum intelligere Apostolos cum multorum opinione: & videbimus, quod si in ipsis lux esse debeat, Deique cognitio, sit oportet Maria mediante.

IV. *Maria docuit D. Ioãnem Euangelistam.*

Ex hoc plano principio dubium enodo, quare D. Ioannes inter cæteros Apostolos Theologiæ laureâ coronetur, dicaturque antonomasticè Theologus, & cui Deus secreta reuelauerit insigniora. Notanda venit altitudo ad quam ascendit scribens Euangelium, ad quam ipsi Angeli non pertingunt; inspiciendus est liber Apocalypsis, de quo testatur D. Hieron. tot eum scatere mysterijs, quot verbis: *Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta, quot verba.* Communis solet hæc esse responsio, quòd sicut Virgo, & qui super pectus Domini in cœna recubuerat, inde fluuios hauserit eloquẽtiæ. *De ipso Dominici pectoris fonte potauit*, canit Ecclesia: sed aliam omnino singularem profert rationem D. Ambros. Quæro (sic ipse) an non Ioannes cæteris familiariùs cum B. Virgine est conuersatus? Concedo. Pignus illius est & mater specialis à filio apud crucem commendata. *Ecce mater tua, & ex illa hora accepit eam discipulus in suam.* Si omnes igitur Apostoli & Euangelistæ D. Virgini suam acceptam referre debeãt sapientiam: & Ioannes magis indiuiduus illi adhæserit, eã frequentiùs sit comitatus, eius scholam diutiùs frequentauit, dulcissimis eius verbis fuerit delectatus: quid miramur si plura cæteris nouerit, eiusque sapientia omnibus sublimior anteponatur. *Vnde non miror præ ceteris locutum fuisse mysteria diuina, cui præsto erat aula cælestium Sacramentorum.* q. d. Lingua est Spiritus S. Thesauraria est sciẽtiæ Dei, aula est & vniuersitas omnium scientiarum, *Aula cælestium Sacramentorum.* Quicumque igitur eam diligentior frequentarit auditor: discipulus euadet, imò Doctor eminentior. Vnde deuoti S. eius Rosarij, vtpote consideratione linguaque adeò illi proximi eamque salutantes, sapientiam nouerunt sanctorum, nempe animas suas saluandi: cùm tanta multitudo hoc medio tanto bono perfruatur.

D. Hier. in Prolo. Apoc.

Ioan. 19.

D. Ambr. De institu. Virg. ad Euseb. c. 7.

Ad horum igitur gaudiorum celebrationem, quibus sanctissima hæc anima demulcetur nosipsos comites adiungimus: ô Princeps cælorum inclyta: Sis *Illuminatrix*: illumina si quem fortè cæcum hîc inueneris; sis ignis, & corda calefac conge-

congelata igne Spiritu S. tecum enim velut cum sponsa suum diuidit suosque titulos: si namque consolator est, tu consolatrix: si lux, tu deducis nos: si ignis, in illo ardes: si ille Dominus gloriæ: tu ô Maria, Mater es gratiæ &c.

CONCIO
PRO DOMINICA
PRIMA MENSIS IVLII.
AD VESPERAM, SEV IPSO DIE, VEL PER OCTAVAM VISITATIONIS.

THEMA.

Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me? Luc. 1.



OCCVRSVS præparantur, festa celebrantur, iubilationes instituuntur in domo cognatæ tuæ Elisabethi, ô Regina præclarissima, ô Domina potentissima, monticolæ & pastores Iudææ prodeunt te recepturi, felices ergo sunt eius rupes, eius campi fertiliores & fecundiores quos diuinis tuis calcas vestigiis, quàm aquis rigari crystallinis; nam de sublimibus collibus per humiles suas valles denatant, vt gaudium illud celebrent vniuersale nunc omnibus, tunc autem particulare & intra vnius domus limites: nosipsos illis associamus Confratres Rosarij: beatissima est hæc sors nostra sed te mediatrice: cùm illi pedes alasq; tribuas, qui priùs manus habebat rigorosas, conuertens vltionis Deum in Patrem misericordiarum.

Ingrediar argumentum hoc virgâ armatus mysticâ Aaronis: quando ambitionis igne flagrante, & arripiente principes & capita Tribuum Israel, Deus Moysi præcepit, vt duodecim virgas Num. 17. I. Virga Aaro figura Mariæ.

virgas reponeret in tabernaculo, & quæ mane floruiſſet, Domini ſui ſceptrum indicaret, firmaretque Sacerdotium eius familiæ legitimum perpetuum. Ad auroram, cunctis redeuntibus de virga Aaronis: *Turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Obſtupeo nullam hic radicem oriri, ſi ergo Domine, nihil illi deſit vt arbor ſit, cur illi fundamentum eius tollis, & per quod virtus illi omnimoda communicatur, nempe radices? Aliqui reſpondent, ad noſtram aptè inſtructionem: cùm ſit enim virga Sacerdotis, quia hi perſonæ ſunt Deo conſecratæ, eiuſque præſentiæ proximi, licèt homines ſint, quia in terra viuunt; porrò eorum conuerſatio & communicatio, arbor ſit ſine radice, qua terrenum vel minimum amplectatur. Myſtica hæc eſt Eccleſiæ ceremonia, dum Epiſcopus primam conferens tonſuram capillos abſcindit in modum crucis, aitque: *Dominus pars hereditatis meæ.* (Pſ. 15.) Si namque crines quia multi ſunt, & diuiſi, curas ſignificant temporales, quæ varijs hominem occupationibus fatigant & in diuerſa rapiunt: habeant illos pauciſſimos ingredientes Eccleſiam, & ad primum in illam ingreſſum, illis tanquam ſuperflui detondeantur propter ſtatus dignitatem ad quam adſpirant. Proferamus D. Bernar. huius rei teſtem: *Clericus qui partem habet in terra, non habebit partem in cælo. Itemq; Clericus ſi quippiam habuerit prę̨ter Dominum, pars eius non erit Dominus.* (D. BERN. Declamat. ſup. Ecce nos reliq. omnia.) Eccleſiaſticus qui cor ſuum fixit in terra, in cæleſtem non intrabit gloriam: ſi quid extra Deum poſſederit, timeat à Deo ſeparari. Verumtamen ſermo noſter B. Virginem complectatur. Virga nuda rigorem denotat iuſtitiæ. *Viſitabo in virga iniquitates eorum.* (Pſal. 88.) Virga autem ramis floribuſque ornata, diuinæ ſymbolum èſt miſericordiæ. Columba adduxit ad Noë ramum *virentibus foliis.* (Gen. 8.) Et Incarnationis beneficium homini à Deo præſtitum ſub virga promittebatur florida. *Egredietur virga de radice Ieſſe.* (Iſai. 11.) Radices appellare poſſumus brachia, quibus arbor vicinum elementum ſecum arctiſſimè conſtringit: ſic vt nullis poſſit viribus auelli, niſi partem ſecum trahat eiuſdem terræ, in qua plantata conſiſtebat Arca teſtamenti: notiſſimum eſt Mariæ prototypon: Virga Verbum prænotat. Eleganter hoc explicat Olympiod. *Virga Aaron, quam germinaſſe credimus, nuces protulit, ſignum gerens Saluatoris.* (OLYMP. In c. 12. Eccl. Tom. 11 BB. PP.) Dum ergo Deus, qui Virga eſt vicinus arcæ collocatur, id eſt, Mariæ, & ille qui Patris erat filius, filius ſit Mariæ, nullam in

eo notabis radicem, non hæret immobilis, & fixus: impellit illum ad iter, alis vrget, & velociter cogitur incedere: vt mortalibus incipiat esse beneficus, & in huius veritatis signum, nullam habeat radicem, licèt virga arbor sit: per Mariam etenim Deus volat, vt mundo nondum ortus sua conferat beneficia.

Fortiùs vrget præsens argumentum Archiepiscopus noster Florentinus D. Antoninus: ait enim: *Die qua nata est Maria, impositum est & nomen Maria* Indubiè non vacat mysterio quòd in reliquis octauus expectetur dies, vt mos erat in populo Dei: quoad Virginem autem, nequaquam. O gloriosi Virginis progenitores Ioachim & Anna, quæ vos tantopere premit ratio? sustinete modicum: Necdum quis vobis congratulatus est ob receptam à cælo illustrissimam hãc Reginam, quam cælum suam fore non dubitat: & vix in mundum intrauit, & iam titulum quo recens natam vocetis, inuenistis? Inuenimus. Vt enim nomen eius hominum indicat vtilitatem, ilico nomen hoc illi imponatur: ab hac etenim hora, incipiunt Deo crescere alæ quibus per Mariam velox accurrat nobis ad subsidium.

D. Antonin. 4. *p. titul.* 15.

II. Mariæ nomen citò illi imponitur: ad Fidum.

Exponit hoc illustriùs D. Cyprian. Africæ Cicero. Litteras dedit hic ex Concilio Fido Episcopo, qui sententiam hanc acriter defendebat, infantes non nisi post octiduum baptizandos: fundamentum eius hoc erat, totidem diebus dilatam fuisse circumcisionem, Sacramentum veteris legis, nouæ figuram & vmbram. Postquam autem D. Cyprian. diuinâ fluẽs eloquentiâ, probasset in lege gratiæ, nullam necessariam esse dilationem, aut morã, quinimò eò factum esse melius, quò citius, hac notanda concludit sententia: *Nam Deus, vt personam non accipit, sic nec ætatem, cùm se omnibus ad cælestis gratię consecutionem æqualitate librata præbeat patrem.* Vnico verbo omnia dicit. Deus pater est benignus, nec ætatem attendit, nec tempora, nec amoris eius sustinet pectus videre coram se puerum octo diebus inimicum suum, iræ filium, ilico baptizetur, nec tantam patior moram. Nomen igitur Maria capiat eo quo nascitur momento: tanta namque velocitate prodit Deus eius gratiâ nos beneficiis donisque cumulaturus, vt antequam in terram descendat nouem elapsis mensibus, de virginali ferculo, & fortè nec vno die post acceptam ab Angelo salutationẽ, Deum ipsa adducat: imò Deus ipsam adducat, prænuntiũ suum Ioannem sanctificaturus. Hinc liquet dubij cuiusdam solutio, quod communiter in hoc myste-

D. Cypr. *Ep* 59. *de Infantibus baptis.*

Luc. 1. mysterio proponitur. Cur Elisabeth exclamarit: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Vnde mihi tantum bonum? Vnde mihi quod in tugurium adeò humile subintret mater Dei mei, & Domini me visitura? Compesce vocem gloriosa sterilis, nunc autem fecunda ex puero omnium sanctissimo: si quid noui, adhæsit tibi nonnulla rusticitas ex montibus, & collibus quos inhabitas. Ingreditur Deus cum matre Virgine domum tuam, huic applaudes visitationi, atque de illo nec verbum depromis. Quid enim dignius est, quod te creator visitet, vel creatura, diuina licèt adeò sit ac Maria esse commendatur? Nec hoc leue dubium, vtpote quod perpendit D. Laurent. Iustinian. *Et notandũ quod non dixit: vnde hoc mihi, vt veniat Dominus meus ad me, sed mater Domini mei?* Quæ igitur causa vt terminos transponat? Sine eam, etenim Spiritus S. quo iam plena est, illam de dicendis pleniùs erudit. Casus hic est: Considerabat Elisabeth in virginali hac arca Deum, & oculos reflexit ad diuersum illi modum eumque antiquum visitandi amicos etiam maximè intimos, fragore tonitruum, horrore fulgurum, vmbris, caligine, procrastinationibus; à suauitate, comitate, ac benignitate, qua nunc ingreditur: & cùm idem sit Deus: nunc ita mutatus, adeò benignus & leuis: olim tonando, hîc per terram incedendo: bene mulier intulit prudentissima. Tanta lenitas, tanta affabilitas, velocitas tanta, qua calamitatibus nostris subuenit, à matre illi profuit: Virgo adducit illum: primus exterior effectus Incarnationis hæc est visitatio: & itinera, quæ nullus de cælo ad terram perambulauerat, aperiunt vestigia Mariæ in modum ferculi: cuius gloriæ splendoribus, si splendores lucemque comparaueris Angelorum; vmbram esse dixeris: quocirca vt Deo gratias agat, virginem celebrat, in qua cuncta perficiuntur. *Vnde hoc mihi* &c.

III. Elisabeth exclamatio acutè perpenditur.

D. Cypr. Ep. 59. de Infantibus baptis.

D. Lavr. Ivstin. S. de S. Ioanne.

CONCIO
PRO DOMINICA
PRIMA AVGVSTI.
PRIDIE VEL IPSO DIE
TRANSFIGVRATIONIS DOMINI.

THEMA.

Mulier amicta sole. Apoc. 12.



GLORIÆ splendores, diuina licèt dispēsatione absconditi (ô Regina formosissima) de filij tui emicant facie: planè confido, quod nolit sibi soli hāc seruare gloriam, quin & mater illâ quoque recreetur. Saltem D. Ioannes illam vidit amictam sole, quo signetur solem iustitiæ Virginis intima penetrasse. Hodie totam illam lucem spectemus in Maria, quam humana nequeunt lumina contemplari, Desponsata erāt Maria Ioseph, & referente S. pagina, donec Verbum illud diuinum de castissimis eius prodiret visceribus, eiusque ille vidit brachiis constrictum: *Non cognouit eam Ioseph donec peperit filium suum primogenitum.* De hac cognitione cum aliis sic loquitur D. Thom. *Quidam verò hoc referunt ad notitiam visus: sicut enim Moysi cum Deo colloquentis glorificata est facies, vt non possent intendere in eum filij Israel: sic Maria claritate virtutis altissimi obumbrata cognosci non poterat à Ioseph donec pareret, post partum autem agnita inuenitur à Ioseph specie faciei.* Sicut enim ex familiari cum Deo colloquio tanto facies Moysi splendore radiauit, vt lucem hanc oculis populi temperaturus, velum illi superiniecerit; ita Mariâ totum in se complectente Deum, idque tanta differentia à Moyse, quanta cognoscitur inter matrem & seruum, inter vnionem in carne substantialem, & gratiæ, quid miramur, si nullus, nec ipse Ioseph illam intueri potuerit, quin excæcaretur? Idem confirmat eius Magister Albertus

Matth. 1. | D. Thom. 3 p. q. 28. art. 3. ad 3. | I. Mariam Ioseph non cognouit: explico.

Alb. Mag. in Marial. tus Magn. *Ioseph Mariam facie adfaciem non cognouit, id est videre non poterat, quam Spiritus S. à conceptione penitus impleuerat, & ideo non cognoscebat facie ad faciem quam desponsaret, donec vterus euacuaretur.*

Licet his annectere sententiam D. Epiphanij Episcopi Constantiensi in Cypro, in hoc pũcto mysteriis grauidam, quoad Virginis excellentiam: nam explicans illud: *Ioseph non cognouit eam* &c. Sic ait: *Mulierem quidem nouerat ipsam, formatione, & feminam natura ex matre Anna, & ex patre Ioachim, & cognatam Elisabeth, ex domo & familia Dauid. Non nouerat autẽ, quod tali gloria honorandus esset aliquis in terra maximè mulier; non igitur cognouit ipsam donec vidit miraculum.* Conceptus ergo Sancti hic est: Si illam non videre (sicut vidimus) refertur ad visum corporalem: quomodo fieri potest quòd Ioseph non videat quam vidit? Illam cum qua loquitur & intra easdem portas domumque communicat? Viuit in eadẽ domo Ioseph cum Maria, & quod illi interdicatur cessatio à diuinis, id est à conspectu faciei illius diuinæ? Respondet: distinguendum cum Metaphysicis. Nouit assertiuè quòd mulier sit filia Ioachim & Annæ, cognata Elisabeth ex regali Dauidis orta progenie, nec esse possit Deus

D. Epiph. hæres. 78. contra Antidicomerianitas.

Maria: huc vsque bene eius altitudo ascendit intellectus: porrò mentis aciem reflectens, & considerans, quòd mulier pura creatura totum suum visceribus Deum comprehendat, hæc illius excellentia tantùm in facie splendorem lucemque producebat, vt eam nec videret nec cognosceret, donec videret eam solem hanc brachijs suis gestantem: tunc etenim, cum nube prodeat contectus humanitatis, & licebit, & videre poterit: antè verò, nequaquam.

Producit natura fecunda mater clara metalla, crystallum constringit transparentem, & diaphanam: cuius si rationem inuestiges à Philosophis: respondebit Hispanus Cordubensis Seneca: ad conficiendum ex illis specilla, quibus lucidissimum omnium Planetam, solem inquam, liceat intueri, temperata in illis excessima eius claritate: *Non in hoc scilicet vt ad speculum barbam faciemq́ velleremus, aut vt faciem viri poliremus, in nulla re illa negotium luxuriæ concessit: sed primum omnium, quia iubet illi oculi ad sustinendum cominus solem, ignoraturi erant formam eius, hebete illum lumine ostendit.* Non ea Deus intentione specula creauit, vt mulieres, virique effeminati tempus insumerent, ad illa se poliendi, & componendi, sed ad conspiciendum solem, eiusque excessiuam

Seneca l. quæst. natura. c. 17.

II. Ratio speculorum.

lucem, in flumine, lapide pretioso vel crystallo moderatam. Hoc medio Deus vsus est, quo in terra cerneretur, & mater similiter, quatenus mortales eam valerent intueri, Deus in natura sua inuisibilis est. *Non videbit me homo, & viuet.* Et licèt beatorum oculi in patria sint adeò perspicaces, specilla tamen illis apponuntur, id est lumen gloriæ. *In lumine tuo videbimus lumen.* Quid remedij? Fons & speculum: nam & fons & speculum Maria commẽdatur. *Fons hortorum:* & iterùm: *Speculum sine macula.* Et Maria quo medio videbitur: excæcat enim: fortes mutentur: fiat Deus fons & speculum. Aptè igitur dicit Epiphan. quòd sicut vsque ad Mariam Deus erat inuisibilis, ipsa verò illum reddidit visibilem: ita donec Deus ex castissimis eius prodiret visceribus, se statuens vt speculum Mariæ, erat ipsa quoque inuisibilis, nec eam poterat videre Ioseph; *Donec peperit.*

Exod. 33.

Ps. 35.

Cant. 4.

Sap. 7.

Deinde Deus lucẽ omnem & solem collocat in Maria: quia nec ipse mortales sine Maria valebat intueri: nec illi poterant sine Maria ad Dei conspectum ascendere. Primum asserit D. Bernard. elegantissima quadam allusione ad mulierem, de qua refert Euangelium, quòd amissâ drachmâ *Accendit lucernam:* hæc prima est, qua inueniatur, diligentia. Reliquiæ humani generis gemma erant perdita, & accendit Deus lucernam Mariam, inquam, beatissimam, vt illas inueniret. Audio Bern. exclamantem: *O campus luculentissima, quantos lætificasti, quando splendore Dei illustrata desideratum illud lumen, quo inuenta est drachma decima sedentibus in vmbra mortis protulisti!* Secundum autem quod nec homo viribus pollebat ad videndum Deum sine Maria ex loco quodam probatur insigniori. Diuina Maiestas honoratura feruentissimum nominis sui zelatorem Eliam curru rapuit illum hinc igneo, tulitque in paradisum: ante receptum hunc fauorem accedit ad Iordanem, diuidit transitque sicco pede eius aquas, & ad earum ripam currum inuenit igneum, quem iussus ascẽdere transfertur in paradisum. Mysterium hîc notat doctissimus Origenes, & ait: *Aptior enim qui subueheretur factus est baptizatus in Iordane.* Transmissis fluentis Iordanis aptatur ad cælorum ascẽsum. *Aptior?* ad votum tunc currum & aurigam habebit cælestem: non capio: nam aquæ illæ igni contrariæ, quam Prophetæ virtutem infuderunt? Cùm ardores hi contrarij sint aquarum frigiditati, de iurisdictione sua decertabunt flammæ, & vnde, & extincto forsitan incendio, currus nullus inuenietur quo vates

Luc. 15.

D. BERN. Orat. ad Virginis mentem & oculos.

4. Reg. 2.

ORIGEN. Tit. 8. in Euang. Ioan.

vates Elias trāsferatur. Lanatorium ergo non acceptet fluminis, aquasque fugiat. Origenes manet in opinione constans: commodius lotus leniusque ascendet. D. Hieron. consulamus cuius ductu dubium hoc ad honorem Beatissimæ Virginis enodabimus. Dicit itaque: quòd illæ quadraginta duæ mansiones populi Dei proficiscentis ex Ægypto vsque ad transitum Iordanis, vbi Dux Iosue terram promissionis diuisit, significent quadraginta duas generationes, quas D. Matth. in Euangelio suo recenset, quas velut mansiones Deus pertransijt ab Abraham vsque ad Mariam, quæ nomine Iordanis honoratur. *A primo Patriarcha peruenit ad Virginem quasi ad Iordanem:* si verò rationem inquiramus cur titulum hunc Iordanis adscribat Mariæ, respondebit: *Quia plena quoque fluens Spiritus S. gratiis redundabat.* Propter redundantiam priuilegiorum eius: nec enim tanta est aquarum Iordanis, quanta Mariæ prærogatiuarum abundantia, vnde demonstrauit currus Eliæ viam cæli. Nullus igitur se decipiat: si namque velit ascendere ad conspectum Dei clarè visi, fiat hoc oportet, faciendo ex Maria speculum, vndis eius lauando se in his aquis Iordanis diuini, efficaci eiusdem intercessione, nec per aliū patet transitus: cùm nec Elias in vmbra quidem, & figura aliter se præparet ad ascensum in paradisum. Nec hoc adeò multum est hominem ab ipsa transformari, cęlisque propinquare cùm dicat D. Ambros. quod Maria illa sit, quæ corpus illi dedit, quod transfiguraret gloriosum. *Venit in nube leui, & cùm esset virtus Altissimi, obumbrauit Mariæ, vt transfiguraret corpus humilitatis nostræ conforme fieri corpori gloriæ suæ.*

D. Hieron. l. 42. mansio. in Prologo. Tom. 3.

D. Ambr. Ser. 3. sup. Ps. 118. Retribue seruo tuo.

CON-

CONCIO
PRO DOMINICA
PRIMA SEPTEMBRIS.

THEMA.

Natiuitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annuntiauit vniuerso mundo &c. Ex officio Ecclesiæ.



IVsto potest mœrore contabescere tellus hominũ patria, atque de cælo conqueri, Angelorum habitaculo: quandoquidem præterito mense Augusti, nostras messuerit delectationes, nos exanimes reliquerit solemque absconderit, nobis auferens supremam nostram Reginam altissimo in cælis throno collocandam. Iam non viuimus sine vita, non videmus sine luce, duplicem lachrymarum vallem te voco munde sine Maria. Porrò in hoc faustissimo mense Septembri, ne cælum vt furti accusemus, nobis thesaurum illum restituit: pignus redonat & decernit, quod si deficiat, vel modico tempore, reuertitur temporalem eius celebrans natiuitatem (dixero melius) tot resurrectiones mortuorum, quot sine illa iacebant exanimes, humana spes refloret, & in Virgine atque per Virginem pia continuantur gaudia. Nemo meliùs quàm D. Petr. Damian. *De gaudiis properamus ad gaudia, & feruentem stylum materia facit feruentiorem. De virgine venimus ad Virginem, & de Maria ad Mariam recurrimus, bonum est nos hîc esse, melius immorari, optimum permanere.* Cateruatim irruunt & meritò solemnitates, de vna ad alterum accedimus: Virgo Virginem, & Maria Mariam excipit: illam etenim si nobis abstuleris nulla lenit nos consolatio: cùm omnia eius sint adstricta præsentiæ.

I. Exordium pro festo Natiuitatis B. V.

DAMIAN. De natiuit. Virg. Ser. I.

Priusquam de castissimis visceribus descendit in terram velut in throno suo residens Verbum æternum visitat Præcursorem suum Baptistam. Infans in vtero matris præ gaudio subsilire incipit: testis est mater: *Exultauit in gaudio infans in vtero* Luc. I.

ro meo. Luctatur pusio cum naturali tunc carcere, catenas eius & compedes diffracturus. Viden' illum gaudio plenè delibutum? Sed trimestre præstolemur quo Virgo cognatæ suæ comes adhæret: prius puer exultat alacris, nunc autem gemit plangitque mœstissimus: Audire lubet quàm egregiis conceptus meus verbis Emisseni innitatur. *Ioannes quoque quamuis in matris adhuc vtero clausus, in eius discessu non parum doluit, qui in illius aduentu tanto gaudio exultauit.* Quia Maria vt sol adueniens lucem adducit, & discedens deserit D. Ioannem tenebris immersum & sepultum in mundi ventre mœrore obrutum, qui priùs obscuro delitescens matris cubiculo nullo tenebatur, quia Maria domũ eius erat ingressa.

EMISSEN. *scrip. 4. quatuor temp. ad illud. Exurgens Maria.*

DAMIAN. *De natiuit. Virg. Ser. 1.*

Quid de hominibus loquor, & ipsis Angelis gloria accreuit accidentalis dum cælum ingreditur illustrissima eorum Regina, eaque tanta, vt D. Ioannes Damascen. illos tunc introducat cælestibus modulantes concentibus. *Choros ducunt Angeli.* Quid hoc, piissime Doctor, an Deo laudes non accinebant suauissimas? Vtique: sed vsque ad Virginis aduentum, vt opinior, tantas non ediderant lætitiæ demonstrationes. Decernitur in Palatio Regis tripudium, festum lætitiæ: huic assistunt Rex, Principes optimates & domicellæ. Quæro: si Rex viduus sponsâ mortuâ viueret, vel ipsa abesset Regina, num hoc fieret? Non fieret: vbi namque illa non adest videtur omnium alacritas eclipsim incurrisse tristissimam. Modò liquet intentio D. Damasceni: Vsque modò cælestis illa nobilitas festiuam non instituerat ex industria choream: licèt enim Deo suo perpetes personarent melodias, atq; ex eius visione essent essentialiter beati: porro nullum accidentalis huius gloriæ dabant indicium ob Reginæ cælestis absentiam: ingreditur ipsa & continuò *Choros ducunt Angeli.* Nescio num hoc non sit mysterium, quod nata sit Virgo Maria in Septembri, & nequaquam in alio mense: Erat Domine floridum ver, tum aptè matri tuæ conueniens; erat & æstas ardentissima: vt corona sit summi amoris! vel in rigida hyeme, vt Natiuitatis eius tempus tuæ in Decembri natiuitati conueniat.

DAMASC. *Orat 2. de de dormit. Deiparæ.*

II. Maria cælum lætificat.

III. Maria congruenter nascitur in Septembri.

Respondeo: ratio suadebat vt in Septembri nasceretur: quia mensis hic ille est quo fructus metuntur, & colliguntur: quando operariorum spes messi, & tritico confisa adimpletur. Deinde si mensis iste, communiter ille est, quo morbi solent homines opprimere, nascatur Maria: cunctorũ enim est efficacissima medicina. Vbi non est *mulier ingemi-*

Eccli. 36.

Luc. 1.

gemiscit egens vel æger. Et octauo die nascatur, qui sempiternam præfert beatitudinem. Porrò notanda sese offert alia ratio: Sicut enim Dei genitrix gaudium est vniuersale, oriri debebat in Septembri: mensis enim hic est omnium festiuissimus, & celeberrimus populo maximè Iudaico. Canisius opinatur hoc mense mundum creatum esse, in cuius initio festum celebrabatur tubarum, mortis commemoratiuum, quam Isaac feliciter euasit. Decimus mensis dies erat Expiationis in memoriam indulgentiæ quam Moyses à Deo recepit pro populo vituli idololatra, eratque adeò solemne, vt illo tantùm die totius anni summus Pontifex ingrederetur *Sancta Sanctorum.* Decimo quinto die solemnitas agebatur Tabernaculorum dicta *Scenopegia:* cuius meminit D. Ioan. cap. 7. toto celebrabatur septiduo, degentibus ruri filiis Israel sub tabernaculis, & papilionibus: in memoriam Quadraginta annorum quibus per inuia Arabiæ deserta extorres vagabantur: cui subsequebatur dedicatio templi. Legatur D. Tho. Tot ergo festa in Septembri? Vtique: in illo namque nascitura erat Maria, omnium solemnitatum mundi prima solemnitas. Ipsa est quæ humanum genus ab ira diuina defendit: ipsi debetur peccatoris cum Deo reconciliatio: tabernaculum dicitur in quo Deus requieuit. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Quid plura? têplum est cæleste Deo consecratum. Illi igitur dicamus quod Salomon templo suo magnifico iam perfecto. Iam Domine tibi côstructa domus est, tuæ nequaquam condigna Maiestati: Mariam etenim expectas: interim dû venit, vmbra est illius. Te deprecor: *Quicumque orauerit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo.* Si populus tuus iste, bellis, fame, peste, calamitatibus mœrore, morbisque afflictus domus huius limina frequêtarit, in domum suam alacer reuertatur, cor illi à tristitia liberetur, & pectus nimis afflictum à mœrore recreetur. Idem hodie Deo proponamus, & hæc nostra sit oratio: Templum domumque habes ô Domine in terra tuæ dedicatam Maiestati: Omnes ad Mariam confugiant, est etenim Dei domus illustrissima: & in domum suam reuertentur cum remedio calamitosi, cum gaudio afflicti: & quasi superati cum victoria, cum gratia peccatores, quæ gloriæ pignus est æternæ. Amen.

D. Tho. 1. 2. q. 102. ar. 4. ad 10.

Eccli. 24.

2. Par. 6.

CON-

CONCIO
PRO DOMINICA
PRIMA OCTOBRIS.

THEMA.

Thesaurus Dei est Maria. D. Bernard. Ser. 3. Annuntiationis.



TAM numero quàm pietate concurrit populus tibi deuotus in affectus tenerrimi, promptæque voluntatis tesseram, ô cæli terræque Domina, se tibi sistunt S. Rosarij tui clientes: nec hanc miremur tui venerationem, si mens sit illis cum Deo negotiari; qui sicut filius, tibi adeò proprius est, vt eius comparatione, & sine Maria reliquæ omnes creaturæ nullam in illo partem habeant: vt enim in Maria illas habet omnes in eminenti gradu, omnes etiam cum Maria habet præsentes, & sunt Deo per Mariam præsentes. Hinc capit lucem titulus à D. Bernar. Mariæ adscriptus: *Thesaurus Dei* (hæc eius sunt verba) *An non thesaurus Dei Maria? Vbicumque illa est, & cor eius est, & oculi eius super illam.* Idem confirmat eruditissimus Idiota. *Maria thesaurus Domini.* Thesaurus collectionem indicat gazarum, & gemmarum, pretij inæstimabilis, cubiculorum, scriniorum & arcarum quæ præ nimiâ bonorum, & ornamentorum abundantiâ crepant: quia vnum solum non adæquat, id omne quod thesaurus significat. Dominus cor suum affixit thesauro, affectum ei alligauit & animum, ipsa teste veritate Christo. Quadrat igitur optimè Virgini Deiparæ esse thesaurum; cumulus enim est, & cælestium confluxus diuitiarum: in quo Deus omne quod natura gratiaque habet, optimum accumulauit: atque super quam cor suum animumq; fixit, vt sola Maria totum sibi Deum rapere videatur.

D. BERN. Ser. 3. Annunt.

IDIOTA in Prol. in l. contempl. de Maria.

I. Maria thesaurus est.

Ad conceptus sui confirmationem adducit D. Bern. signum Iudic 6.

II. Historia. illud prodigiosum Gedeoni datum; quo ad suam instantiam vidit nunc aream rore nocturno cælestique madidam, nunc vellus candidum eodem rore completum, priori omni exsiccato: quo signo mundo datur intelligi: dum vellus illud Gedeonis, Maria, inquam, rore cælesti inebriatur; quamuis ad omnes diuina se extendat effusa liberalitas, tamen respectu Mariæ cunctis videatur (aio) exsiccari, totumque rorem cum Maria remanere. Conceptum suum ipse Bernard. explicet. *Sic ros totus in vellere, totus in area, sed in nulla parte area totus sicut in vellere fuit.* Explanat hoc ingenium D. Aug. & ostendit veram deuotionem erga Mariam Virginem consistere in vera eius virtutum imitatione: nam linguam suam ad virtutum eius encomium impendere celebrandum, atque ab illis manus suas retrahere virtutum imitatrices, inane est, & nullius coram Deo æstimationis. Sic nos D. August. hortatur. *Imitamini eam quantum potestis, non fecunditate, quia hoc non potestis salua virginitate: sola vtrumque potuit, quæ omnipotentem peperit.* Priuilegium hoc est Mariæ, non dabitur alteri. Deinde aliam subiungit sententiam optimè argumento nostro conuenientem. *Nec tamen ideo non est aliquid vobis Christus, quia vnus est Virginis filius.* id est: Non quia Christus filius est Mariæ Virginis, idcirco quisquam suspicetur nullam sibi in eo esse partem: etiam aliquid eius est, tangitque illum Saluator. Porrò Doctor sanctissime, quis hoc vertit in controuersiam, vt hoc ita confirmes? An ergo creatura de diuinis illos manibus dependens sibi persuadebit aliquod fore momentum, quo creator illum non aspiciat, vt Dominus eius, Paterque amantissimus? Hic patebit quam veraciter Maria sit Dei thesaurus, qualiter illi rapiat animam, totumque Deum comprehendat: cùm necesse sit D. August. ad nostram consolationem ita nos instruere: quod licet Deus sit Mariæ totus, idcirco non desinat esse noster.

D. AVGVS. Ser. 17. de Sãctis: qui est de Annunt.

III. Christus etiam noster est.

Discrimen inuenit D. Chrysostom. inter verba quibus Gabriel Archangelus Zachariæ promisit filium Ioannem Baptistam: & quibus alius Angelus (nisi idem fuerit) Ioseph mysterium exposuit vteri pregnantis sponsæ dilectissimæ Mariæ. Sacerdoti, sic annuntiat: *Elisabeth vxor tua pariet tibi filium.* Notat hoc: *Pariet tibi,* & ait: *Quia mulier quæ ex viro concipit, marito suo filium parit: quia magis est ex illo, quàm ex ipsa.* Hic autem hoc non exprimit in singulari: sed tantùm: *Pariet autem filium.* Cùm autem gloriosus Patriarcha in opinione vulgi locum

D. CHRY. Luc. 1. Matth. 1.

locum sit habiturus Patris, & quamuis non possit eius esse naturalis, & tamen eius curam sit habiturus, eum enutriens, dicatur. *Pariet tibi filium:* & nequaquam ita simpliciter: *Pariet filium*; iam dubio satisfactum est: Deus enim ita Mariæ solius est, vt hanc etiam gloriam Iosepho zelator inuideat, totaque Marię remaneat. Nullus hic hyperbolem arguat: Rupertum enim habeo conceptus huius auctorem, cui credas. Expendit namque quod in Canticis, vbi Spiritus S. prærogatiuas & virtutes extollit Mariæ, sub nomine sponsæ easdem quasi propriis verbis in sponso collaudantes, semper tamen Deus

RVPERT. l. 1 in Cant. *Ecce tu pulcher es.* prior Mariam deprædicet. *Ferè in omnibus dilectam præuenit dilectus.* Si Maria sponsum à pulchritudine est commendatura:

IV. Deus prior Mariam extollit quàm ipsa Deum. *Ecce tu pulcher es:* illam sponsus anteuertit: *Ecce tu pulchra es.* Si ipsa in sponso oculos est laudatura columbinos: *Oculi tui columbarum*: iam laudem hanc à sponso perceperat: *Oculi tui columbarum*: & sic de cæteris. Hoc me torquet: quænam vrget ratio, cur Deus prior hominem extollat, quàm homo Deum? Superior inferiorem? Magnitudo diuina humanam abiectionem? cur manus inuertuntur. *Quid de hoc censetis: nónne ille cùm Deus & homo sit, debuerat ab homine modis omnibus præueniri?* Respondet quòd quamuis vt Deum illum anticipatiuè creaturæ laudare, & honorare debuissent: tanti tamen Matrem suam æstimat, vt eius honorem laudemque velit antecedere. Ipsam autem huic apud Ruper. respondentem audiamus. *Ille autem sicut in cæteris, in consideratione mei semetipsum humiliauit quodam modo: non considerans quòd ipse esset Deus, sed considerans quòd essem ego mater, & ipse filius me superiorem sibi arbitrabatur.* Tanta est Virginis dignitas in quantum Mater Dei, vt Deus ipse perpendens se eius filium, dignitatis suæ & auctoritatis obliuiscatur superioris: vnde primus eius exorditur elogia.

In primo Diuinitatis Christi testimonio ad nuptias in Cana Galilææ ad instantiam Matris suæ vini defectum omnipotens suppleuit: cumque dixisset: *Nondum venit hora mea*: tempus *Ioann. 2.* tamen præuenit. Quisnam ô Domine horologium præuertit, quis horam anticipat? Hæc sit tibi ratio: vt enim Deus cor suum Virgini constanter affixerat adeò vehementer ipsa illud excitauit, vt eum impulerit ad verbi sui quandam velut oblinionem: & quod serius agendum erat, erga Matrem reuerentia coëgit anticipari: qua præsente confestim preces exaudit. Diuinus es thesaurus: tan-

V. Christus ad Mariæ preces tempus anteuertit.

tantaque fulgens potestate ; vt hæc prima sit Dei sollicitudo quâ Matrem honore prosequatur: Ex his igitur manibus, quas canales dixerim aureos, defluant torrentes misericordiarum, decurrant gratiarum aquæ, pignora futuræ gloriæ certissima &c.

CONCIO
PRO DOMINICA
PRIMA NOVENBRIS.

THEMA.

Corona Sanctorum omnium. D. Ephrem Orat. de laud. Virg.



HOnor, lux, splendor, corona Sanctorum omnium ô prudentissima, titulum hunc tibi omnes attribuunt, quo immensam tuam celebrant potestatem: portam te dicunt per quam, tuo fauore, saluandi patriam ingrediuntur optatissimam: quo denegato nullus eius terit limina, sed repellitur periturus.

I. Allegoria. Ostensum est vati Ezechieli templum tot circumstantiis mysteriosum vt intellectum eius impulerit huius vmbræ lucem, & significationum eius scrutari mysteria; cuius pretiosa parietum aulæa sic describit: *Et vsque ad domum interiorem & forinsecus per omnem parietem in circuitu intrinsecus & forinsecus ad mensuram, & fabrefacta Cherubim, & palmæ.* Ezech. 41. Planè ignoro quid diuinum illum Architectum mouerit, Cherubim & palmas templi parietibus inserere: nam plantas potuisset alias eligere: si conspectus attenditur pulchritudo, platanus folia profert extenta & viridia: si fructus, oliua præfertur, vel pomum punicum; si fragrantia quæritur, adest balsamum, & Cynamomum; si spectetur incorruptio, Cedrus præcedit; si cultus religiosus, Cupressus eminet. Quid igitur mysterij latet in electione palmarum, vt ipsæ cæteris arboribus ad æmulationem anteferantur?

ferantur? Palma nedum inuictos designat martyres, sed insuper omnes Sanctos. *Iustus vt palma florebit*: cùm enim legitimè certauerit, hostemque superauerit, triumphum agit cum palma celeberrimum. Saltem pro me habeo D. Gregor. qui sanctis omnibus palmas assignat. *Palmas in manibus tenere: est victoriam in operationibus tenuisse*. Nam idcirco infinita illa Sanctorum multitudo, quam conspexit D. Ioannes, inquit D. Gregor illam explicans, palmas manibus præferebat. *Et palmæ in manibus eorum*. Enumerantur hîc & intelliguntur Angeli, Patriarchæ, Prophetæ Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Continentes, Religiosi, Sacerdotes, Pœnitentes, omnes victores, omnes triumphi gestant insignia.

Ps. 91.

D GREG. Hom 17. in Ezech.

Apoc. 7.

II. Nemo sine Maria saluatur.

Templum communi Sanctorum calculo, Maria nuncupatur: *Templum Dei factus est vterus nesciens virum*. Dum igitur in templo palmæ visuntur, & figuntur: quid aliud intelligam, quàm quòd Sancti omnes voce libera fateantur, si mansiones ingressi sint æternas, si velut fortissimi victores feliciter in portum appulsi sint, laurumque consecuti: hæc omnia cælesti huic sint referenda Deiparæ Mariæ: cuius intercessione & dono Deus illos templi gloriæ parietes reddidit illustrissimos, & ne quis fortè huic excipiat Angelos: palmis, id est iustis sanctisque viris interserantur spiritus, & substantiæ Cherubim immortales. Mos erat antiquis victorum cæsorumque manubias templis affigere: cùm igitur electi Mariæ Virginis patrocinio triumphum retulerint, in Virgine, templo vero & diuino spolia sua dedicant, afferunt, & consecrant.

D. Ioannes superna describit palatia, in quibus se vidisse testatur vigintiquatuor seniores, quibus vniuersitas exponitur electorum, tam primæui temporis, quod duodecim comprehendit Patriarchas, quàm nouæ legis gratiæ, quo duodecim vixerunt Apostoli, qui simul præsatum explent numerum. Quá primum cælestem illam perceperunt melodiam, & barbiton illud Angelicum incessanter decantatum *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: coronas è capitibus suis euulserunt & omni submissionis affectu: *Mittebant coronas suas ante thronum*. Quid hoc ô antiqui dierum: *Ante Deum*, hoc capio: confitendo omnem de illius manu vobis honoris gradum aduenisse: sed *Ante thronum*? Quid vobis hîc contulit thronus vt hac illum ceremoniâ veneremini? an fortè huic hæc omnia sunt adscribenda? Maria Dei genitrix hîc signabatur: etenim nihil hoc nomi-

Apoc 4.

III. Omnia Mariæ adscribuntur.

nomine illi frequentius. In spiritu vidit illum Hieremias, eiusque gratiâ beneficia à Deo pro populo Israel postulauit. Soli gloriæ tuæ recordare, & ne irritum facias fœdus tuum nobiscum. Et Petrus Clunian. notans illud Prophetæ *solium*: ait: *Totius Deitatis solium.* Conuenienter igitur in signum gratitudinis coronas suas demittunt ante pedes eius. Sed verbum illud, *Mittebant*, expendamus: per quem mittebant hanc oblationē? Nūquid famuli aderant aut serui? Nequaquam, omnes enim Reges sunt: quis igitur coronas throno deferebat? Illæ ipsæ coronæ pondere suo naturali se pedibus illius prosternebant, quæ gratiæ dicitur inuentrix, & quasi iudicio pollerent seipsas illi deferebant.

Hiere. 14. Pet. Clvn. l. 5. Ep. 1.

Pertransiit Arca fœderis Iordanem fluuium: qui conspecta tanta Maiestate aquas in vnum conglobat, montesque congerit crystallinos: quo liberè pertranseat figura Mariæ, cui nullo nouoque expectato imperio tota deseruit creatura: quocirca & aurum & Sanctorum diademata, diuinos eius pedes vt suos agnoscunt benefactores, & ad illos se demittunt. *Mittebant coronas suas ante thronum.* Eadem Dei genitrix ore loquitur Ecclesiastici: *Ab initio & ante sæcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministraui.* Ab æternitate me Deus in suo creauit intellectu, & futuræ meæ in tempore essentiæ sempiternas gratasque habuit ideas, atque in gloria illo functa sum ministerio, quod numquam sum desertura. *Et vsque in sæculum non desinam.* Quis hoc capiat? Quia in Maria vita superstite Matris Dei dignitas non euanuit; filio igitur in cælo collateralis & vniuersalis Regina, qua veritate dicit: *Ministraui?* Patet responsio ex verbis Christi ad discipulos suos: agens etenim de seruis fidelibus ac vigilantibus, sic ait: In cælo præcinget se, *Et transiens ministrabit illis.* Vbi verbum hoc *Ministrare* vile hîc non significat seruorum obsequium: sed dispositionem locorum, præmiorum distributionem, introductionem ad beatitudinem: per me tibi ingrediendum est, in me tibi delicatissimus ille cibus essentiæ meæ diuinæ ministrabitur: Vt igitur intelligatur quòd Deus hanc Matri suæ conferat dignitatis amplitudinem: decernit, vt ipsa eadem quâ Deus phrasi loquatur: & si filius dicat: *Ministrabit.* Dicat & Mater, *Ministraui*: ipsaque sit quæ cælos aperiat: eius manibus præmia, donaque distribuantur. Testem profero D. Germanum Patriarcham Constant. *Nemo est qui liberetur à malis, nisi per te: nemo est*

Eccli. 24.

IV. Maria qua ratione ministret.

Luc. 12.

Germa. de zona Virg.

est cui donum concedatur, nisi per te.

Huic manum dat pia D. Bernard. deuotio: *In te ô Virgo Mater Dei respiciunt oculi totius creaturæ.* Omnium creaturarum animas cordaque trahis ad te ô Virgo & Mater Dei potentissima, lapis es magnes, & omnes ad liberales illas & potentes accurrunt Virginis manus: *Sicut ad arcam Dei: sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum.* Proh qualia epitheta! sicut arca, sicut thesaurus diuitiarum Dei: in qua latet mœsti alacritas, salus infirmi, turbati pax, inopis thesaurus, languentis baculus, leuamen lapsi, vitaque mortui. *Sicut ad rerum causam.* Per & propter Mariam igitur creati sunt cæli, terra fundata est, mare fecundatum, aër subtilis effectus, ignis accensus. *Sicut ad negotium sæculorum.* Quia redemptionis humanæ negotium per Mariam expeditum agnoscimus. Placet intelligere (ô Doctor melliflue) quinam ex Maria sibi persuadeant dona se recepturos. *Et qui in cælo habitant, & qui in inferno & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorũ, & qui nascentur ab illis.* Explicet seipsum Bernard. *Qui sunt in cælo, vt resartiantur.* Quia licèt eorum animæ beatifica Dei fruantur visione: eorum tamen corpora aliquid per Mariæ merita præstolantur: *Et qui in inferno, vt eripiantur.* Illi qui in purgatorio flammis eius purificantur: est etenim Maria Zephyrus, & aër calidissimam illam refrigerans temperansque regionem. Quid plura? nullus excipitur: & ipsas cælestes sedes Bernardus asserit à Maria dependere: sed grauior premit nos mortales, ad illam recurrendi necessitas; si namque in illas Sancti suas consequuntur coronas, possidentque gloriam; nos peccatores ex illa speramus gratiam gloriæ tesseram sempiternæ. Amen.

D. Bern. Ser. 2. Pentecostes.

V. Maria omnium refugium.

CONCIO
PRO DOMINICA
PRIMA DECEMBRIS.

THEMA.

Recordare Virgo Mater: dum steteris in conspectu Dei, vt loquaris pro nobis bona, & vt auertat indignationem suam à nobis. Ex Antiphona collecta ex Hierem. Ca. 18.

Regina & mater Misericordiæ.



VBA illa terribili percussi de iudicio, quæ his diebus in Ecclesia insonuit fideles eius diuina terrefaciens indignatione, ad tuas hodie confugiunt benignitatis manus: ô potentissima Domina, omnis Mater suauitatis, cunctęque Regina misericordiæ. Prologũ inchoat D.Bern. *Super Salue*, quo hymno Virgini præclarũ hunc damus dignitatis titulum, quem in hunc modum explanat. *In hoc conuenienter vocatur Regina misericordiæ, quod diuinæ pietatis abyssum cui vult & quando vult, & quomodo vult creditur aperire, vt quiuis enormis peccator non pereat cui Sancta Sanctorum, patrocinij sui suffragia præstat.*

D.Bern. Ser. 1. sup. Salue.

I. Maria Regina misericordiæ.

Spem pusillanimis nequaquam abiiciat peccator: matrem enim habet: vires animumque sumat ille qui malis se luget circumdatum: & laboret sibi Reginam misericoricordiæ habere propitiam: claues namque possidet abyssi pietatis Dei, eamque aperit cui vult, & quando vult, & quomodo vult. Verbum illud *Aperire* D. Bern. reuocat mihi ad memoriam Angelũ illũ magni concilij Christum, quem D. Ioannes conspexit *Habentem clauem abyssi.* Et quamuis obscurum videatur intellectu, qua ratione D. Bernard. illam attribuat Mariæ, cùm Deus illã habeat: obuia nobis tamẽ occurrit

Apoc. 20.

rit responsio: sicut enim alias nō habet Deus manus quā Mariæ cū in his clauis est, tanquam in archiuis suorum thesaurorum, esse in Dei manibus perhibetur.

Hinc prefatus Virginis cliens eleganter infert hanc sententiam quòd vsque ad tempora Dei genitricis, nulli fuerint aquæ ductus, vtpote per peccatum obstructi, per quos diuinæ ad nos misericordiæ vel gutta deflueret. Malim eius audire verba: *Nimirum propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defecerunt quod necdum intercederet is de quo loquimur, tam desiderabilis aquæ ductus.* His parumper immoremur. Si namque Deus decreuerat dona elargiri, aquas mundo pietatis effundere, quam obsecro dependentiam habet supremus ille Monarcha, Dominus absolutus & Rex independens, ille qui nullius indiget, qui plenus est; vt dicatur mihi, quòd deficiente Virgine Maria nullum pateret iter, nullus transitus, aquęductus nullus per quem pietatis suæ dona, & torrentes effunderet misericordiæ? Vt homo fiat, nostrumque induat mortalitatis saccum, tot, concedo, sæculis expectet Mariam: ex diuino namque decreto hæc electa erat, vt illum carne humana mater vestiret: verùm enim verò vt vel vnicum conferat beneficium vt quid moratur? Luce clarius hîc patebit quid sit Maria quin etiam sibi persuadens Bernard. à nonnullis posse replicari: An ergo in diebus Noë omnia diluuio demergente Deus octo homines huic cladi superstites non eripuit? Patriarchæ Iacob in medio noctis silentio Deus cælos non aperuit? Numquid populo suo, quem in manu potenti & brachio excelso eduxit de seruitute Pharaonica, innumera eaque insignia & rara præstitit beneficia. His historiæ redundant: quâ igitur veritate confirmas: vsque ad Mariam: *Fluenta gratiæ defuerunt*? Iam omnibus innotescit responsum. Si diluuij stragem incolumes nonnulli euadant: in Arca, Mariæ figura saluantur. *Sicut enim per illam omnes euaserunt diluuium: sic per istam peccati naufragium.* Et hoc tantum interest discrimen inter arcam & Mariam: *Per illam octo animæ tantùm saluantur: per istam omnes, ad æternam vitam quæ per octonarium numerum significatur, vocantur:* &c. Si se Deus Iacob præbet affabilem & propitium: per scalam hoc facit: per Mariam, inquam: Si populum Israel liberet, non priùs illum eripit quàm in rubo (Mariam intellige) se ostendat igneo sed incombusto.

Aliam rationem nobis suggerat D. Albert. Magn. cur intituletur *Regina misericordiæ*: quia

D. BERN. Ser. de Natiuit de aquæductu.

I. Maria Regina misericordiæ.

Apoc. 20.

II. Per Mariam omnis gratia.

Gen 8.

Gen. 28.

Exod. 15.

D. BERN. Ser. de B. Maria.

In Maria c. 11. & 195.

quia in ea cœpit, habuitque principium Regnum misericordiæ. Ad dicti confirmationem, ab experientia trahit similitudinem. Quamuis in aliqua familia multi præcesserint antecessores, nihilominus dicimus, hic dedit illis principium & esse, qui ob egregia sua facinora, vel industriam, vel dignitatis gradum ad quem ascendit illos nobilitat: & familiam suam prius quasi sepultam tenebrisque immersam ad nouam gloriæ lucem euocat & quasi à morte resuscitat. Hoc igitur modo concludamus: Regnum possidebat Deus misericordiæ, & pietatis Monarchiam: sed qui studiis suis, & opera illud nobilitauit, Mariam fuisse communis fert opinio: in illa namque cœpit hominibus depluere torrentes misericordiæ: illudque Dei attributum sic extulit, vt quodam modo fari liceat, quod illud in lucem produxerit, primum eius iecerit lapidem, auctoritatem fidemque tribuerit, & splendore nobilitauerit illustrissimo. Hinc habemus D. Bernardum egregiè nomen illud Reginæ declarantem. *Gloriæ nomen & honoris, magnificentiæ & decoris, dulcedinis ac pietatis, amoris & honorificentiæ, sublimitatis & potentiæ, defensionis & gratiæ, gubernationis & iustitiæ:* hæc enim omnia titulus hic *Regina misericordiæ* comprehendit.

D.BERN. Ser. 2. super Salue.

Epilogum tandem concludat auxesis non reprehendenda Ruperti Abb. qui destructionem & euersionem vrbis Hierusalem per Titum & Vespasianum attribuit egressui B. Virginis, non vlteriùs in eà commorantis. Explicat illud Cantici: *Vineam meam non custodiui.* Quasi verba hæc Dei genitrix loqueretur *Vineam meam non custodiui,* veterem scilicet Synagogam: nam hac metaphora capitur in parabola de vinea: eius deserui defensionem, meum abstraxi patrocinium, meum negaui subsidium, egressa sum de Hierusalem: vnde quid miraris eius ruinã? *Vineam meam non custodiui, gentem meam non adiuui, non defendi, quin venirent locumque & gentem tollerent Romani.* His insistamus: Christus euersionem prædixit Hierusalem: quando discipulis illi templi magnificam ostendentibus structuram, vates respondit: *Amen dico vobis: non relinquetur hic lapis super lapidem;* & alia iterum occasione vberioribus ruinam eius in spiritu præsagiens defleuit lachrymis: *Videns ciuitatem fleuit super eam.* Si ergo Deus vrbis iam decreuerat cladem, vindictæ gladium manibus tradens Romanorum Imperatorum, vtpote diuinæ iustitiæ ministrorum: qua ratione illam Rupertus absétiæ ab illa imputat Mariæ: iustissimè: quia Regina erat mise-

Cant. 1. Matth. 21. RVPERT. l. 1. in Cant. III. Mariæ absentiæ tribuitur euersio Hierusalem Luc. 19.

misericordiæ; illa autem claues secum auferente, fons omnis occlusus fuit vrbi misericordię, & supplicium eius extitit ineuitabile; si namque præsens adfuisset; indubiè diuinam placasset indignationem, & quandoquidem sacrilega illa Respublica iustum mereatur interitum; primò ab illa discedat Maria; nec enim eam iustitia diuina puniet, in conspectu eius, quæ Regina est misericordiæ.

Tali verò ratione supplet Dei genitrix Dei absentiam (si quæ in illo reperiri posset in ordine ad benefaciendum homini, & illius negligendum salutem quem iam semel redemit; quod fieri posse absit à nobis opinari) vt si dormiat; sufficit quòd Maria vigilias agat: Hęc est Ruperti Abbatis opinio ad illa verba sponsi: *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Benefacere hominibus appellat venisse in hortum suũ, vel ob intactum Virginis vterum, vel ob delicias ex sua nobiscum conuersatione. *Messui myrrham*; extrema passus sum; *Comedi fauum cum melle meo*; surrexi de monumento gloriosus statuẽs ad dexterã Patris humanitatem meam; iam nihil agendum superest: reliqua manibus Marię matris meę pręstanda commendaui. Sigillum imponant operi verba præclarissima Ruperti; *Omnia ergo quæ generi humano ad salutem siue restaurationem ipsius erant necessaria, ego te silente perfeci soror mea sponsa; nunc me quiescente tibi debetur aliqua eiusdem operis portio tua.* Nulla potuit illi esse in adiutorium creatura momenti; solus etenim satisfecit, soluitque debitum. Nè autem Matri suæ tantorum deesset facinorum societas: hoc decreuit; vt sicut ipse solus in terra genus humanum redemit; ita sit in cælo Maria primaria procuratrix, & aduocata necessitatum eiusdem hominis, iam Christi sanguine redempti, & nunc protecti Mariæ intercessione.

Cant. 5. — Rupert. l. 4. in Cant.

D. O. M. laus: beatissimæ semper Virgini Matri Mariæ gloria: nec non beatis Ioseph sponso: Paulo Apostolo, Dominico Prædicatorum Patri.

EPILOGVS AVCTORIS AD MATREM DEI SEMPERQVE VIRGINEM MARIAM.

ANDEM accessi ô præclarissima Regina ad optatissimum votorum meorum portum, quæ concionibus meis completa esse mihi congratulor, vltimam apposui manum, reciprocam vestram, vt necessitate pressus, mihi confidens auxiliarem. In me atque in illis meos humilis agnosco defectus, quos hoc misericordiarum pelago obsecro sepeliri: constans illis, tribuens sepulchrum, aquas virginales, vt tantò citiùs euanescant, & dissoluantur. *Abyssus abyssum inuocat*: ait Dauid progenitor tuus felicissimus suspirijs suis Echum formans in altissimis cælorum montibus: dolenter ferens stationem illam cælestem Reginæ absentia priuatam ingemiscere: patriam illam luce orbari, seipsum licèt Monarcham & Regem gloriâ destitui, mundumque gaudij sui impletione spoliari. Eo pede quo meorum præteritorum deposco veniam erratorum, imploro vt infinitæ reddantur gratiæ gratiarum Dei thesaurariæ: Lucem videre exopto portæ Orientalis, & pulcherrimi solis huius radios: conspectis etenim cælestis tuæ pulchritudinis radiis, & gratissima venustate, iræ suæ radius collegit benignissimus. Excusari mea meretur audacia, quòd linguam calamumque tuis laudibus honorisque impenderim argumento, quo nullam eminentius, cum alatis Seraphinis, volucribusque Angelis, alæ, pennæ, linguæque deficiant. Mea erga te obligatio excusat me, meus me impellit amor, te anima, & diligit, & adorat: adoratio & amor fiduciam arguunt & reuerentiam. Cùm summo Maiestati tuæ supremæ tenear debito:

bito: me amor animat, vt ex illis tuis manibus defectuum libri huius sperem indulgentiam, & aliorum subsidium: illos lecturis deuotionem, & gratiam mihi denique æternæ gloriæ retributionem: nec enim inferiora quis sperare debet ab illa quæ gloriæ cæliq́ue mater esse celebratur.

Finem imposuit ipso Annuntiationis tuæ festo Martij 25. Anno à partu tuo virgineo 1631.

FR. IOANNES DE MATA:

Et translationem absoluit ipsa Immaculatæ tuæ Conceptionis solemnitate

Anno reparatæ salutis 1648.

FR. ONESIMVS IPRENSIS Capucinus.

FINIS.

IN-

INDEX
S. SCRIPTVRÆ.
VETVS TESTAMENTVM.

EXODVS.

LEVITICVS.

24. *De candelabro & panibus. Visita. in Salutat.*

NVMERI.

CAP. 1. *Tollite summam congregationis. Visita.* 1.
4. *A trigesimo anno & supra. Rosar.* 3.
6. *Sanctus erit crescente cæsarie. Concept.* 1.
Num uno peccante &c. Natiuit. 2.
17. *Virga Aaron quæ floruit. Præsenta.* 1. *& Conc. Iulij.*
21. *Liber bellorum Domini, Concept. addit. ad Niues* 2.
22. *De Balaam & asina. Ad Niues* 3.
30. *Homo quicumque vouerit. Præsent.* 1.

DEVTERONOMIVM.

CAP. 5. *Ego Dominus Deus tuus. Nomine Maria* 1.
23. *Ingressus in vineam proximi tui. Purific.* 2.
34. *Non caligauit oculus eius &c. Concept.* 1.
Non cognouit homo sepulchrum Moysi. Assumpt. 4. *Ad Niues addit.*

IOSVE.

CAP. 6. *De euersa Iericho fusiùs, Expect.* 2. *Purific.* 5. *Concept. addit.*

LIBER IVDICVM.

CAP. 6. *Vellus Gedeonis. Conc. Octobr.*
7. *Victoria Gedeonis. Peregrinat. vlt.*
11. *Historia de voto Iephte. Præsent.* 2.
13. *Erit puer Nazaræus. Conc. Maij.*
16. *Capilli Samsonis. Conceptione* 1.

RVTH.

CAP. 4. *Hæ sunt generationes Phares. Natiuit. vlt.*

LIBER I. REGVM.

CAP. 1. *Dabo eum Domino omnibus diebus. Purific. addit.*
2. *Quicumque glorificauerit me &c.* ibid.
5. *De arca capta & Dagon. Visitat.* 2.
15. *Melior est obedientia quàm victima. Purific.* 3.
16. *Surge vnge eum: ipse est enim. Purific. vlt.*
Ne respicias altitudinem staturæ. Assumpt. 2.
17. *Dauid pugnat contra Goliath. Annunt.* 1.
Ego venio ad te in nomine Domini. Ad Niues 2.
Arma eius posuit in tabernaculo suo. Præsent. 3.
21. *Ecce hic gladius Goliath.*

IOB.

IOB.

PSALMI.

9. Primo

MI-

MARCVS.

LVCAS.

EPIST.

EPIST. AD ROMANOS.

EP. I. AD CORINTHIOS.

EP. II. AD CORINTHIOS.

EP. AD PHILIPPENSES.

EP. AD HEBRÆOS.

EP. D. IACOBI.

APOCALYPSIS.

INDEX MATERIARVM,

QVÆ PASSIM IN HOC MARIALI OPERE TRACTANTVR.

A.

D.

E.

L.

M.

T.

Vul-

FINIS.





